


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
34 H
30



M

IOANNIS
ANTONII DELPHINI
é Casali Maiore Conuentualis Franciscani Theologi præstantißimi. Opus eximium, atq; hac tempestate magnopere desideratum,

VNIVERSVM FERE NEGOcium de Ecclesia, inter patres orthodoxos, & Protestantes controuersum, perspicua serie cõplectens, in tres libros optimo iure, digestum.

Præfixi sunt etiam huiusce operis initio duo indices copiosissimi quarumcunque rerum scitu dignarum.

HAC AQVA NON SITIET IN ÆTERNVM. QVI BIBERIT EX



Venetijs apud Andream Arriuabenum.

M. D. LII.

Adiungitur Dominici Paltreij[?] Nr



CAPITA OMNIVM EORVM QVAE IN TRIBVS HIS libris continentur. Et imprimis, quæ in primo.

Notandum autem numerum significare chartas. Literã uero. a. ipsam frontem. b. autem tergum chartæ indicare.



Capita eorum quæ in secundo libro habentur.


Capita eorum, quæ in tertio libro habentur.

INDEX RERVM

MEMORABILIVM, QVAE IN *toto opere continentur, in alphabeticam seriem non inconcinne digestus.*

** **

FINIS.






IOANNIS ANTONII DELPHINI

conuentualis Franciſcani e Caſali Maiore.

AD IVLIVM MAGNANVM Placentinum eiuſdem ordinis Theologum & præſulem, De Eccleſia Liber Primus..





VM ego mecum aliquoties in animo ſtatum chriſtianæ rei publicæ Iuli Magnane Franciſcanorum ordinis præſul diligenter cogito, uideor mihi non ſine maximo animi cruciatu ac mœrore ſeditioſiſſimam uidere quandam ciuitatem: in qua legum reuerentia ſit nulla, nullus honos, timor nullus: in qua ſublatus omnino ſit è medio religionis cultus, præpotentis Dei amor, cælitum ſanctorum memoria, honeſtatis decor, laudabilium ceremoniarum, rituumq; priſcorum, & ſanctionum antiquarum longa & approbata maiorum noſtrorum conſuetudine firmata obſeruatio: in qua non ciues, non mercatores, non artifices, non plebei, non ſenes, non iuuenes, non ſerui, non liberi, poſtremo nulli ea faciunt, quæ illorum ante omnia fuerant muneris &

officij:uerũ ſimultatibus oẽs inteſtinisq; odijs inflati ac turgidi, ſemp in id ſtudiũ toto pectore incũbũt ut omnia ſacra et prophana miſeris cõfuſionibus turbẽtur, uoluãturq́; aßiduis turbulẽtijs ſursũ & deorſum omnia. Quid obſecro? an quocũq; nationũ Chriſtianarum te prudẽtia tua ſingulari, et mẽtis agitatiõe uerteris, non occurret eo Reip. noſtræ, et Chriſtianæ religiõis miſerabilior caſus, et cõfuſio, quod in primis decebat nos unanimes et quietos eſſe; ut cõcordia, et pace, mutuaq; beneuolentia, et charitate noſtra eos qui ſint a Chriſto alieni, cũ inuitaremus, tum quaſi alliceremus, ut domini et Dei noſtri Ieſu Chriſti eccleſiã ingrederẽtur, atq; in ea ipſa cœleſtiũ donorũ eſſent nobiſcum participes? Quot hæreſes? quot ſchiſmata? quot incendia, & bellorũ faces? quot diſcordiæ? quot tumultus? quot funeſtæ deniq; tragediæ? magis magiſq; indies opa impiorũ hominũ exuſcitantur? tãta eſt in eccleſiã Dei tẽporibus iſtis lõge miſerrimis opinionũ & ſententiarum, quod ad fidem & religionem pertinet, inuecta pugnacißima contrarietas, ut plurimi ſint etiam boni & pij, qui pẽdulo & ambiguo animo eße propemodum cogantur, & planè ignorent ſanctam Dei Eccleſiam, proptereaq́; ſcindantur in uaria ſtudia. Verumenimuero bene ſe habet: ac profecto nobis licet aliquando tandem ſperare, Deũ Op. Max. pro ſua erga nos infinita miſericordia uelle propediem Succurrere, & auxiliari in præceps ferè labenti eccleſiæ ſuæ, quandoquidem his durißimis temporibus nobis Iuliũ. III. Maximũ Pontificẽ dedit: in quẽ pariterq́; in eccleſiã, ipſius curæ & uigilantiæ cõmiſſam ea Vergiliana ſententia pulcherrimè atque appoſitiſſimè quadrat.

Magno in populo cum ſæpe coorta eſt

Seditio, sæuitque animis ignobile uulgus,
Iamq; faces, & saxa uolant, furor arma ministrat.
Tū pietate grauem ac meritis, si fortè uirum quem
Conspexere, silent: arrectisq; auribus astant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Ego uero, ut in hac tanta & tā flebili tēporū nostrorum calamitate, nō prorsus dedā me ocio, sed quātū p me fieri pōt, cōsulā pijs hominibus: post libros de salutari omnium rerū ac præsertim hominū progressu, quos ad R. Epi. et Illust. Car. Perusiæ, Fuluiū Corniū scripsi hos ēt tres libros, quāta potui diligētia, et pspicua breuitate scripsi: quorū primus de ecclesia est: alter de ecclesiastica potestate: de cultu dei et sanctorū postremus, ac primus quidē liber ante oculos omniū fidelium ponit, quæ sit, qualisq; oībus ætatibus fuerit semper ecclesia, et ppetuo sit deinceps futura, ut cū illā quasi de facie cognoscere oēs homines incipiēt, ab hæreticis posthac nō ita facile imponatur simplicioribus. Deinde secūdus maximā et precellētē apiet, mōstrabitq; potestatē, quā Deus proceribus et pastoribus ecclesiæ suæ Papæq; imprimis exhibuit pro meritis domini Deiq; nostri Iesu Christi. qua quidē in re grāde opus, nisi uehemēter fallimur, et mouimus, et perfecimus: ac pernitiosśima tela de manibus hostiū nostrorū ut ledere posthac neminē queāt, extorsimus et eripuimus. Deniq; tertius liber id planè ostēdit, quò sit ab omnibus pijs et Christianis hominibus aßiduè cōfugiēdū: atq; de ijs agit, a quibus precipuè in hac militia suppetiæ feruntur ecclesie pugnanti aßiduè cum fortißimis inimicis suis. Ex quo placuit nobis optimo iure totum hoc ipsum opus inscribere, de ecclesia

Mihi autem Iuli Magnanè doctissime & mei amantissi me uisum est multis de causis dicare tibi hunc librum. tu quidem semper ecclesiæ catholicæ defensor & propugna tor fuisti: quanta enim dexteritate, facundia, eloquentia, grauitate uerborum et sententiarum ecclesiam docueris, & defenderis, quantaque diligentia, & quanto studio hæreticos homines oppugnaueris in publicis tuis homilijs et concionibus ad populos de more in celebrioribus ciuitatibus frequenter habitis, uniuersa ferè Italia nouit. Deinde quia propositum meum fuit in hoc libro, quemadmodum & in alijs, adiuuare theologos nostros, ac præsertim eos, qui profectò ad obeundum prædicandi officium admittuntur: quo iuxta regulas methodi facile possint piè & catholicè instituere ac docere auditores suos, cum eorum ipsorum utilitate, cumq; uniuersæ & sanctæ Dei Ecclesiæ honore: propterea hunc tibi librum dicare malui quã præcellentißimo aut illustrissimo cuiquàm principi: Tu quidem, cui summus & maximus pontifex Iulius tertius merito commisit Franciscanæ religionis nostræ gubernacula regenda & moderanda tantisper, nomine atque authoritate sua, dum in œcumenicis futuris comitijs nostris à patribus iuxta piorum omnium uota & desideria eligaris magister Generalis, curabis ut in manibus iuniorum uersetur, & ab omnibus legatur: quo nimirum candida illi & pia doctrina imbuti, magnos & multiplices fructus in populis, dum concionabuntur, pariant: ut per te aliquando tandem non sine auxilio meo quantulocunque, plurimi catholicam ueritatem, & ecclesiam Romanam, ut magnopere conuenit, tueantur. Nam præter-

quam quod nobis id ipsum iniungit & præscribit ea regula quam profitemur, eo quoque beati patris nostri Francisci exemplo uocamur & inuitamur: de quo sancta Dei ecclesia canit: Franciscus uir catholicus, & totus Apostolicus, ecclesiæ teneri fidem Romanæ docuit, præsbyterosque monuit præcunctis reuereri. Persuasissimum habeo te non defuturum ulla ex parte, sed accuratißime laboraturum, & daturum operam, ut hoc reparandæ catholicæ ueritatis optabile studium, quod minimum aberat quin prorsus collaberetur atque occideret, subleues, excites, ac diligenter prouehas: equidem noui animum tuum, & desiderium, & amorem, erga bonarum & catholicarum librarum studia incredibilem. Scis quantum ualeat superioris & prælati authoritas communitati hominum prodeße, quam regendam & moderandam accepit. Cura igitur, ut hanc per te in religione nostra tantam utilitatem tantumq; honorem cum uideamus, tũ experiamur: quod cum sane propediem, ut spero, effeceris, omnes pij & cãdidi homines uehementer gaudebunt, & optimo maximo Deo in primis: ac deinde tibi etiam gratias immortales agent. Dominus & Deus noster Iesus Christus dirigat semper te in uia beneplaciti sui.

Quid significetur nomine ecclesiæ.

PRincipio ecclesia est græca uox ab ἐκκαλεῖν, quod est euocare, deducta: ut sit ecclesia quasi euocata concio: quamobrẽ concionatorem uocamus Ecclesiasten. Apposite uero & congrue ita nominata fuit primum ecclesia: quandoquidem ut Paulus ait, fides ex auditu est: auditus autem per uerbum Dei. Nam quicunque per Ro. 10.

Euangelij predicationem ex tenebris uocati sunt ad lucem hanc & splendorem christianæ ueritatis, dicti fuerunt ecclesia, si qui aliorsum etiam impiorum hominum ministerio uocentur, ecclesia quidem appellantur. Sed ea prophana & impura omnino est, deoque inimica. Vocabulum porrò ecclesia communi iam omnium consensu pro multitudine accipitur hominum, tum in unam aliquam societatem coeuntium, tum unanimi consensu aliquid unum credentium, predicantium, & pleno ubique ore confitentium, ut cum dicimus ecclesiam Christi, cœtum eorum significamus, qui conuocantur, & congregantur ad Christum, & in Christo, cum etiam Sathanæ ac diaboli ecclesiam dicimus, eorum conciliabulum & conuentum hominum indicamus, qui turpißimè in Diabolum & Sathanam, prauo & corrupto animo consentiunt. Est autem

Psal.7. operæpretiũ annotare, Synagogam in scripturis diuinis eodem prorsus modo usurpari. ut cum Dauid inquit, Sy-

Exod.34. nagoga populorum circundabit te. ac ita Exodus habet Reuersi sunt tam Aaron, quam principes synagogæ.

Apocap. 2. Deinde Ioannes de sceleratis Iudæis inquit: synagoga Sathanæ sunt. Quamquam nos uocabulo synagogæ tantum utimur, cum hæbreorum ecclesiam significare uolumus. Ecclesiam uero & ad synagogam, id est, fidelium multitudinem, qui præstolabantur futurum conciliatorem Dei & hominum Iesum Christum: et ad eorum multitudinem, qui iam paßim christiani denominantur: obediuntque Romano Pontifici legitimo Christi uicario, & Petri quidem successori probè accommodamus. Quantum ad uocabuli significationem pertinebat, hæc breuiter dis-

seruisse contenti erimus: deinceps multiplicitatem ecclesiæ aperire & explicare omnino conueniet.

Esse multiplicem Ecclesiam.

Ecclesia duplex est una quidem est non uiuens: quæ profecto ex lapidibus & lignis, & huiusmodi rebus alijs materiata & composita est: quæ paßim templum dicitur, de hac scriptura inquit. Non ingredietur Manzer. hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini usque ad decimam generationem: altera uiuens: quæ duplex est: una sanè Angelorum: altera hominium. Ac de hominum ecclesia tantum loquimur: quæ sine dubio est duplex: una mala: de qua Dauid inquit: Odiui ecclesiam malignantium. Altera bona: de qua idem cecinit rex & Propheta Dauid: confitebuntur cœli mirabilia tua Domine, etenim ueritatem tuam in ecclesia sanctorum. Et prima quidem est ecclesia Diaboli & sathanæ. Porrò altera est ecclesia Dei & Christi: quanuis cum simpliciter ecclesiam dicimus, non malam, sed bonam ecclesiam intelligamus. Hæ sunt duæ nimirum ecclasiæ, quarum unam philautia, suique ipsius inordinatus amor, usque ad Optimi Maximi Dei contemptum: alteram charitas, amorque hominum ordinatißimus erga Deum usque ad contemptum etiam sui ædificauit, atque unius Abel alterius autem Cain fuisse authorem docent grauißimi patres, Augustinusque ante omnes in libris de ciuitate Dei, Agè uero de utraque seorsum aliquanto exactius transigamus.

Deut. 23.
Psal. 25.
Psal. 88.
Lib. 15. c. 5.

De mala ecclesia.

AD malā ecclesiam pertinent omnes quotquot apud Mattheum per hædos futuros ad sinistram iustißimi iudicis Christi planè disignantur: qui proculdubio capitalem eam sententiam audituri sunt: ite maledicti in ignem æternum. Post diem extremum uniuersalis iudicij, & sola perpetuo erit Sathanæ adcoq; malignantium & impiorum ecclesia. uerum interim, atque ante illud tēpus, tot existunt huiusmodi ecclesiæ, quot sunt reproborum hominum conciliabula & sectæ. Hæ uero sunt particulares ecclesiæ, quæ unam constituunt uniuersalem, quæ quidem pro capite suo diabolum & Sathanam habeat: ut Christus ait, uos ex patre diabolo estis. Deinde forma quæ turpißimi huius corporis membra coniungit sub capite suo Diabolo, est duplex, una quidem externa: ipsa inquam diuina reprobatio. Deinde altera interna: quæ nimirum est duritia, & impœnitentia cordis, & denique ultima impietas, ac finalis obduratio, qua membra huius ecclesiæ spiritui sancto usque in finem repugnant: quemadmodum Stephanus ait: Vos semper restitistis spiritui sancto qua & Christo uolenti gratis eos cogere in unum, & congregare perinde ac solet gallina sub alas pullos suos congregare, nunquam illi non reluctantur & resistunt.

Ioan. 8.
Acto. 7.
Matth. 25.

De bona ecclesia.

BOna porrò ecclesia bifariam intelligi potest: primo duntaxat pro iustorum & electorum omnium hominum communione et congregatione in capite uno Iesu Christo per fidem, spem, iustitiam, gratiam, & cha-

ritatem, adeoque illorum, qui ſint denique uitam æternã conſecuturi. ac iſta ipſa eccleſia proprie inuiſibilis eſt, atque humano ſenſui prorſus ignota regulariter: ſic tamen ut certo ſciamus, & fidei quidem certitudine, in tali eccleſia eſſe omnes, qui ſint in cœlo ſimul cum Chriſto Ieſu perpetuo æuo fruentes, & pariter omnes qui ſint in purgatorio: nec enim hi, nec illi à gratia Dei queunt amplius in æternum cadere. Iſtam uero ipſam eccleſiam, minime hoc tempore inquirimus, deque illa non diſputamus & minime tractandam illam ſuſcepimus. Deinde pro iis eccleſia bona poteſt capi, qui ſponte ſua recipiunt euangelium, prophetarum & Apoſtolorum doctrinam, ſeptẽ ab ipſo Deo inſtituta ſacramenta, qui ſub Romani deniq; Pontificis obedientia uiuunt: ſiue ij quidem in gratia Dei exiſtant: ſiue in mortali etiam peccato: ſiue beandi ſint olim, ſiue nequaquam.

De bonæ eccleſiæ multiplicitate.

Poteſt autem bona eccleſia duobus modis conſiderari, primo ſane ut in patria eſt una cum Chriſto ipſo triumphans: deinde ut ad huc quaſi à patria illa cœleſti exulans peregrinatur. Ac triumphans quidem eccleſia cætus beatorum omnium eſt: cuius perpetuum caput eſt Chriſtus: id quod paulò inferius aperiam: quæ diſſipabitur nunquam: & à diuinis canendis laudibus ne momẽtum quidem ſeculis futuris impedietur: quæ mortem ſuperauit, uicit mundum, proſtrauit Diabolum, effrenem domuit concupiſcentiam, nullos non debellauit hoſtes, nullos non conculcauit pedibus inimicos ſuos: ac propte-

rea simul cum Christo in æternum triumphatura est: quæ tum sempiterno æuo, tum infinita pace fruetur: quæ sine ulla prorsus molestia, sine ulla carnis reluctantia perpetuo amore inhærescit Op. Max. Deo, et quidè toto corde suo, totaque anima sua, & omnibus denique uiribus suis: quæ nulla carnis imbecillitate, nulla infirmitate sensus, nulla mundi sollicitudine, nullo pauore mortis, nullis demum Sathanæ præstigijs conturbatur: quæ proinde opus non habet sacramentis tanquam remedijs & medicinis, quibus curetur & conualescat: non Episcopis & alijs pastoribus à quibus regatur: non doctoribus & magistris, non prædicatoribus, non prophetis, non Apostolis, non Euangelistis, à quibus uocetur, atque inuitetur ad Christum. non præterea lege, non euangelio, non scripturis, quibus certior fiat de credendis, de cauendis, de faciendis de expectandis. Triumphans igitur ecclesia tranquillißimum & pacatissimum illud regnum est: quod rex regum & dominus dominantium Christus omnino tandem expugnatis & superatis hostibus suis, & deuolutis quidem lunaribus mensibus. completisq; solaribus annis, & planetarum cœlorumq; perfectis omnibus cursibus, sublatoque prorsus de medio rerum omnium huius inferioris mundi ortu & occasu, in æternum sine dubio regnandum præbebit omnipotenti patri suo Deo. De ciuibus & membris huius ecclesiæ ita charissimus & amantissimus domini Deique nostri Ioannes ait: hi sunt qui uenerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & de albauerunt eas in sanguine agni: Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in

templo eius: & qui sedet in throno habitabit super illos non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus: quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad uitæ fontes aquarum. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Præterea ut peregrinatur ecclesia, duplex est; una congregatio est animarum in purgatorio existentium: altera eorum est qui sane in corpore mortis huius adhuc uiuunt, & militant: quæ sub certis definitisque à Deo pastoribus agit. ac ista ipsa ecclesia tandem illa est, de qua tractandum suscepimus in hoc libro.

Multiplicem esse militantem ecclesiam, & qua de causa dicatur militans.

Ecclesia militans duplex est, una particularis, altera uniuersalis. dicitur autem militans, quoniam assiduè in militia strenuissimi & semper inuicti Iesu Christi Imperatoris, & regis regum, & domini dominatium, pugnat cum hostibus suis: cum Diabolo inquam & principatibus & potestatibus harum tenebrarum, cum peccato, cum morte, cum inferno, cum carne, cum mundo, & cum lege. Primo enim Diabolus aduersarius noster, quē admodū Petrus ait, perinde ac leo rugiens circuit quærens quem deuoret. 1.Pet.5. *Hic ut Ioannes inquit, Serpens antiquus est qui uocatur Diabolus et Sathanas qui,* Apoc.12. *seducit uniuersum orbem, qui denique fratres nostros perpetuo ad diuinæ tribunal iustitiæ mille imposturis et fraudibus excogitatis accusat. Deinde ut Paulus docet, nunc operatur in filios diffidentiæ princeps potestatis aeris*

Eph.2. huius. Atque idem Paulus ait: Non est nobis collucτatio aduersus carnem & sanguinem (hoc est, non sic pugnamus ut dimicare solent homines cum hominibus qui debiles atque infirmi sunt, quippe cum sint caro et sanguis) Sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Secundo queritur flebiliter ac totus in la-
Ps.50. chrymis Dauid. Peccatum meum contra me est semper.
Prouer.14 Et sapientißimus hæbreorum Salomon ait: Miseros facit populos peccatum. Et Christus apud Ioānem dicit, Qui
Ioan.8. facit peccatum, seruus est peccati. tertio de morte Dauid
Psal.6. inquit Non est in morte, qui memor sit tui. In Esaia nequissimi homines & illusores dicunt, Percußimus fœdus cum morte: & cum inferno fecimus pactum: Ezechias
Esa.28. porrò cum egrotasset & conualuisset de infirmitate sua cecinit: Non infernus confitebitur tibi neque mors laudabit te. Denique Ioannes quo pacto mors ad gerendum
Esa.38. bellum contra ecclesiam parata sit pulcherrimè describit: ait enim: Ecce equus pallidus: & qui sedebat super
Apoc.6. eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum & data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fame et morte, & bestijs terræ. Quarto sēper infernus in turbatis horrore peccatorū cōscientijs aperit immensum & inexplebile os ut deglutiat & deuoret homines: ut sanctißimi etiam uiri ad præpotentem
Iob.14. Deum una cum Iob sæpenumero exclament: Quis mihi hoc tribuet, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei? Vehemens quidem pauor aliquan

do terret modo quodam horribili conscientias humanas; cum illæ in tanta pugna uident se magno scelerum omnium pondere in inferni uoraginē atque apertam abyssum trahi. Quinto de lucta spiritus et carnis in corpore mortis huius copiosè tractauit Paulus in Epistolis ad Romanos, atque ad Galathas. Sexto de odio, & hostili quidem inimicitia mundi creberrimam uidere est mentionem apud Euangelistam Ioannem. Postremo docet Paulus multis in locis epistolarum suarum legem operari maximè iram. peccatum ostendere, nos condemnare, uirtutem peccati esse, pronuntiare nos maledictos, iugum esse timoris, & formidinis. Cùm igitur ecclesia pugnet assidue cum tot tantisque hostibus merito magnisque de causis dicitur militans. nobis uero qui sumus huius ecclesiæ membra, ut impauidi cum uiua spe futuræ uictoriæ in castris ecclesiæ, sub domino Deoque nostro Iesu christo militantes constanti animo preliemur inquit Paulus: Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos uestros in ueritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tæla nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est uerbum Dei: per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso uigilantes in omni instantia, & obsecrati oue pro omnibus sanctis. Præterea in hac tanta militia gaudet ecclesia, fortissimo animo est, fide, spe, & charitate uiuit, haud quaquam dubitat se participem non fore bonorum

Rom. 7. Gala. 5.

Eph. 6.

omnium christi cui tanquam corpus cum capite suo copulata est, quemadmodum paulò post de monstrabimus. Itaque suos omnes hostes uincet ac superabit, habebitque illos quasi captiuos & cathænatos ad tryumphalem currum eo die quo separabitur a malignantium atque impiorum ecclesia, ingressura magno tryumpho in cælum innumerabilibus meritis fulgida & ornatißima quasi trophæis quibusdam & miris insignibus & testimonijs partæ uictoriæ. Tunc singular iubilo inimicis audientibus cantabit: DEO GRATIAS, QVI DEDIT NOBIS VICTORIAM PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM In curru magno illo triumphali, in quo celsus et conspicuus Iesus christus cum sponsa sua ecclesia, tunc sine dubio gloriosa non habente maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed sancta & immaculata, sedebit: Dulcißimum et suauißimum erit uidere quasi titulos & felicia epithaphia quædam ex diuersis currus illius triumphalis partibus adeò manifestè pendentia, ut uniuersis Angelis, & hominibus, tum bonis, tum malis, futura sint omnino antè oculos, quo mali quidem pudefiant & mœrore conficiantur, boni uero glorientur & perpetuo gaudeant. Primo contra Diabolum, Sathanam & principatus & potestates harum tenebrarum, Scriptura hæc apparebit splendidißimis literis incisa & insculpta. Vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis uestræ, conuiuificauit cum illo, donans uobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, et expolians

1. Cor. 15.

Ephe. 5.

Colo. 2.

principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos insemetipso: Et diabolus qui seducebat eos, *missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestia & pseudo prophetæ cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Secũdo Cõtra peccatũ eam grauem sententiam legemus. NVNC SEMEL IN CONSVMMATIONEM SECVLORVM AD DESTITVTIONEM PECCATI PER HOSTIAM SVAM APPARVIT, ET TRADITVS EST PROPTER DELICTA NOSTRA. *Tertio Contra mortẽ & infernũ præclarissimũ illud cõtuebimur et concinemus elogium*: ABSORPTA EST MORS IN VICTORIA VBI EST MORS VICTORIA TVA? VBI EST MORS STIMVLVS TVVS? ERO MORS TVA O MORS, MORSVS TVVS ERO INFERNE; ET INFERNVS ET MORS MISSI SVNT IN STAGNVM IGNIS. Quarto contra carnem id scriptum erit: *In christo circuncisi estis circuncisione non manufacta in expoliatione corporis carnis: sed circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui sußitauit illum a mortuis, et caro quidem & sanguis regnum Dei poßidere non possunt.* Quinto contra mundum uerba illa. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego uici mundum, sese legenda obijcient. *Mirũ sanè in modũ hæc tempore illo meminisse iuuabit: proderit enim satis superque, et incredibili gaudio afficiet recordari, nos in afflictionibus magno animo ad finem usque durauisse, ac nos prosperis & secundis rebus auxi-*

Apo. 20. Heb. 9. Rom. 4. 1. Cor. 15. Osee. 13. Apo. 20. Colos. 2. 1. Cor. 15. Ioan. 16.

lio Dei seruauisse. Denique uidebimus contra legem, & peccatum cuius uim lex uehementer excitat: Peccatum nobis non dominabitur: non enim sub lege estis: sed sub gratia. Qualis porro sit futura sponsa & uxor agni ecclesia post ea tempora in æternum, Angelus mandatò Dei planè ostendit Ioanni, ac nobis per ipsum Ioannem, qui scripsit Apocalypsim. At quæso nos ad propositum nostrum redeamus, & sigillatim de militantis ecclesiæ partibus cum breuiter tum perspicuè & diligenter agamus.

Rom. 6.
Apoc. 21.

De particulari ecclesia.

Particularis ecclesia multis modis accipi solet primo quidē pro ijs fidelibus, qui simul in una eademque domo & familia commorantur. Sic Paulus iubet salutari Priscam & Aquilam, & domesticam eorum ecclesiā secundo pro ijs qui certa in aliqua Parochia sub uno parocho et pastore manēt uel ruri, uel in ciuitate. Sic Paulus inquit: Alias ecclesias expoliaui, accipiens stipendia ad ministeriū uestrū. Tertiò pro ijs qui una tota in ciuitate, adeoquè in uniuersa Diocæsi aliqua obediunt uni Episcopo. Ita scribit Paulus uocatus Apostolus Iesu christi p uoluntate Dei, et Sostenēs frater, ecclesiæ Dei quæ est corinti. Quartò pro ijs qui pluribus in ciuitatibus, adeoq; in una prouintia dependent ab uno & solo Archiepiscopo. Talem fuisse Paulus innuit ecclesiam in Creta. seque in ea tota insula Titum instituisse & reliquisse archiepiscopum, ut per ciuitates, & loca omnia Diaconos, Presbyteros, & episcopos ordinaret, planè monstrat in ea epistola quæ ad Titum est. Deinde apud canonistas alio modo accipitur, nunc tantum pro episcopo, nunc pro uiris

Rom. 16.
2. Cor. 11.
1. Cor. 1.

uiris omnibus ecclesiasticis, hoc est pro clericis: nunc pro maiore parte capituli: nunc pro Canonicis duntaxat maioris & cathedralis ecclesiæ: nunc pro qualibet cuiusque prouinciæ ecclesia:

De vniuersalis ecclesiæ vnitate.

DE *uniuersali ecclesia dicit* Paulus: *ipse Christus, inquam est caput corpori ecclesiæ:* Et *adimpleo ea, quæ desunt passionũ Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia,* Et *hæc tibi scribo fili Timothee, sperãs me ad te uenire cito: si aũt tardauero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari: quæ est ecclesia* Dei *uiui, columna, & firmamentum ueritatis.* Hæc *uniuersalis ecclesia ut in Symbolo Constantinopolitano dicitur una est, extra quam nemo salutem consequi potuit, aut poterit unquam de qua sponsus eius Christus in Canticis Canticorum ait, Vna est columba mea. Vna uerò est, non propterea quod uno tempore, aut uno in loco unaq; in prouincia, & regione coiuerit, omnibus enim temporibus est ubiq; gentium. Sed una idcirco est, quoniam in fide unius* Dei Patris *& filij & spiritus sancti, per unum* Iesum Christum *omnino congregata est, quãuis membra illius, etiam se minimè de facie norint. huiusmodi autem congregatio, non postulat certum locum, non certum tempus, non certum hominum aut statum aut sexum: quandoquidem* Paulus *ait:* Non *est distinctio* Iudæi *&* Græci: Non *est acceptio personarum apud* Deum: Non *est* Iu*dæus neque* G*ræcus; non est seruus neque liber; non est masculus neque fœmina: omnes enim uos unum estis in Christo* Iesu. Et Petrus *inquit apud* Corneliũ: In *ueritate*

Colos.1. 1.Timo.3. De summa Trinitate. Cant.6. Ro.2.et.10. Gal.3. Acto.10.

comperio, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Ac ista de causa ecclesia quæ una hoc modo est, catholica etiam, hoc est, uniuersalis nominatur, sese quidem extendens ad loca omnia, et ad omnes ætates præteritas, præsentes, & futuras, quatenus morientes & nascentes homines continuata sibi propagatione succedunt, militans quidem sub uno inuisibili duce atque Imperatore Deo & domino nostro Iesu Christo in unitate fidei & religionis.

QVOTVPLEX SIT VNIuersalis ecclesia.

DVplex uniuersalis ecclesia est; una quidem repræsentatiua, est uero ipsum œcumenicum & generale concilium in spiritu Sancto legitimè congregatum, de quo in secundo libro disputandum erit à nobis copiosè cum aduersarijs nostris. Altera est uera & spiritualis omnium fidelium hominum congregatio, & hæc bifariam sumitur: primo quidē pro congregatione omnium fidelium hominum quotquot ab origine mundi fuerunt, ac erūt in posterum usque ad consumationem seculi: & profecto isto modo non solum comprætendit ecclesiam, quæ post Christum per Euangelium congregatur: sed Mosi etiam synagogam, & eos pariter fideles homines qui fuerunt olim sub lege naturali. De hac Paulus ait, Christum dedit caput super omnem ecclesiam quæ est corpus eius. Et Gregorius inquit, uniuersalis ecclesia quæ ab Abel iusto usq; ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot

Ephe.1. Colos.1. Greg.in Homili. Septuagesimæ.

ſanctos protulit,quaſi tot palmites miſit. Secundo pro con gregatione illorum duntaxat fidelium hominum, qui poſt nouam legem, & Chriſti Euangelium prædicatum, ſub Chriſto in chriſtiana religione uiuunt ac iſto modo a ſynagoga Moſi, et ab ea quæ ſecundũ naturã ante Moſen uiuebat plane diſtinguitur,atq; ij ſunt in hac ipſa eccleſia qui,ut Paulò ante dicebamus,recipiunt Euangeliũ,doctrinã Prophetarũ,et Apoſtolorũ,ſacramẽta eccleſiæ, quæ ſunt nouæ legis ſacramẽta, omnia quidẽ a domino et Deo noſtro Ieſu Chriſto inſtituta: quæ nimirũ quo pacto, quaue ratione à ſacramentis uetuſtioris eccleſiæ differant, in libro de ſacramentis cumulatè aperiemus. Ii deniq; ſunt in hac ipſa de qua loquimur noua eccleſia, qui ſub Romani Pontificis degunt obedientia. De hac ipſa dicitur Auguſtinus, Euangelio ſe non crediturum ſi autoritate eccleſiæ non compelleretur. Poteſt autem hæc duobus modis eccleſia conſiderari, tum ut primitiua, tum ut poſteriorum eſt fidelium hominum legitimè ſuccedentium primitiuæ illi eccleſiæ: qua de re quantum par erit, in ſecundo libro diſſeremus. Hæc præterea eccleſia catholica & Chriſtiana & Apoſtolica, & noua merito appellatur: non quia ſit altera quædam re ipſa differens à uetuſtiore illa Sanctorum patrum teſtamenti ueteris eccleſia, uerum ſic dicitur, quia proprium fundamentum, lapis angularis, & caput eccleſiæ datum eſt iam ab Optimo Maximo Deo, quemadmodum ipſe antea per prophetas ſuos pollicitus erat, & diruta maceria è duobus maximè diſsidentibus populis facta una eſt eccleſia: iam quæcunque ſub umbris & figuris

In Epiſtola cõ.fundamentũ Manich.

olim delitescebant, palam in uniuerso terrarum orbe manifestata iam annunciata & prædicata sunt: adimpletaq; omnino uaticinia & oracula prophetarum: data charismatum & spiritualium donorum copia, data sacramenta, quæ iam ui sua conferant gratiam: data summa est potestas: conditum denique ab Optimo Maximo Deo ultimum & nouissimum testamentum, in sanguine & morte filij sui testatoris confirmatum. ut iam sit ecclesia omnino tuta de patris Dei consequenda hæreditate: nec enim confirmatum in morte testatoris testamentum potest mutari à quoquam. ut inquam non sit amplius sub tutoribus & actoribus, non sub ferula pædagogi, non sub elementis huius mundi seruiens, non sub lege sed sub gratia in adoptione filiorum Dei. Hæc noua inquam uniuersalis ecclesia ortum habuit à Christo primum inquam in Iudæa ubi uocabatur Hierosolimitana: Deinde in Græcia ubi Anthiochena dicebatur, dum Petrus in ea sederet Iesu Christi Vicarius: In toto porrò terrarum orbe: ac semper nominata est Romana: quandoquidem Petrus Vicarius domini & Papa sedit Romæ: cui omnes Romani Episcopi legitimè succedunt. Nos uero de loco ubi sit uera ecclesia, adeoq; de ipsa ecclesia Romana satis superq; in secundo libro cum aduersarijs nostris importunis & obstinatißimis hominibus digladiabimur.

Bonos & malos simul esse in ecclesia militante.

QVandiu ecclesia Dei militat & boni & mali, reprobi & electi simul uiuunt, simul commorantur, & negociantur, simul agunt publicè & priuatim

in ijsdem urbibus, oppidis, uillis, ædibus: neque prædestinati, ac reprobi, neque aut isti aut illi separatim à quoquam dignosci ullo queunt tempore: imo certitudine illa fidei, cui subesse nullum falsum potest, certus nemo est unquam, se in gratia Dei esse: nisi forte hoc ipsum Deus alicui speciali priuilegio reuelaret. Sed nos hac ipsa de re magni momenti abunde tractauimus in libro de iustificatione. Quod autem simul permaneant boni & mali, pariterque ipsi reprobi & prædestinati, Deo iustißima de causa ita uolente, fiet planum & perspectißimum, si quæ in utroque testamento paßim habemus exempla considerauerimus: qualia sunt de Cain & Abel, de Isaac et Hismael, de Iacob & Esau, de Mose & Pharaone, de Dauide et Saule, de Apostolis & Iuda, Postremo de innumerabilibus alijs: quod etiam a Christo Iesu quam plurimis in locis apud Euangelistas pulcherrime ostenditur memoratu dignißimis parabolis: describit enim reprobos in malis pißibus, in malis nuptiarum conuiuis, in homine qui nuptiali ueste non erat exornatus, in paleis, in zizanijs, in malo semine, in mala arbore, in fatuis uirginibus, in hædis At contra significat & adumbrat electos in bonis piscibus, in bonis conuiuis nuptiarum, in ueste nuptiali exornato, in bono semine, in bona arbore, in prudentibus uirginibus, in agnis & ouibus. Ac sunt aliquando in ecclesia sacerdotes, Pontifices, atque alij ministri tum boni, tum mali, & quidem electi, & reprobi: & omnes dummodo legitime ordinentur & canonice intrent, sunt ueri ministri, uereque habent & exercent potestatem ecclesiasticam, quæcunque illa tandem sit, uel ordinis potestas, uel certe

iurisdictionis: non enim illa est gratia gratum faciens, quæ solum in ijs hæret, qui sint coram Deo boni, sancti, iusti, puri, & immaculati, sed gratia est gratis data, quæ non semper datur ab Optimo Maximo Deo, ad eorum utilitatem, quibus datum, sed maximè ad ecclesiæ totius utilitatem, quod alio in loco est copiosius demonstrandum. Propterea inquit Augustinus: omnia sacramenta cum obsunt indignè tractantibus, & prosuut tamen per eos dignè sumentibus. Christus cum circuncidendus, & offerendum esset pro illo legale sacrificium, non spernebat sacramenta Iudæorum sacerdotum, non deuitabat Iudæorum templum, quod uocabatur ab illo spelunca latronum, in quod boni & mali intrabant. Vnde & ipse cum suo traditore usque ad ultimum uixit osculum. Cyprianus cum auaris & rapacibus, non solum Laicis & clericis, sed & episcopis, atque Pontificibus panem domini manducabat, & calicem bibebat: nec tamen terrebatur uerbo Apostoli iubentis non commisceri illis, nec cibum sumere: sufficiebat enim illi à talibus corde seiungi, uita & moribus distingui, qui non poterat ab eis corporaliter separari, non poterat communionem eorum in sacramentis dandis & accipiendis uitare. Aliud est currere cum fure ad furandum, aliud est currere cũ fure in templum ad orãdum, & accipiendum sacrum: aliud est cum adulteris portionem ponere in fauorẽ uel promotionem adulterij: aliud cum adultero manducare, bibere, & accipere ab eo sanctum. Idem quoque Augustinus inquit: Si ad hominem baptizandum, & santificandum sacramentum quod accipitur tanto melius est, quanto est melior, per quem

In lib. 7. cõtra Donatistas capit. vlt. Et in lib. de vnico baptismo contra Petilianum.

Lib. 3. contra Gresconium Grammaticum.

traditur: tanta erit in accipientibus baptismorum uarietas, quanta in ministris meritorum diuersitas: meliorem igitur baptismum dedit Paulus quam Apollo, qui meritis inferior erat Paulo. hoc autem falsum est & contrarium doctrinæ eiusdem Pauli, qui huiuscemo errorem describens in epistola priore ad Corinthios aduersus eos clamat, qui iam Schisma cœperant facere in ecclesia, arbitrantes sacramenta esse inæqualia propter diuersa ministrorum merita: cum sit, inquit, inter uos zelus & contentio, nonne homines estis? nonne carnales estis? et subijciēs quæ nam fuerit huiusmodi contentio: cur, inquit, dicit quis ego sum Pauli, ego Apollo, nonne secundum hominem ambulatis? gratias ago Deo, quod neminem uestrum baptizaui, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis. Non est ponenda in homine spes, sed in eo de quo dicitur: hic est, qui baptizat: & id circo non est melius sacramentum, quod per meliorem datur, neque enim qui plantat aliquid est: neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Maledictus qui spem ponit in homine: Sacerdos immundus si baptizat, mundatur baptizatus, non ab immundo, sed a Christo qui intus baptizat in homine. Quid est Paulus, quid Apollo, quid alius quiuis sacerdos, nisi ministri eius, qui intus lauat intus incrementum donat? Ex his facile est uidere concilium Constantiense optimo iure Vigleffi tres articulos damnauisse: quorum unus hic fuit: si episcopus uel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, nō consecrat, nō baptizat. Deinde alter hic est: Si Papa sit præscitus, & malus, & per consequens membrum

Cap. 1. Cap. 3. Ioan. 1. 1. Cor. 3.

Diaboli, non habet potestatem super fideles, nisi forte à Cæsare. Deniq; tertius hic est: Nullus est dominus ciuilis, nullus est prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali. Proderit hæc paucis annotauisse ne turbentur, offendanturq; piorum & simplicium debiliorum conscientiæ, cum tot uiderint in ecclesia Dei malos & hypocritas, & omnibus nefarijs turpitudinibus inquinatos: cum & uiderint ecclesiæ regimen frequenter esse penes flagitiosissimos & scelerosos homines: quemadmodum ætate Christi & Apostolorum, Pharisæi, Scribæ, Pontifices, et Sacerdotes, cum essent iniquissimi, gubernacula moderabantur ecclesiæ, aut synagogæ: Christusq; homines illius

Matth. 23. temporis admonebat sic dicens: Super Cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint uobis, ut seruetis, seruate, & facite, opera uero eorum nolite facere, Non debent fideles Barbarico furore atque armis uelle impios extinguere: & somniare futuram in corpore mortis huius ecclesiam in qua tantū existant illi, qui sint puri, sancti, iusti, candidi, prorsusq; incontaminati coram Deo, ut olim somniabant Cathari, Donatistæ, ac paucis antè annis Anabaptistæ. Quo uerò facilè ponamus antè oculos pijs omnibus, quæ de bonis pariter & malis simul futuris in ecclesia militante diximus, libet subscribere ad hanc rem commodißimam Iesu Chri-

Matth. 13. sti parabolam. Simile, ait, factum est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo: cum autem dormirent homines, uenit inimicus eius, & superseminauit Zizania in medio tritici, & abijt: cum autem creuißet herba et fructū fecisset, tunc apparuerunt & Zizania: ac

credentes autem serui patrisfamilias dixerunt ei: Domine nonne bonū semen seminasti in agro tuo, unde ergo habet Zizania? & ait illis: inimicus homo hoc fecit. Serui autē dixerunt: uis igitur eamus, & colligamus ea? & ait: non, ne forte colligentes Zizania eradicetis simul cum eis & triticum: sinite utraque crescere usque ad messem, & in tē pore meßis dicam messoribus: colligite primum Zizania: & alligate ea in fasciculos ad comburēdum: triticum aūt congregate in horreum meum. Deinde Augustinus inquit: Firmißime credas & nullatenus dubites: Aream Dei esse ecclesiam catholicam, & intra eam usque in finē seculi bonos malis sacramentorum communione misceri, & in omni profeßione, siue clericorum siue monachorum, siue laicorum, bonos simul esse & malos. De fide ad Petrum, ca. 43.

Quot modis contingat esse homines in ecclesia.

SEx autem modis obtingit esse homines in ecclesia. Primo sunt nonnulli tantum per fidē ociosam, & sterilē, & informem, & mortuā in ecclesia: ut Christiani & baptizati omnes homines: qui tum reiecti sunt à iustißimo Deo ex æternitate, tū pariter sunt obnoxij peccato mortali: quibus ait Christus: quid uocatis me domine domine, & non facitis quæ dico? Secundo in ecclesia quidam sunt per fidem & gratiam: sed minimè tamen usque ad finem perseuerant, uelut omnes reprobi, qui secundum gratiam præsentis iustitiæ aliquando sunt iusti, sed porrò in uitia et scelera usque ad finē mala uoluntate sua prolabūtur, qualis fuit Iudas: quales & ij de quibus inquit Ioannes: ex no 1. Ioan. 2.
bis prodierunt: sed non erant ex nobis: nam si fuißent ex

Luc. 6.

ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint, quod non sunt omnes ex nobis. Innuit his uerbis Ioãnes, *ex nobis aliquando esse nonnullos secundum gratiam duntaxat præsentis iustitiæ: qui propterea ex nobis prodeant, & nobiscum in ecclesia non permaneant usq; ad finem: alios uero ex nobis esse non modo secundum gratiã præsentis iustitiæ, uerumetiam secunduu gratiam æternæ electionis: qui sine dubio in ecclesia nobiscum ad finẽ usq; permaneant.* Tertio *aliqui sunt in ecclesia per solam prædestinationem quemadmodum paruuli* Christianorũ, *qui certe cum nondum baptizati, & per* Iesum Christũ *nondum regenerati sint, tamen postea regenerãtur, & deniq; beatitudinem consequuntur: uelut etiam* Hebræi, Turcæ, *omnesq; infideles. christiani aliquando futuri, & postremo in ecclesia triumphante regnaturi unà cum* Christo:
Ioan.10. *de quibus ait ipse dominus:* Alias *oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.* Plurimas *oues habet pastor* Iesus Christus, *quæ nõ sunt ex hoc ouili suo: id est ex ecclesia sua quãtum ad præsentem iustitiam pertinet, quas tamen proculdubio ad æternam uitam adducet, quandoquidem priusquam iacerentur huius mundi fundamenta per* Christum *electæ fuerant ab optimo maximo* Deo. Talis *erat Paulus dum ecclesiam hostili animo insequeretur, nondum* Christo *initiatus.* Quarto *alij sunt in ecclesia, per nudam fidem, & per æternam electionem, ut ij* Christiani, *quos ante mundi constitutionem elegit* Deus, *qui tametsi post baptismum peccant mortaliter, amittũtq; ad tempus gratificantem gratiam, deniq; tamen, in gratiam cum* Deo *redituri sunt,* Omnino *talis erat* Petrus,

Deumque nostrum Iesum Christum abiura uit. Quinto sunt in ecclesia nonnulli secundum prædesti nationem, & gratiam præsentis iustitiæ, ueluti omnes Christiani homines, qui electi sunt ab Optimo Maximo Deo ex æternitate, ut iusti sint. ac iusti quidem sunt, sit tamen ut gratiam Dei aliquoties perdant, eamq; iterum fauore diuino excitati adiutiq; in pedes exurgant, magnoq; & constanti animo ad finem usque perseuerent. Quemadmodum enim sapientissimus Hebræorum inquit, Septies in die cadit iustus, & resurget. Sexto qui sumopere letantur, gaudent, perpetuoq; beati sunt unà cum domino & Deo nostro Iesu Christo in ecclesia triũphanti existunt per æternam prædestinationem, per claram Dei uisionem, & firmam possessionem, per consummatam gratiam, & gloriam, denique per uitam æternam, & numeris omnibus absolutissimam fœlicitatem. Verum quia sex modi quibus in ecclesia Dei homines queunt inesse, de ipsa ecclesia simpliciter intelliguntur, siue illa nimirum sit in cœlo triumphans, siue adhucmilitans in terra: & ea quidem siue uisibilis, siue inuisibilis existat: age peculiariter demonstremus, quot modis contingat esse homines in ea ecclesia, quæ uisibilis est, sancta, & catholica, & Apostolica, & Romana, ut paulò ante diximus. Prou. 24.

QVOT MODIS HOMINES QUEANT ESSE IN APOSTOLICA & Romana ecclesia.

QVoniam ecclesia unum quasi corpus intelligitur esse, quod nos quasi membra ipsius constituimus, ut enim Paulus docet, multi unum corpus sumus in Christo Iesu, singuli autem alter alterius membra, habentes dona iuxta gratiam nobis datam differentia: qua de re paulo post quantum par erit, differemus: propterea quicunque sunt in ecclesia, eo modo planè insunt, quo partes in toto, & membra ipsa in corpore, quod sanè ab illis eisdem constituitur, existunt. Quemadmodum igitur in corpore sunt uaria membra, & alia quidem sana, alia infirma & languida, alia uiua, alia mortua & arida & eorum alia resecanda sunt ne totum corpus inficiatur & pereat: alia uero toleranda, propter spem conualescentiæ. Ita in ecclesia duo insunt genera hominum, alij quidem uiui, sani, iusti, sancti, et immaculati coram Deo: alij mortui & aridi aut sanè languidi, atque horum alij sunt eiusmodi, ut nullum ab eis patiatur ecclesia periculum infectionis & corruptionis, atque omnino interitus: ac isti procul dubio tolerandi sunt, admonendi tamen, repræhendendi, hortandi, erudiendi, uocandi ad pœnitentiam, ut resipiscant, ad pristinamque sanitatem redigantur: ij sunt in ecclesia, membra quidem languida, & arida, sine rore diuinæ gratificantis & uiuificantis gratiæ, sic tamen ut cum pijs & fidelibus & catholicis hominibus audiant sanam doctrinam, & recipiant sacramenta, & obediant suis episcopis, atque Pontifici Romano in primis: tales igitur sũt in ecclesia, aut quasi membra languida & mortua, quæ sanari, & reuocari ad uitam queant, aut certè perindè ac palea est in frumento. Alij porrò sunt obstinati, pertina

Rom.12.
1.Cor.12.

ces, qui emendari & corrigi nolunt, a quibus etiam timendum est magnopere, ne corrumpatur, inquinetur, & inficiatur ecclesia. ij uerò sunt haud dubie resecandi & omnino separandi per censuras & pœnas ecclesiasticas ab ecclesia tales inquam sunt hæretici, schismatici, apostatæ, excommunicati Vt uerò totum istud negotium breuius ponamus ante omnium oculos: Augustinus docet: esse aliquos in ecclesia bifariam considerari: uno modo tanquam membra in compage iustitiæ spiritualis uitæ participia, hoc est, reliquis membris in spiritu charitatis & gratiæ cohærentia: altero modo esse in ecclesia, est membris ecclesiæ adherere: quemadmodum palea tritico adhæret. Itaque omnes quotquot habentur tanquam sacramento fidei ecclesiæ uisibiliter asscripti pace quadam externa cum populo Christiano familiariter & corporaliter habitantes, in ecclesia tantisper sunt, dum uel iuditio ecclesiæ separantur, uel certe sponte sua, & uoluntate propria exeunt sũt igitur peccatores in ecclesia: quod non solum de occultis, uerum de manifestis etiam & publicis peccatoribus contra Donatistarum impietatem accipiendnm est. Monendi sunt autem peccatores, ut resipiscant: quod si emendari et pœnitentiam agere, post congruas pastorum admonitiones, obstinato animo abnuerint, tum iustißimo iudicio ecclesiæ resecandi erunt, ac porrò tanq̃ ethnici & publicani, nempè ac si foris essent, omninoq; alieni a populo christiano, cauendi. Verum age planius & copiosius demonstremus, qui sint eiusmodi, eos nulla ratione in Apostolica & catholica Dei ecclesia in esse.

Lib. 7. con. Donatistas.

Aug. in epi. ad Donatis.

NVM SINT ÆLI-

QVO MODO IN APOSTO-lica & Romana ecclesia Hæretici Shismatici, Apostate, Excommunicati, Pagani.



HAEretici, schismatici, Apostatæ, omnino quidem sunt extra ecclesiam: cum enim propter alia peccata mortalia priuentur homines gratia, & charitate, manet tamen fides, unitate cuius & sacramentorum aliquo modo sunt in Ecclesia: haud dubie propter Hæresim, & Schisma, & Apostasiam, non solum remouetur ab hominibus Gratia & Charitas, uerum etiam Fides, ut nihil sanè supersit in eis, quo poßint membris Ecclesiæ quauis ratione prorsus adhærere, & colligari. Ac sanè Paulus docet, his tribus contineri homines in ecclesia: nempe uno Domino, una Fide, uno Baptismate, hoc est una eorundem Sacramentorum Fide, uno Deo. Vnum ait, corpus nos esse, atque unum spiritum, uocatos in speuna uocationis: ac tantæ unitatis, qua sunt christiani homines unum, reddens memorabilem rationem subijcit: unus dominus, una, Fides unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Præterea sancta Romana & Catholicha Ecclesia,

Ephe. 4.

illos omnino esse foris, ad salutem propterea ualere siequaquam assequi planè declarat. Porrò tametsi Characterem habeant religionis christianæ, quandoquidem baptizati sunt, illique omnino subijciantur ecclesiasticis legibus, atque ius & potestatem in eos habeat ecclesia, non proinde sunt in ecclesia, non enim sunt per characterem ulli homines in ecclesia sed aut per gratiam, aut per fidem ut diximus: deinde propter susceptum baptismum, ne ludibrio sint christianæ religioni, subijciuntur ecclesiasticis legibus, atque in eos ecclesia profecto habet ius Et propter quidem baptismalem characterem, in quo potestas ecclesiastica, præsertimque iurisdictio fundatur, si quam habeant, cum in hæresim aut in Apostasiam cadunt, eam retinent, saltem quod ad primum actum pertinet, nam potestas ordinis propter in delebilem characterem simpliciter auferri potest a nemine potestas autem iurisdictionis, quia nullum habet characterem, ut Episcopatus, si non in sacris ordinibus numeretur, auferri quidem potest ab eo qui sit maior in ecclesia: quo fit nimirum, ut Papa cum ab eo potestas omnis ecclesiastica pendeat ut pote quam solus immediate habet a Christo, nemoque illo sit maior, nemo illi par aut æqualis, nulla de causa penitus queat deponi: ipse tamen reliquos omnes episcopos ualeat deponere. Cæterũ de his cumulate in secundo libro tractabimus. Itaque subijciuntur illi ipsi de quibus loquimur censuris et pœnis ecclesiasticis & si potestatem habean ecclesiasticam reeedentes impio animo a Christo, & a christiana religione, ipsam; ut diximus retinent; quanquam nullo modo proprie in

ecclesia sancta Dei existunt. Quemadmodum in primitiua ecclesia, & hoc etiam tempore alicubi, cum magistratus essent infideles, erant illi quidem prorsus extra ecclesiam, tamen aliquod ius, atq; potestatem aliquam in ecclesiam Dei habebant, ut Paulus ait Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Et Christus inquit, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Excõmunicati uero, quia non priuantur fide, sunt aliquo modo in ecclesia: at excommunicari, hoc est poni extra cõmunionem eo dicuntur, quod mater ecclesia uehementer cupiens eorum salutem, reiecit illos & exclusit potestate clauium suarum à cõmunione sui corporis, ut ea uia reuocẽtur ad pœnitentiam. Sed hac de re in secundo libro copiose disputabimus. Pagani autẽ, Iudæi, Turcæ, atq; alij omnes infideles, quia sine gratificante gratia, et sine fide tum existunt, tum semper fuerũt, idcirco, neq; sunt, neq; fuerunt unquam in ecclesia. Porro quia baptismum & Christianæ religionis characterẽ nõ susceperunt, nulla proinde ratione potestati ecclesiasticæ subijciuntur. Vt uero quod diximus plane ante oculos ponamus omnibus: Primo infideles omnes cum a corpore tũ a iurisdictione ipsius omnino ecclesiæ alieni sunt. Secũdo, Hæretici, Schismatici, Apostatæ a corpore quidem separati sunt omnino ecclesiæ, uerum eius tamen iurisdictioni subijciuntur. Tertio, excommunicati maiore quidem excommunicatione, neq; a corpore, neq; a iurisdictione separantur ipsius ecclesiæ: sed a fidelium conuersatione, a communione sacramentorum, et a bonorum ac meritorũ, quæ paßim in catholica ecclesia præstantur, a fidelibus & pijs hominibus, Quarto excommunicati minore

excommuni-

excommunicatione, neque a corpore neque a iurisdictione ecclesiæ, neque a fidelium commertio separantur, sed a communione sacramentorum, & meritorum ecclesiæ. Quinto fideles qui nullo episcopali gladio secti sunt ab ecclesia, neque dirimuntur a corpore neque a iurisdictione ecclesiæ, neque a fidelium cohabitatione & commertio neque a communione sacramentorum, neque a bonorum & meritorum universalis ecclesiæ participatione.

De origine & progressu militantis ecclesiæ.

VT plane uideant omnes ecclesiam unam perpetuo esse abinitio mundi usque ad finem temporalium seculorũ diligenter ac breuius quam res tanta fieri possit explicabimus qua serie, quoue ordine deduxerit eam Deus ad hæc ultima usque tempora. Itaque primo ecclesia militans cœpit iam inde ab origine mundi, & usque ad uniuersalem omnium hominum resurrectionem durabit: quæ quomodo semper una sit, facile est uidere, si plane ordinem & progressum eius ad unguem consideremus. Adam inquam & Eua mirificis donis bonitate ac munificentia Dei locupletati erant: ac si Deo maluissent obedire quam Diabolo, nunquam orta fuisset malignãtium atque impiorum ecclesia; tum uero in duobus primis parentibus nostris erat uniuersa ecclesia. cui promisit Deus fore, ut certo aliquo tempore unigenitum filium suum in hunc mundum mitteret, qui serpentis Diaboli caput contereret, dominatumque illius, ac tyrannidem potius, demoliretur. Secundo in Abel, & Cain primis fratribus cœpit sanctorum & iustorum ecclesia dirimi & separari a malignantium ecclesia; & ab Adamo, Abel iusto, Seth, & Enoch, deducta est ecclesia Dei, usque

ad Noe: Tertio ipsius Noe tempestate aquarum diluuio extincta obrutaque omnino Diaboli ecclesia, per arcam Dei ecclesia conseruatur. De Noe quidem inquit Deus, inuenit gratiam coram me: cum autem post diluuium exigua esset ac paruula, denuo repullularunt filij Sathanæ in Cham, & Chanaam. Quarto Sancta Dei ecclesia deuoluta est usque ad Abrahami tempora in quo patefacta est per sensibilem notam circuncisionis: qui profecto diuinam promißionem de benedicendis gentibus in Christo manifestissime audiuit. Cum enim Abraham quinque septuagintaque annorum esset, dignus eloquio diuino factus est: iubeturque de terra sua egredi in terram Chanaan, futuræ benedictionis promissionem accipiens in uniuersas terræ cognationes: atque ab hoc Abrahami quinto & septuagesimo anno usque ad egressum Mosi, & Israelitarum omnium ex AEgypto quadringenti, & triginta anni supputantur. Quinto Ex Abraham non modo per carnalem propagationem & signaculum circumcisionis, uerum iuxta etiam imitationem fidei promanat ecclesia in Isaac, & Iacob, & reliquos patriarchas: qui pauci numero, nempe duo & septuaginta in AEgyptum descendunt: ubi membra ecclesiæ mirifice honorabantur propter Ioseph: quem super AEgyptum rex principem constituerat. Ibi uero ecclesia uehementer creuit: & quamuis ecclesiæ filij cum AEgyptijs corporali familiaritate conuersarentur: fide tamen ab illis dirimebantur: quare post aliquot annos, cum dura seruitute ac barbarica tyrannide premerentur a crudelissimo & obstinatissimo Pharaone, certa fide ac spe uiua Optimum Maximum Deum inuocabant: quem

Gen. 12.

Exo. 12.
Gal. 3.

appellabant Deum Abrahæ, Deum Isaac, Deum Iacob, ea quidem ratione declarantes, conuenire se cum illa fide, cum illa religione, cum ecclesia denique illa, quæ cum Abraham, Isaac, & Iacob olim fuerat Sexto deducitur ex AEgypto per mare rubrum sub Duce atque Imperatore Mose, qui cum Deus palam loquebatur, sicut homo cum amico suo loqui solet, ubi ex institutis ministeriorum Dei, Sacerdotum, Pontificum, leuitici generis ordinibus acceptis a Deo iudicijs, cerimonijs, & sacramentis Christi nasciturі per signa & prodigia manifestatur, eiusdem Mosi cathedra, esse Dei cathedra, sub qua tanta & tam ampla fuit respublica, ut numerus filiorum ecclesiæ potentium ad bella procedere ac gerere bella, nempe a uigesimo anno, esset tria & sexcentamilia uirorum, & quingenti etiam & quinquaginta uiri exceptis leuiticæ tribus hominibus, quorum non intererat bellare, sed in ministerio Dei esse in tabernaculo fœderis, quemadmodum scriptura docet enumeratione facta sub Mose, Aaron, & duodecim principibus filiorum Israhel. Num. 1. Septimo translata ex AEgypto per mare rubrum, et multis annis per desertum plantata est quasi electa uinea in terra quã sæpissime Deus promiserat patribus: ubi congregata in unam rempublicam supra modum creuit sub Ducibus, Iudicibus, & Regibus: sed impinguata, incrassata, dilatata, mox oblita est Dei conditoris sui, quo quidem relicto se turpiter ad gentium Idola conuertit: unde persecutionibus, & bellis, & calamitatibus, & infortunijs compluribus eam Deus frequenter exercuit, & magnis beneficijs prouocata, & expectata ut produceret fructus, adeoq; ut uuas,

quemadmodum conueniebat, ferret, acerbißimas labruscas tulit: Nam Prophetas contemnens, iustosque omnes qui ad ipsam, Optimi Maximi Dei benignitate mittebãtur, eò tandem uenit abominationis atq; impietatis, ut authorem iustitiæ, quem ad se profectò missum debebat magnis honoribus & innumeris laudibus recipere, sæuißimè & crudelißimè occideret: Itaque uerum angularem lapidem reijciens, uerumque & solidum reprobans fundamentum, facta est ipsa Iudæorum synagoga omnino absque fundamento, & se a capite suo Christo ultro & propria uoluntate abscindens, & uerum suum Ducem repudians haudquaquam spiritum habet ueræ uitæ amplius, neque ueram Dei ciuitatem inhabitat, neque ueram Mosi cathedram tenet, neque uerum altare, neque uera sacrificia, neque uerum sacerdotiũ: quemadmodum Prophetæ multo ante prædixerãt fore, quo fit ut omnipotens Deus odio habeat solẽnitates, calendas, uictimas, & sacrificia populi Iudaici, qui populus iam olim ut Sodoma & Gomorra omnino perijsset, nisi Dominus Sabaoth reliquisset semen ex illius horribili clade conseruans aliquot iustos, in quibus permaneret uera Dei ecclesia, cui coagularentur gentes, in qua & conseruatum intelligeretur semen Israel, & spiritualis ciuitas Dei sancta Hierusalem: cui & Deus in Prophetis locutus est dicens: non te deseram neque derelinquam: & rursus, Nunquid mulier potest obliuisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar. Ii uero iusti homines, qui tanquam semen relicti sunt, & conseruati ex horrendo illo Israelitarum excidio, sunt Apostoli, & pauci quidam alij hæbrei: qui crediderunt in Christum. Octauò

Iosu.1. Esa.49.

per hos ab Hierusalem cœpit uera Iesu Christi ecclesia in omnes gentes propagari et crescere per unum Iesum Christum copulantem utrumque populum in unum, ut non amplius ueri sacrificij locus sit constitutus in sola Hierosolima, sed in omni loco & gente, iuxta uaticinium Malachiæ: Ab ortu solis, inquit, usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur: et offertur nomini meo oblatio mũda: quia magnũ est nomẽ meũ in gẽtibus: dicit dominus exercituũ. Ac de Iudæis Paulus ait: Sed obtusi sunt sensus eorum: usque in hodiernum enim diem id ipsum uelamen in lectione ueteris testamenti manet non reuelatum (quoniam in Christo euacuatur) sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moses, uelamen positum est super cor eorum, cum autem conuersi fuerint ad Dominum auferetur uelamen.

Mala. 1.

2. Cor. 3.

De antiquitate & dignitate ecclesiæ.

EX his quæ de origine & progressu aperuimus ecclesiæ facile patet, omnibus oraculis, & scripturis multo esse antiquiorem ecclesiam: Quomodo autem sit etiam præstantior & maioris authoritatis ac potestatis Euangelio & scripturis omnibus ueteris & noui testamenti, exponemus & disputabimus in sequenti libro.

De varijs ætatibus ecclesiæ.

PErspicuum & exploratum habemus, si quem recitauimus progressum, diligenter uelimus considerare: ecclesiam fuisse primo infantem. Secundo puellam:

Tertio adolescentem. Quarto Iuuenem. Quinto grandæuam. A primis quidem parentibus usque ad Noe, adeoque ad diluuium fuit paruula, infans, elinguis, uix enim tempore illo de archanis & diuinis mysterijs fari & balbutire poterat. ad huc enim quasi erat infascijs obuoluta, & tenella in incunabulis iacebat: quippe cum infirma & debilia essent illius membra. Deinde ab ipso Noe ad patrem Abrahamum, & ab hoc eodem usque ad Mosen ex fascijs & incunabulis egressa iam puellaribus annis firmiuscula cœpit erudiri atque imbui sacratioribus & reconditis mysterijs, audiuit de iustificatione, initum est fœdus inter ipsam & Optimum Maximum Deum, confirmatum est fœdus illud maximum, & semper memorabile per circuncisionem, nondum erat lex data, sed ab ipso Deo frequentibus & aßiduis promißionibus alliciebatur, quemadmodum solent tenellæ adhuc puellæ crebro in amplexibus atque in suauibus uerbis charißimorum parentum suorum conquiescere. A Mose porrò fuit adolescens ad eam usque ætatem, qua de seruitute durißima AEgypti reuersa est per solitudines in patriam sibi promißam a Deo: tum legem accepit: ut aspera illius ferula & scutica, lasciuientis adolescentiæ petulantia co-
Gal. 4. hiberetur. & transgreßiones coercerentur. Tum datus est pædagogus; lex enim, ut Paulus ait, pædagogus fuit in Christum. Pædagogia enim quadam opus habebat: ut ad Christum duceretur fontem & authorem humanæ salutis. Tunc in umbris cerimoniarum & uarijs figuris adumbratam Euangelij ueritatem discebat: at nu-

dam claramque ueritatem Euangelij nondum contueri poterat. Ac proinde non quibant filij Israel primum intendere in apertam reuelatamque Mosi faciem: oportebat sane illum uelare faciem suam, cum a diuino conspectu & colloquio ad populum reuertebatur. Tunc plus fidei sub Mose accepit ecclesia, quam unquam ante acceperat. De uetustioribus enim patribus nempe Abrahamo Isaac & Iacob ait: nomen meum non indicaui eis: significans se illud Mosi præ alijs ratione quadam singulari manifestauisse: qui cum facie ad faciem loquebatur, quemadmodum inter se loqui solent amici: quod nunquam antea cum superioribus patribus fecerat. Tunc erat ecclesia nihil propemodum differens a serua & pedissequa sub tutoribus & actoribus: tunc denique sub elementis huius mundi, hoc est, sub certis & definitis ritibus, erat seruiens. De hac re sic Paulus ait: Quanto tempore hæres paruulus est nihil differt a seruo cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre: Ita & nos cum essemus paruuli sub elementis mundi huius eramus seruientes. Gal.4. Præterea fuit iuuenis ecclesia usque ad Christum, que toto tempore gubernabatur & regebatur a iudicibus, a regibus, a sacerdotibus, & alijs Leuitici generis ministris, denique a Prophetis, quanquam uero ad huc erat sub pædagogo, sub tutoribus, & actoribus, sub ferula, sub lege & sub elementis mundi huius ad huc seruiebat: tamen multo clarius et illustrius de Christo, de regno Dei, et de omnibus euangelij mysterijs, per Dauidē, So-

lomonem . Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, & reliquos Prophetas admonebatur, & praecellentes accipiebat reuelationes. Postremo ubi uenit plenitudo temporis, quemadmo
Gal. 4. dum Paulus ait. hoc est, cum iam esset nubilis, & matura uiro, & desponsanda, connubioq; iungenda filio Dei, misit Deus filium suum factum ex muliere. factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.


De rebus & similitudinibus, quibus ecclesia significatur.

IN scripturis diuinis multae paßim offenduntur similitudines & res, quibus magnis de causis ecclesia significatur: per arcam nimirũ ipsius Noe significatur: quoniam ut tempore diluuij una & sola fuit, in qua seruabantur animalia, ne insanis cathaclismi aquis obruerentur: ita una & sola est ecclesia in qua salutem & uitam aeternam consequi homines ualent, tum etiam quia sicut in arca simul & munda & immunda continebantur animalia: sic homines & boni & mali simul in ecclesia manent. Deinde per areã, in qua triticum est cum paleis: per domum, in qua sunt uasa tum aurea & argentea, tum lignea & fictilia: per collegium uirginum, in qua prudentes cum fatuis morantur: per sagenam missam in mare, in qua boni pariter & mali pisces congregãtur: per uineam facientem uuas et labruscas: per agrum, in quo nascũtur zizania simul cum tritico: per alia quam plurima: quae longum & molestum hoc in loco esset recitare. quibus omnibus planè demonstratur, in ecclesia Dei mixtim bonos & malos habitare. Quoniam Porrò

dominus Deusq; noster Iesus Christus fundamentum est, super quod ecclesiam Prophetæ atque Apostoli ædificauerunt: & lapis angularis, quo duo simul coniuncti sunt parietes, hoc est populi: & ostium, per quod quicunque introeunt, ingrediuntur, & egrediuntur, & pascua inueniunt: Christiani autem sunt uiui lapides. quibus ecclesia Dei construitur, & ciues sanctorum, & oues, idcirco uniuersalis & catholica ipsa ecclesia: nunc dicitur unum ouile, nunc una ciuitas, & urbs beata Hierusalem constructa uiuis ex lapidibus: nunc unum templum, & una domus Dei, atq; orationis. Quemadmodum uero ædificium sustinetur & fulcitur ipsis columnis, ita merito ecclesia columna & firmamentum dicitur ueritatis: nulla enim est catholica & orthodoxa ueritas omnino extra ecclesiam: quæ sola errare non potest. Vno præterea pane, atque uno calice significatur: nam ueluti multa triticea grana, ut panis unus efficiatur, conteruntur: & multa etiam uuea grana præmuntur, ut unius calicis uinum exprimatur: ita multi crucifigendi & sepeliendi sunt ueteres homines cum Christo, ut cum illo eodem resurgentes, & renouati per baptismum in unam ecclesiam congregentur. Denique omissis hoc tempore omnibus rebus alijs & similitudinibus, nunc tantum cur ea corpus Christi a Paulo Apostolo uocetur, diligenter & exactissimè declaremus & doceamus.

Quid sit in causa cur ecclesia vocetur corpus Christi.

VNiuersa ecclesia corpus eò dicitur, quod est humano corpori similis: quod sanè pro uarijs membris



actionibus etiam uarijs & diuersis operationibus fungitur, atque illorum singulatim & mutuo alia alijs deseruiunt: id quod Paulus graphicè describit tum in epistola ad Romanos, tum in priore ad Corinthios: Verum age obseruemus quam pulchrè conueniat inter ecclesiam, quæ est mysticum corpus Christi, & humanum corpus. Primo quidem uelut ex nostris membris unum corpus constituitur, cui perficiendo sanè copulatur anima, tanquam, ut Aristotelico uocabulo utamur, enthelechia: & quemadmodum singulis membris opus habet, quandoquidem alia alijs mutuis operationibus, & officijs, & functionibus opitulantur: sic omnino membra se habent militantis ecclesiæ, ob sanctissimæ communionis, & pacis, & concordiæ præcellentem egregiamque uirtutem, ob charitatis uinculum, ob nexum denique fraternæ mutuæque beneuolentiæ, quo fideles ubique gentium astringuntur, & planè insolubiliter ligantur. Secundo uelut membra nostra in regimine proprio se habent, ita quoque membra ecclesiæ: homo enim perinde est ac tabella, in qua religio christiana bellissimè picta sit. Tertio uelut membrum quoduis, aut nobile aut ignobile, aut honorandum, aut pudendum spiritui obtemperat: sic nullum ecclesiæ membrum non obsequitur liberatori et seruatori nostro Iesu Christo. Quarto uelut præstantiora membra non superbiunt, non efferuntur, sed gubernandis regendisque uilioribus membris intenta sunt: ita se prorsus debent gerere membra ecclesiæ. Quinto uelut oculi, totaque ipsa facies aperta est, ne sua uenustate, suo decore humanum corpus fraudetur, neue in aliquod præcipitium incautè dilabatur: ita quoque Apostoli, et Prophe-

Rom. 12.
1. Cor. 12.



tæ, alij que præstantes in ecclesia, qui profectò erant lux mundi, nulla permittebant ratione, ut effreni concupiscentia, utque immodica rerum terrenarum cupidine obtegerentur, quasique obruerentur: tales imprimis decet esse omnes ecclesiæ proceres, atque animarum pastores. Sexta uelut membra inhonesta pudendaque nostri corporis obuelantur uestitus ornatu: sic etiam usu uenit malis & reprobis hominibus, per quos feces ac turpitudines, quæ sunt in ecclesia diffluunt in sterquilinium Diaboli: quo procul dubio ipsi omnes condennati unà cum sordidißimis fecibus suis detrudentur, cum dicet illis iustißimus iudex Christus: Ite maledicti in ignem æternum. Septimo uelut hominum corpus habet suas temporum ætates, uicißitudines, augmenta sua, tum iuxta membrorum quantitatem, tum iuxta sensuum & discretionis incrementa: suis præterea cibis uescitur, nunc istis, nunc illis nunc lacte, nunc solido cibo: ita ecclesia tempora sua habet, suas ætates, & accessus ætatum, suaque incrementa, & status: aperuimus antea quando infans, quando puella, quando adolescens, quando iuuenis, quando fuerit denique grandæua: quamuis autem dixerimus a Christo Iesu domino & Deo nostro usque ad consummationem seculi eam grandæuam esse, quod accipiendum est, & quantum ad Apostolos, & doctores, & alios, qui perinde sunt eminentißimi ac montes in ecclesia: tamen hac ipsa reuelati euangelij ætate, quam Paulus uocat plenitudinem temporis, & Ioannes horam nouißimam, ecclesia quod spectat ad minores, uarias habet ætates, sua quoque habet incrementa, proinde nunc lacte, nunc solido itidem cibo pascenda est, nam

Paulus inter perfectos loquebatur sapientiam & se se omnino eleuabat in sublime. at paruulis & infirmiusculis propinabat lac, & talem se ijs ipsis exhibebat, qui nihil scire aliud præ se ferret, quam Iesum Christum & hunc crucifixum. Ante legem paruula erat ecclesia & uehementer exigua: sub lege aucta est: Denique sub Euangelio tanquam arena maris in uniuerso terrarum orbe multiplicata est: ac eadem in gloria tota coronabitur: totaque sine macula, & sine ruga erit. Quamobrem de ipsa quidem ecclesia, in hoc statu gloriæ cõsiderata, proprie intelligere oportet eas scripturas, quæ planè asseuerant, ecclesiam esse absque macula & ruga: tollendaque omnia scandala è regno Dei: & Hierusalem futuram talem ut per illam non transeat ultra incircuncisus: & non fore amplius in ea luctum, & fletũ, & timorem, & dolorem: nimirum ecclesia quamdiu peregrinatur, & militat, non est sine fletu & luctu, non sine palea, & zizanijs, non sine macula, & ruga, etiam in mẽbris uiuis. Præterea iuxta incrementa sua suas habet leges, suos pædagogos, & alimẽta sua: ut Paulus probè disserit in epi-
Eph. 4. stola ad Ephesios: dedit, inquit, quosdam quidem Apostolos quosdam autem Prophetas, alios uero Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consumationem sanctorũ in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni uento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris: ueritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex

quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam suæ ministrationis secundum operationem in mẽsura uniuscuiusque membri augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate. Hactenus Paulus. *Si aduersarij nostri omnium traditionum & ordinationum ecclesiasticarum laudabilium irrisores, hæc ipsa cognoscere atque intelligere uellent, facilè cum* Augustino *uiderent pro diuersis temporibus & locis oportere diuersas humanas leges condi & sanciri: & humanam legem, quæ pro loco, tempore, causa, ratione, et personarum qualitate iusta sit: pro alio quidem loco, tempore, causa, ratione, & personarum qualitate iniustam esse.* Ac *præterea non decere, ut nunc seruentur ij ritus, & eæ cerimoniæ ad unguem, quæ olim seruabãtur in primitiua ecclesia, sed alij ritus aliæq; cerimoniæ.* Probè *inquit* Ambrosius: *oẽs de clero baptizabãt, quibus cunque diebus, & locis, & temporibus, fuisset occasio, neque enim* Philippus *tempus quæsiuit, aut diem, quo* Eunuchum *baptizaret: neque ieiunium interposuit.* Ad *huc præter septem diaconos, nullus fuerat ordinatus, ut ergo cresceret atque multiplicaretur ecclesia, omnibus de clero inter initia concessum est & euangelizare, et baptizare, & scripturas in ecclesia explanare.* At *ubi omnia loca circumplexa est ecclesia, ex tunc constituta sunt conuenticula, & rectores, & officia in ecclesia sunt ordinata, ut nullus de clero qui ordinatus non esset, auderet præsumere officium, quod sciret sibi non esse creditum uel concessum.* Et *ita cœpit alio ordine, & prudentia gubernari ecclesia quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, & uulgaris res, uilissimaque uideretur.* Hinc *est ut nũc neque* Diaconi *in popu-*

Lib. de correctione Donatistarum cap. 13.

In cõmentarijs Epist. ad Ephe.

lo prædicent, neque clerici, neque laici baptizent. Hæc Ambrosius.

Quo pacto differant inter se mystica & naturalia membra.

MIHI *uero diligentius consideranti uidentur esse tria omnino discrimina inter mystica & naturalia membra: primum quidem quod ecclesiæ membra quando simul compaginata sunt per gratiam & charitatem, nullo situ præscribuntur, nulla determinantur positione: quod tamen fit in corpore humano. Porrò qualecunq; fuerit ipsorum officium, ministerium, dignitas: ij proculdubio sunt uiciniores capiti suo Iesu Christo (quantum ad personam attinet, non quantum ad eorum munus) in quibus gratia & Charitas Dei uberior insit. Secundo Mystica membra diuersissima officia pro uarijs ab Optimo Maximo Deo communicatis dotibus crebro assequuntur: quod in membra ipsa naturalia minimè potest quadrare. Tertio Quamuis dona, uirtutes, & gratiæ, dimanent fluantque in mystica membra ex capite suo Iesu Christo æque ac in membra ipsa naturalia descendant è naturali suo capite animales uirtutes & spiritus: influentia tamen illa & promanatio, quæ quidem ex Christo in membra ecclesiæ fit assiduè atque ipsa mysticorum membrorum operatio & functio libera, uoluntaria & meritoria est. Sed in corpore humano est prorsus cum necessaria, tum naturalis.*

Quibus de causis Christus dicatur caput ecclesiæ.

ECclesiam esse corpus mysticum domini & Dei nostri Iesu Christi, ut maximè conueniebat diligenter explicauimus: nunc postulare uidetur locus ut exponamus, quibus de causis dicatur Iesus Christus uniuersalis & Catholicæ quidem ecclesiæ caput. Quemadmodum Paulus in compluribus locis inquit. Id inquam propterea fit, quod ei cum naturali capite uehementer ac multis modis conuenit. Primo quidem caput & corpus eadem ex anima, & ex eadem carne componuntur. Secundo Caput est pars eminentior & sublimior ipsius corporis. Tertio Iuxta grauiorum sententiam medicorum est caput membris omnibus & præstantius & nobilius. Quarto habet caput uirtutem, qua regit, moderaturque omnia membra & corpus totum, cum & motum & sensum communicet. Similes excellentias & prærogatiuas esse in Christo, nemo, qui sit Christianus, potest inficiari: & earum alias quidem secundum naturam humanam, alias secundum naturam diuinam, alias etiam secundum utranque naturam. Per humanitatem sanè hominum ecclesiæ unigeneus & conformis est: non sic Angelorum ecclesiæ: uerus enim est homo ex humana carne et rationali anima æque consistens ac nos: frater noster est, a nobis tamen sumopere laudandus, & honorandus perpetuo: est enim primogenitus inter multos fratres. Alteram habet, ac tertiam quoque prærogatiuam ex diuinitate, quæ uniuersale principium est omnium rerum: quæ sine ulla proportione, sine ullaque comparatione omnium est dignißima, excellentißima & præstantissima. Imo tertiam habet etiam ex humanitate, si de accidentaria quidem perfectione loquamur,

non autem de essentiali: propterea quod ut per hanc quidē nobis est æqualis, ita est aliquanto minor Angelis. ac perfectione accidentaria multo quoque dignior est omnibus creaturis, quæ sint rationis participes: nam donauit ei pater Deus iam inde a primo suæ creationis momento summam rerum omnium scientiam, & summam gratiam, & summam gloriam, & spiritum denique non ad mensuram. Ioannes

Ioan. 1. enim testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat quem dixi: qui post me uenturus est, ante me factus est: quia prior me erat: & de plenitudine eius nos omnes accepimus: et gratiam pro gratia. Dici quoque non potest quin postrema capitis excellentia & prærogatiua dignißimè atque præstantißimè habeatur a Christo: potest autem bifariam Christus in nos gratiam transfundere: ac primo quidem meritoriè, quod per humanitatem facit, qua suffixa in crucem, tanquam satisfactorio, propitiatorio & reconciliatorio sacrificio, meruit nobis ut in gratiam cum Deo rediremus. Vnde Paulus ait: consummatus factus est omnibus obtemperantibus ei causa salutis. Atque alio in loco idem

Heb. 5. inquit: Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis uitulæ

Heb 9. tulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctū semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo uiuenti? Secundo gratiam in nos ut prima & efficiens causa transfundit, quod secundum naturam diuinam efficit. nam solus Deus potest gratiam & charitatem efficere in nobis. Itaque propter has potißimum quas recensuimus excellentias & prærogatiuas, Christus optimo iure caput ecclesiæ dicitur.

dicitur. Sed iam qua ratione sit caput breuiter explicemus.

Quo pacto Iesus Christus sit caput ecclesiæ.

PRimo Christus ea parte, qua quidem est uerus Deus, fuit semper caput uniuersalis ecclesiæ, non hominum solum, uerum etiam Angelorum: Sed hoc modo est caput externum, propterea quod natura diuina multo est rationis alterius atque humana pariter & angelica. Secundo ea parte qua profecto est homo, caput omnino internum est uniuersalis eius ecclesiæ quæ constat ex hominibus: idque tantum post assumptionem carnis: quanquam fuit semper huiusmodi caput in æterna uoluntatis diuinæ deliberatione: ut enim scribitur in Apocalypsi, occisus est agnus ille immaculatissimus & purissimus iam inde ab origine mundi, quatenus ab origine mundi olim exhibendam mortem filij Deus acceptissimam habuit pro ijs omnibus qui fide promissum hunc agnum fide appræhensuri erant. Ea inquam parte qua Christus homo est, internum caput etiam ante assumptionem carnis fuit, quatenus in cordibus antiquorum per fidem iuxta diuinas infallibiles promissiones habitabat: Sed post carnis assumptionem re ipsa, nedum æterna diuinæ uoluntatis deliberatione, & promissionibus a Deo patribus illis uetustioribus, ultro ac sæpenumero factis & repetitis. Tertio ea parte qua uerus homo est Christus, caput etiam Angelorum est, sed externum: nam Deus quemadmodum scribit Paulus ad Ephesios, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & uirtutẽ, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non

Apoc. 13.

Eph. 1.

ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem eccleſiam: quæ eſt corpus ipſius: & plenitudo eius: qui omnia in omnibus adimpletur. Itaque perſuaſum habeamus, Chriſtum caput eſſe Angelorum, quanuis externum, ſecundum præcellentiam, ea etiam parte, qua uerus homo eſt. Nam et de illo ita Paulus inquit: tanto melior Angelis effectus eſt,
Heb. 1. quanto præ illis differentius nomen hæreditauit. Quarto Chriſtus ea quoque parte qua homo eſt Angelorum etiam eſt alio modo caput externum: nempè ſecundum transfuſionem uirtutum: quippè cum illos præſtantisſimo naturæ
Eſa. 63. ſuæ humanæ ſplendore illuminet: iuxta enim Eſaiæ uaticinium poſtulantibus Angelis, & illis quidem ſupremis ac primatibus, ut ea planè ſcirent de Chriſto, quæ antea ſemper ignorauerāt: Quis eſt iſte, qui uenit de Edom tinctis ueſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua gradiēs in multitudine fortitudinis ſuæ. Ipſemet illis archana ſalutis noſtræ myſteria & ſacramēta Ieſus Chriſtus hoc modo reſpōdens aperuit: Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum: atque alia multa hoc generis eodem in loco recitantur, & narrantur ab Eſaia, dignisſima profectò, quæ planè ſciantur, & habeantur in memoria. Imo & Paulus,
Eph. 3. innoteſcere nunc, ait, principibus & poteſtatibus in cœleſtibus per eccleſiam multiformem ſapientiam Dei ſecundum præfinitionem ſeculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu domino noſtro. Quanto ergo magis per Chriſtum innoteſcit? Chriſtus inquam non eſt unigeneum atque internum caput
Heb. 2. eccleſiæ Angelorum, ſed hominum: quandoquidem Paulus ait: nuſquam Angelos appræhendit: ſed ſemen Abrahæ

appræhendit, hoc est, non appræhendit naturam Angelicam: siue non est factus Angelus: at naturam appræhendit humanam: siue factus homo est, ex Abrahamico semine.

De ministris ecclesiæ.

NOn potest ecclesia Dei sine certis ministris consistere, a quibus erudiatur, pascatur, curetur, & regatur: propterea de ministris etiam ecclesiæ ipsius nobis hoc in libro differendum est: quoniam uero de officijs & ministerijs eorum quam plurimi doctissimi uiri ad unguem & exactissime tractauerunt: ac nos quantum ad ecclesiasticam potestatem attinet: de ijs cum aduersarijs nostris in sequenti libro disputabimus: nunc satis erit si nomina eorum congruo quidem ordine recensuerimus: de quibus multo copiosius agere oportebit in libro sacramentorum. Deinde in præsentia minime tractandum est de ministris ecclesiæ Aaronicis aut leuiticis, qui quidem erant in ueteri testamento. Lex enim illa Mosaica est in morte Iesu Christi abrogata. Itaque hos tantum commemorabimus: qui sunt a tempore domini & Dei nostri Iesu Christi, usq; ad tempus illud quo per iudicium uniuersale iustorum ecclesia ab ecclesia malignantium separabitur, & una cum suo capite Christo in cœlũ perpetuo beanda singulari tryũpho ingredietur: Horum igitur ministrorum alij sunt minores, alij maiores. Minores quidem hij sunt: Primo Ianitores aut ostiarij: Secundo lectores: Tertio exorcistæ dæmonumq; abiuratores: Quarto Acoliti seu ceroferarij, Quinto Psalmistæ aut cantores, qui quidẽ nullo sacro initiãtur ordine: ministri porrò maiores hi sunt. Primo. Subdiaconi:

Secundo Diaconi, & Archidiaconi. Tertio Thesaurarij. Quarto Primicerij. Quinto Presbyteri aut Sacerdotes, et Archipresbyteri. Deinde Presbyterorum: alij sunt Parochi, aut Parochiarum pastores: alij episcopi, qui & pontifices, & præsules, et antistites dicuntur: alij archiepiscopi, aut metropolitani: alij primates: alij Patriarchæ: denique unus & solus Papa ecclesiæ Romanæ episcopus qui solus est maximus & summus pontifex: cui additi sunt Cardinales quasi membra ipsius: hic solus habet potestatis plenitudinem: alij autem ministri uocati sunt in partem sollicitudinis: Deinde omnes Presbyteri uocati sunt in parem potestatem ordinis: at non tamen iurisdictionis. Omnes quidem potestatem habent æqualē super ipsum naturale corpus Christi, nam possunt omnes indiscriminatim conficere sacramentum corporis & sanguinis Christi: non tamen æque omnes habent potestatem iurisdictionis: quæ data est super mysticum corpus Christi: hoc est, super ecclesiam: imo sunt qui nullam habeant iurisdictionem: quandoquidem nemini præficiuntur. quicunque uero habent, qualemcunque iurisdictionem (cum soli Papæ commissa fuerit immediate a Christo uniuersalis ecclesiæ cura, & regimen) habent a Christo illi quidem, sed tamen per Papam, sibi aßignatos particulares greges, ecclesiasque particulares, singuli nimirum singulas ecclesias. Verum sequenti libro hanc rem uberius exponam & disputabo cum hostibus sanctæ & catholicæ ecclesiæ.

IOANNIS ANTONII DELPHINI CONVENTVALIS

Franciscani é Casali maiore de ecclesia.

Liber Secundus .



ON *ab re magnum diu certamen fuit inter mortales, quamobrem, tum in rerum publicarum administrationibus in que negocijs & rebus humanis quibuslibet, tum in ipsa ueritatis inquisitione adeò uariæ sententiæ, adeò sint hominũ diuersa iudicia? cum tamen se interim putent omnes recta uia & regia incedere, & nusquam falli atque aberrare. Hæc ambigua quæstio diluenda est, ut exploratum habeamus, quid sit causæ, cur tot pestilentes opiniones, & uariæ, & diuersæ, inuectæ fuerint semper ac præcipue his temporibus, in ecclesiam* Dei.

Cum primum fuimus pro inobedientia, primi hominis constituti peccatores: ita naturale humanæ mentis lumen obtenebratum est uitiorum caligine, & rerum altißimarum, Deiq; in primis turpißima ignoratione, ut cœperit quamprimum, quasi sub uelaminibus, occultißima ueritas omnibus hominibus delitescere. Humanus quidem intellectus apprehendere nihil potest sine rerũ phantasmatibus: hæc uero sine rerum externarum adminiculo haberi non queunt: quando autem in sensorijs talia rerũ simulacra hærent, quæ græco nomine appellauimus phantasmata, necesse omnino est, ut quauis alteratione subiectis eorum qualibet ratione

agitatis, & conturbatis, ea quoque ipsa non parum agiten tur, & conturbētur: hac de causa fit, ut cum intellectus noster, concipiat nihil sine illis, magno negocio, & magna difficultate, adhibeat rectum, probumq; iudicium in exequenda ueritate pura, et syncera, de ijs rebus quas appræhēdit: hac grauißima inquam de causa fit, ut propemodum semper, cum aliquid uenit in controuersiam, tot sententiæ sint, quot capita, præsertimq; in reconditis, & arduis negocijs, aut quidem non sunt eadem phantasmata in omnibus hominibus, aut non eodem sanè modo commouentur: hinc philautia oritur, quæ ueritati densißimas tenebras offendit: ut nós placentes, & blandientes nobis multo plus quam par est, ea duntaxat uera esse in animum nostrum temere, ac pertinacißime inducamus, & ea obnixe manibus, pedibusque tueamur, quæ nobis in mentē utcūque uenerint: alios autem, qui opinantur secus atque nos, haud dubie falli, & decipi existimemus: ac propterea sumus capitones uel ut Græci dicunt, ἀτέραμνοι, hac ratione fuerunt ex antiquis philosophis quibus nihil uerū esse uidebatur. porrò Academici omnibus ueris falsa quædam adiuncta esse dixerunt tanta similitudine, ut in ijs nulla insit certa iudicandi, & aßentiendi nota: ueluti ergo, siquis ob oculos rubrum aliquod uitrum apposuerit cuipiam, is continuo affirmabit rubra esse omnia, quæ per huiusmodi uitrum contuebitur: ac si quidem tali uitro amoto, qualecunque uitrum aliud accesserit, quam primum iudicabit, omnia immutari: quippe cum rerum species corporis διαφανέως, & pellucidi, per quod eas trāsire contingit, atque ad oculos deferri, speciebus commisceātur: ita quoque intellectus noster de rebus notiones conci-

pit, quatenus ei res offeruntur per phantasmata, utpotè sine quorum speculatione fieri non potest, ut quippiam intellectu assequamur. Hoc fuit in causa, quare magnus, & celebris olim philosophus Carneades contra Stoicorum dogmata scripturus partē sui corporis superiorem, Hellebo ro albo purgarit. Ipse quidem, cum humanæ ratiocinationis momenta sedulo consideraret, uidit prudenter, posse nullo propemodū negocio euenire, ut aliena, distortaque omnino uisa fiāt animo præsentia ob uitiatos, agitatosque humores, ex quibus præpostera illa phantasmata, & cooriuntur & afformātur: atque inde uera æstimatio, & uitiatur, & obruitur: si aduersarij nostri uellēt imitari Carneadem, ac suæ mētis purgare insaniam albo Helleboro, priusquàm scriberent contra sanctam & catholicam ecclesiam, tum sanius intelligerēt, tum prudentius tractarent uerbū Dei, & promiscuam multitudinem synceriore doctrina imbuerent: quā attingere humana sapientia, & mens non potest, quandoquidem ipsa humi repit, ac nimium temeraria et stolida est: tum propter allatam in mediū à nobis paulo ante rationē: tum propter Diabolum transfigurantem se in angelum lucis, & ministros suos pernicioso furore commotos indesinenter excitantem, ac satis superque inflammatos magis in dies accēdentem, aduersus ecclesiam Dei: quæ cū sine uerbo, & sapientia Dei non queant consistere, in hoc studium totis uiribus incumbit ille, ut perturbent sui ministri fallacijs, imposturis, & sophisticis cauillationibus puritatē euāgelij, & uniuersæ christianæ doctrinæ. Hinc tot bellorum faces in christianā rempublicā inferūtur: hinc tot Sathanæ ac ministrorū eius causa paßim zizania sparguntur in po-

pulis: hinc tot oriuntur disſidia, hæreſes, factiones, hipocryſes, ſuperſtitiones, idololatriæ, atq; huius generis calamitates innumeræ: hinc religio aboletur: cultus Dei obruitur: ſeducitur, quoad eius fieri poteſt, eccleſia: et in abyſſum omnium errorum paulatim ducitur.

Itaque nos pro eccleſia cōtra hoſtes eccleſiæ ſcripturos decet uacuos eſſe malis & prauis affectionibus: ut metu odio, philautia, inuidia, ambitione, adulatiōe, talibuſq; alijs morbis, & ægritudinibus animi: quibus ita mens obruitur, ut nullo modo integrum habeat ueritatem deprehendere: nos inquam ſumma ope niti decet, ut quando ignorantiæ tenebris oppleti ſumus, & carnis paſſionibus, & perturbationibus cōtinenter exercemur, bona fide repurgemus phā taſiā helleboro albo: ideſt uerbo Dei puro & ſyncero, & diligenter quidem expenſo ab orthodoxis & catholicis patribus. quorum ſanè doctrina approbauerit eccleſia: quæ teſtimonio ſuo fecit, ut probè cognoſcamus libros autenticos, & ſacros, et canonicòs: eoſq; ab alijs diſcernamus quibuslibet. Verbum enim Dei, quod in ſanctis ſcripturis continetur, quaſi albus helleborus eſt, non carnis ſed ſpiritus: & lapis etiam lydius eſt: quo proculdubio, cum ipſum a ſancta & catholica eccleſia, ut decet, ſuſceperimus, aurum ſyncerum a falſo quam facillime poteſt diſcerni, hoc eſt uera doctrina a ſophiſtica, & adulterina: deinde quaſi uitrum, & perſpicillum eſt, quo planè oculi mentis humanæ quamlibet obtuſi diuina perſpiciunt. Itaque purgemur hoc helleboro: hunc ſemper ad manus lapidem habeamus: hoc ſit nobis ante oculos uitrum: per hoc in animum noſtrum deſcendat ueritas: nullis prauarum ſcientiarum aut noſtrarū cogitatio-

num speciebus commiscebitur: & ne deprauari quidem poterit, si tali consilio taliq; ratione tractauerimus diuina, theologica, & cœlestia dogmata, & mores christianos.

Cæterum si quando nobis occurrat ambigua, & difficilis quæstio circa uerbum Dei, *ne stolidos, & arrogantes aduersarios nostros imitemur: qui suæ prudentiæ confidentius, & obstinatius æquo innituntur, omnium patrum et recentiorum & uetustißimorum theologorum sententijs pro nihilo habitis: ac proinde hallucinantur, et turpißime aberrant. Sic fecerunt omnibus ætatibus hæretici. Sed peritos uiros, & probatissimos quosque doctores ecclesiæ consulamus: ut tamen adhibeamus iudicium nostrum, & diligentiã nulliusq; addicti simus pertinaciter iurare in uerba magistri.* E*laborauerunt illi satis superq; in sacris lib. enarrãdis in arduis, et nodosis enodandis quæstionibus, in probè instruendis fidelibus, in refellendis hæreticis, in defendenda ecclesia, in propaganda ueritate: crediderunt tamen, se alicubi errare posse: ac ideò sua omnia scripta ultro subijciebant calculo uniuersalis ecclesiæ: sine cuius testimonio, admonitione, iudicio, et approbatiõe, ne euangelio quidẽ credidissent.* Ita *nos quoq; animati esse debemus, & similiter facere: utilis apud* Ciceronem *sententia extat: non tam authores, ait ille, disputando, quam rationis momenta quærẽda sunt: quin & obest plerunque ijs, qui discere uolũt, authoritas eorum qui se docere profitentur: desinunt enim suum iudicium adhibere: id habeant ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum uident: nec uero probare soleo id, quod de* Pythagoricis *accepimus: quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cũ ex ijs quæreretur: quare ita esset: respondere solitos,* Primo libr. de natura Deorum.

ipse dixit, ipse autem erat Pythagoras: tantum opinio præiudicata poterat, ut etiam sine ratione ualeret authoritas. Quamquã igitur adhibere iuditiũ nostrum debemus: tamẽ alios consulamus: sentẽtias conferamus aliorum: omnia probemus, et experiamur: teneamus quod bonum est: et ne adeò stolidi simus, & capitosi, ut pertinaciter existimemus, ea solum recta esse, et recte dici, quæ nobis in mentẽ ueniũt: alioqui fiet, ut nobis lumen ueritatis illucescat nunquã: fiet quoque, ut sine fine tumultuemur, & nullo prorsus tempore simus concordes. Postremò ante omnia cauẽdum est, ut nihil opinemur, approbemus, faciamus, et proferamus, quod uerbo Dei contrarium sit, quodue pugnet cum sanctis & laudabilibus decretis & sanctionibus catholicæ ecclesiæ. Illa enim cum sit columna ueritatis, non potest errare.

His igitur molestißimis temporibus, cum fuerint, qui barbarico & penè turcico furore agitati, omnẽ catholicæ ecclesiæ potestatẽ euertere, prorsusque abolere conati sint, editis etiã, et ubiq; sparsis in hoc libellis quam plurimis nefarijs, & pestilentibus, quibus auertant, si fieri poßit, omnium populorum animos à præpositorum, et pastorum suorũ obedientia, & à sana doctrina: quibus et omnes trahant nõ ad christianã libertatẽ, quẽadmodũ ij nugantur, & plus satis gloriantur: sed potius ad turpißimã & perniciosißimã quandã licentiã carnis: qua omnes homines proculdubio efficiũtur, iuxta poetæ comici grauißimã sentẽtiã, deteriores. Cũ talia inquã portenta emiserit Diabolus in perniciẽ ecclesiæ: in tãtis rerũ cõfusionibus, haud quaquàm diutius potui silere: cõmotus enim ardẽtißimo benignæ omniũ fideliũ matris ecclesiæ zelo, quæ nimirũ est domus Dei patris nostri,

et domini nostri Iesu Christi, ueritatisq; fundamẽtum, et columna: Postquã satis multa de ipsa ecclesia superiore libro disserui, iam superest, ut de ecclesiastica potestate librũ alterũ faciã, in quo pro modulo uiriũ mearũ defendã ueritatẽ, confirmãdo interim nostra et cõfutãdo aliena, præcipuũ uero animi mei propositũ erit aduersarios nostros cõfutare, planèq; ostẽdere ipsorũ argumẽta, quibus catholicã ueritatẽ oppugnãt, leuia esse, ac nullius momẽti: In cõfirmandis autẽ nostris nemo postulet à nobis demõstrationes: sed abũde sufficiat omnibus, si nos bene rem tractauerimus, et ueritatem posuerimus omnibus ante oculos, iuxta perpetuã omniũ orthodoxorũ patrũ sentẽtiã, et sanctæ et catholicæ ecclesiæ cõfeßionẽ: nec enim speramus fore, ut aduersarij nostri cõuincãtur, & resipiscant, etiã si demonstrationes in mediũ quis afferret: quãdoquidem sunt pertinacißimi et obstinatißimi, ac proprio spiritu omnes scripturas interpretantur, & uerbum Dei omnino uitiant, penitusq; deprauant.

Quid nomine potestatis significetur.

POtestas à possum deducitur: multaq;, ut Paulus iurecõsultus ait, habet significata: in persona quidem magistratuũ significat imperiũ: in persona liberorũ patriã authoritatem: in persona seruorũ, dominiũ. Cũ uero agimus de noxæ deditione, cũ eo qui seruũ defendit, præsentis corporis copiã et facultatẽ. Porrò et potestates dicũtur principes potẽtes, quos Græci δυνάστας uocãt: et ij qui magistratus gerũt, et iudicijs præsunt. Ita Paulus inquit, oĩs aĩa ptãtibus sublimioribus subdita sit. Vnde nõ inepte prætores urbiũ ptãtes nũc uulgo appellamus. Cæterũ nos ptãtis nomine utemur in præsentia pro facultate, quam dominus Rom. 13.

noster Iesus Christus dedit ministris ecclesiæ super corpus suum, & naturale, & mysticum: quæ potestas dicitur interdum clauis in sacra scriptura quẽadmodũ postea explicabimus actenus de nomine potestatis, deinceps breuiter, et planè ostendemus quotuplex sit hæc, de qua loquimur potestas.

Duplicem esse potestatem.

QVemadmodum politia duplex est, una ciuilis, & altera ecclesiastica. Ita etiam est duplex potestas: una ciuilis, quæ & secularis, et terrena dicitur, quandoquidem ad secularis, terrenæq; uitæ prouidentiam spectat. Altera ecclesiastica, quæ spiritualis uocatur, propterea quod circa illa uersatur, quæ ad spirituale uitam pertinent. In his autem cum politijs tum potestatibus uarij sunt gradus, & diuersi ordines potestatum: qui omnes tamen ab uno quasi capite sine dubio pendent, nã politia seu potestas ciuilis pro capite suo habet principem, regem, aut imperatorẽ. Sed caput ecclesiasticæ potestatis aut politiæ summus pontifex est: ut loco suo dicemus, & probabimus. De his duabus potestatibus Gelasius Papa inquit, duo sunt quippe Imperator Auguste, quibus hic principaliter regitur mundus, authoritas sacra pontificum, & regalis potestas. Exposuimus duplicem potestatem. Nunc ciuili potestati ecclesiasticam multis modis antecellere breuiter exponamus.

Ad Anastasium Imperatorem. Dis. 96. ca. duo sunt.

Ecclesiasticam potestatẽ ciuili esse antiquiorem.

Gene. 4.

PRimo ecclesiastica uel spiritualis potestas longe antiquior est ciuili: atqui sacerdotium fuit in Abel iam inde ab origine mundi. Legitur. n. quod sacrificium Deo acceptissimum, & gratissimum obtulerit. Et Aug. ait, tria maximæ iustitiæ præconia in Abel fuisse comprobantur. s.

Ad Orosium.

uirginitas, sacerdotium, & martyrium, in quibus Christi figuram primus gessit. Deinde in ipsa lege naturæ, cum legitime nondum ulla esset regia dignitas, cum primogenitura coniuncta erat sacerdotalis dignitas. Primogeniti quidē a Noe usq; ad Aaron sacerdotes nominātur. Melchisedech n. appellatur sacerdos, qui Sem fuit Noe filius, ut sentiunt catholici doctores: quod si etiam rex dicatur, id non ratione fuit primogenituræ. Præterea in ipsa etiam scripta lege apparet, sacerdotium fuisse ante regiam dignitatem. Quando quidem scrip. introducit Samuelem sacerdotem unxisse mādato Dei Saulem primum in Israelitico populo regem. Gen. 14. 1. Re. 10.

Probatur sacerdotio regnum esse antiquius.

S*Vnt qui opinentur fuisse regnum ab origine mundi, non autem sacerdotiū. tum quia, ut Augustinus ait, Cain fuit primus inter homines dominus. & scriptura testatur in Nembroth fuisse dominium, aut regiam potestatem. quo tempore nondum erat in aliquo sacerdotium, ut pote quod tēpore scriptæ legis incœpit, quemadmodum in Exodo facile est uidere, tum quia uerum sacerdotium in Christo uidetur incepisse, regnum autem diuina ordinatione saltem incœpit multis ante annis in Saule.* De ciuit. Dei. Gen. 10. Exod. 28.

Confutatur recitata opinio.

C*Aeterum hi falluntur maximi opinatores: non enim Cain & Nembroth legitime fuerunt domini, aut reges, sed ui homines opprimebāt, neque sacerdotium incœpit in Christo, quippe cum Christus fuerit sacerdos, maneatq; sacerdos in æternū, secūdū ordinē Melchisedech, ut Paulus docet authoritate Dauidica. quāquā illud antiquorū sacerdotiū figura erat futuri olim sacerdotij in Christo.* Heb. 7.

Origine potestatem ecclesiasticam digniorem esse ciuili potestate.

DEinde potestas ecclesiastica dignior & nobilior est ciuili, quantum ad originem pertinet, nam spiritualis potestas immediate fuit à Deo, legitimeq; à principio introducta. Secularis autem fuit à principio uiolenta quemadmodum constat ex maximis, & præcipuis Aßyriorum, Chaldæorũ, Medorum, Persarum, Græcorum, et Romanorum imperijs. Aßyriorũ quidem, & Chaldæorum imperia cœperunt, in Nẽbroth, de quo in Genesi dicitur. Cœpit eße potens in terra, & erat robustus, & uenator, id est, iuxta Alcuini expositionem, oppressor hominum & extinctor: Babylon autem fuit principium regni Nẽbrothici, & Arad, & Archad, & Calanne. à Nembroth uero descẽdit Aßur, qui Niniuen condidit. Porrò Medorum, & Persarum imperium fuisse uiolentum depræhenditur ex propheta Daniele, qui sanè inquit, regnum & imperium trãslatũ esse in Medos, & Persas, post mortẽ occisi Balthasaris regis Babylonis. Præterea colligitur ex Machabæorũ lib. imperium Græcorum, quod Medorum & Persarum imperio succeßit, ab initio fuisse uiolentum. Deniq; Romani imperij uiolẽtia manifestior est, quam ut probatione indigeat. cum igitur imperiorum & regnorum origo semper fuerit uiolenta, perspicuum est ciuili potestati lõge antecellere potestatem ecclesiasticam, quantum ad originem pertinet.

Gene.10. Dan.5. Mach.1.

Potestatem ecclesiasticam digniorem simpliciter esse ciuili potestate.

IMo simpliciter dignior est, quoniam, ut Innocentius tertius inquit. Spiritualia tanto sunt digniora secularib.

Extra de maio. & obe.c.solite. Et dist. 96. c.duo.

quanto anima præfertur corpori, & Ambrosius ait. Aurum non esse prætiosius plumbo, quanto regia potestate sit ordo sacerdotalis dignior, uel altior. deinde etiam maior & dignior simpliciter est authoritas & potestas eius, qui sacrat, benedicit, & sanctificat, quam eius qui sacratur, benedicitur, & sanctificatur. Paulus enim ait. Sine contradictione maior est, qui benedicit, quam qui benedicitur. in ecclesia uero sacerdotalis dignitas regalem potestatem sacrat, & sanctificat per benedictionem. Heb. 7.

Ecclesiasticā ptātē esse ciuilis ptātis cām efficientē.

P*Ræterea secularis potestas ab ecclesiastica pendet, tanquam ab eius causa efficiēte bifariam. Primo nimirū quatenus per sacerdotes uolēte Deo reges instituūtur, atque ordinantur. legitur enim in primo libro Regum, quòd cum filij Israel postularent à Samuele, ut ipsis regem constitueret, illeque dominum consuluisset, ad eum respondit dominus. Audi uocem eorum, & constitue super eos regē. Inficiari autem potest nemo, Samuelem fuisse sacerdotem. Quandoquidem sacrificium obtulit, & unxit reges. Saulē, & Dauidem, & Augustinus ait, Heli reprobato, substitutum in Dei ministerio Samuelem fuisse. Secūdo potestas ecclesiastica eò causa efficiens est ciuilis potestatis, quod hæc non sit uera, & legitima potestas, nisi quatenus ab ea est. nam uelut morales uirtutes non queunt absolutam uirtutis rationem habere sine fide Christi, utpote quod non ordinent, neque dirigant homines ad eum finem, qui sit omnino, & simpliciter ultimus, qui formaliter inquam est beatitudo ipsa, & obiectiue Deus Optimus Maximus, at solum ad eum, qui secundum aliquid sit finis, qui ue humanas facul* Cap. 8. Lib. 17. de Ciuit. dei cap. 4.

tates minime superet, probe quidem ait Augustinus, *Vbi non est agnitio incõmutabilis ueritatis, falsa est uirtus etiã in optimis moribus, & rursus idem inquit, Vbi sana fides non est, non potest esse iustitia. Similiter dicendum est de potestate ciuili, cuius propositum est ducere subditos suos ad uirtutes, eam nimirum haudquaquam perfectam, & absolutam potestatis rationem habere, nisi ordinet, dirigat, & ducat aliquo modo subditos suos ad finem, qui est similiter ultimus, quod profecto nisi per ecclesiasticam aut spiritualem potestatem fieri nequit* Augustinus *appositißime inquit*, Et *nunc reges intelligite &c*. Quomodo *ergo reges seruiunt domino in timore? nisi ea quæ contra iussa domini fiunt religiosa seueritate prohibendo, atque plectendo?* Aliter *enim seruit quia homo est, aliter quia rex est, quia homo est, seruit fideliter, quia uero etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conueniẽti rigore sanciendo, sicut seruiuit* Ezechias, *lucos & templa idolorum, & illa excelsa, quæ contra* Dei *præcepta fuerant constructa, destruendo.* H*æc* Augustinus.

28.q.1.ca. omnes. 24.q.1.cap. ubi sana fides.

Lib. de corect. donatistarum ad Bonifacium comitem.

Potestatem ecclesiasticam esse ciuilis potestatis causam formalem, & finalem.

P*Ostremo ciuilis potestas ab ecclesiastica pendet tanquã à formali causa: quemadmodum enim charitas forma omnium uirtutum est, omniumq́; humanarum actionũ, & operationum: non eò sanè, quod illis inhæreat, quodque illas informet, sed quoniam eas regulat, & dirigit in ultimum finem, atque illas ita perficit, ut eò sint perpetuæ beatitudinis meritoriæ, quod inclinatione charitatis eliciantur & fiant. itidem spiritualis, & ecclesiastica potestas forma*

est ciuilis

est ciuilis potestatis, illã sane ordinat, quatenus eã regulat, & formã ei regiminis præscribit, & quidẽ finis potestatis ciuilis ad finem ecclesiasticæ tanquam ad sublimiorem & digniorem ordinatur. cũ uero, ut Aristoteles probe ait, complures sint actus, & artes atque scientiæ, fit ut multi sint etiã fines. medicinæ namq; finis, est sanitas, artis extruẽdarum nauium, nauis. Facultas rei militaris: uictoria: et familiaris rei gubernandæ, diuitiæ. Quæ autem taliũ sub aliqua una potentia sunt, ut ars conficiendorum frænorum, cæteræq; omnes instrumentorum equestrium effectrices, sese habent ad facultatem equestrem, & hæc cum illis omnisq; actio bellica ad militarem facultatem, & ad alias aliæ simili modo. In ijs omnibus fines earum quæ rationem architecturæ subeunt (quemadmodum etiam se habet potestas ecclesiastica ad ciuilem) magis sunt expetibiles, quam omnes fines inferiorum, et illi enim horum gratia expetũtur. Præterea sic potestas ciuilis ecclesiasticæ tanquam præcellentiori subordinatur, ut Felix Papa dicat, Constitutiones principum contra canones, & decreta præsulum Romanorũ uel bonos mores, nullius momenti esse. Vnde ciuilis potestas pendet etiam, ob eandem rationem, in genere causæ finalis ab ecclesiastica: sed omissa ciuili potestate de ipsa tantum ecclesiastica potestate nobis differendum est.

In prohemio primi ethic.

Dist. 10. ca. constitutiones.

Nomine clauium significari potestatem ecclesiasticam.

Math. 16.

Potestas ecclesiastica nomine clauiũ significatur apud Mattheum. Claues enim quandam significant domesticam administrationem, & summam quandam authoritatem, idq; metaphorice: nam quemadmodum claues

instrumenta sunt, quibus ita clauditur domus, ut pateat nemini, utq; omnia sint occulta, quæ in domo continentur. quibus etiam sic aperitur domus, ut ingredi facile queat homines, & rimari, & diligenter omnia inquirere, ac plane intueri, quæ sunt uel in abditißimis quibusq; angulis, et recessibus, & secretissimis conclauibus: simili quoque modo possunt ea, qua donati sunt authoritate ministri ecclesiæ a domino nostro Iesu Christo illos arcere, et repellere, et excludere à domo Dei, hoc est ab ecclesia, qui obstinato animo palam impij sunt, quiq; habent cor durum, & impœnitens, ut spiritualibus donis omnino sint uacui, ut minime inquam participes fiant sacramētorum ecclesiæ aliorūque mysteriorum Dei. Itidem possunt redeuntibus uere ad pœnitentiam aditum patefacere in ecclesiam, sacramenta illis communicare, atque ostendere, ac porrigere omnia diuina mysteria. quod sanè quo pacto intelligatur, mox dicam.

Duplicem esse potestatem ecclesiasticam.

Potestas ecclesiastica duplex est, aut duæ sunt claues in ecclesia, una quidem est ordinis, quæ etiam sacramentalis dicitur, & altera est iurisdictionis. prima sanè confertur per aliquam certam consecrationē pro conficiendis et administrandis sacramētis ecclesiæ. deinde altera pro moderandis, & regendis populis Christianis communicatur, non aliqua certa consecratione adhibita, sed iniunctione duntaxat uel Dei, uel hominis hoc in tanto negocio gerentis uicem Dei. & prima est quidem super uerum corpus Christi, quod in sacramento Eucharistiæ continetur, altera super mysticum est domini nostri Iesu Christi corpus, quod proculdubio est ipsa fidelium ecclesia.

Poteſtatem ordinis duplicem eſſe.

Poteſtas illa eccleſiaſtica, quæ ordinis poteſtas, & ſacramentalis nominatur, eſt duplex. una ſcientiæ: poteſtatis altera: quamquam uero clauis utraque, poteſtas quædam eſt, tamen earum una ſcientiæ clauis appoſitißime uocatur, & altera poteſtatis, quæ poſſet etiam commode nominari clauis iuſtitiæ. Sed quamuis utraque, ut dixi, poteſtas quædam ſit, prima diſcernendi, & altera ligandi, ac ſoluendi. prima tamen uſitatius uocatur clauis ſcientiæ, quam altera uocetur clauis iuſtitiæ. propterea quòd prima nunquam in ſancta, & catholica eccleſia, uel recte, uel perperā exequitur actum ſuum abſque ratione, ac ſcientia, ſed altera quidem clauis exequitur interdum ſine iuſtitia actum ſuum, tametſi perperam, & inique illud fiat. ac propterea generico nomine clauis poteſtatis appellatur. Verum age tranſigamus, de utraq; ſigillatim. et de claue quidē ſciētiæ in primis.

Cur data ſit clauis ſcientiæ, et quibus data ſit.

Quoniam fieri non poteſt, ut quis rectam laudabilemq; ſententiam ferat, niſi prænoſcat ea diligenter, quæ iudicanda ſunt, perſpicua enim cognitio ſemper anteire debet iudicium, niſi uelimus in ferenda ſententia turpiter aberrare. Propterea ſacerdotibus data eſt ea clauis, quæ ſcientiæ clauis nominatur, qua illis integrum ſit peccata fidelium hominum ea confiteri uolentium, non ſolum publica uerum occultißima quæq; diligenti ſtudio inquirere, atque illa examinare ad unguem. Qui enim ſcirent miniſtri quæ remittenda eſſent peccata, quæ retinenda, ſi tātum publica, omißis occultis, aut nos confiteremur, aut illi oſcitabunde percunctarētur? Quomodo nos peccatorū diſ-

ferentias edocerent? quomodo nobis consulerent? quomodo si præoccupati essemus in aliquo delicto facinoroso & occulto, ij qui spirituales sunt, nos instaurarent in spiritu lenitatis? Porrò nunquid minus premimur occultis sceleribus, quàm publicis & manifestis? nunquid minus egent curatione secreta peccata, quàm ea quæ in propatulo committuntur? Itaque sacerdotum maxime interest à pœnitentibus audire, seduloq; ab eis inquirere tum occulta, tum publica & manifesta peccata. Verum de cõfessione tractabimus loco suo & aduersariorum nostrorum argumenta diluemus quæ illi afferre solent, & omni conatu, labore, & studio colligere.

Clauem scientiæ, scientiam non esse, sed potestatem quandam.

CLauem hanc proprie scientiam aut notionem aliquã esse, nemo arbitretur, quanquam scientiæ clauem nominamus, alioqui ij soli haberent eam, qui docti essent, quamuis etiam sacerdotes minime essent: neque ignaris atque imperitis daretur sacerdotibus, dũ sacris, adeoq; sacerdotij ministerio et gradu initiãtur, aut profecto simul cum ordinibus, cumq; manuum impositione doctrinam susciperent. Hæc igitur scientiæ clauis non est doctrina ulla, neque scientia, sed potestas quædam est prius inquirẽdi, et cognoscendi mores alienos, & peccata subditorum, quàm feratur æqua sententia per clauẽ potestatis. nulli ergo ante sacerdotalium ordinum collationem, siue ante sacerdotalẽ consecrationem legitime factam ab Episcopis quãlibet doctissimis, animum suum inducant, aliqua ratione se clauem huiusmodi habere, quæ omnibus datur sacerdotibus etiam

imperitissimis. Quid enim? an siquis planè ignoret, quid, quòue modo agendum sit, necessarium est proinde sequi, eũ esse potestatis ad agendum expertem? minime gentiũ. Nã plurimos nouimus, qui multarum rerum efficiendarum potestatem habeant, quas tamen nesciant efficere: denique res, ut paucis dicam, ita se habet, ut sacerdotes eorum inscij, atque ineruditi, quæ tenẽtur scire, possint quidem, sed nesciãt cum pœnitẽtem examinare, tum aut pro illo, aut cõtra illũ ferre sententiam æquißimam & iustissimam: Vnde cum uenerit tempus reddendi œconomiæ suæ rationem dabunt pœnas. laici uero, qui sunt eorum docti, planè sciunt, quomodo examinandum sit, quomodoue sit ferenda sententia, sed neutrius efficiendi potestatem habent. Periti aũt sacerdotes & sciunt, & possunt merito inquirere, & iudicare. Hactenus de ipsa claue scientiæ, reliquum est, ut de claue potestatis agamus: quæ omnino debet esse clauis iustitiæ.

Clauis potestatis quid sit, & quorum sit, quomodo nunc singulariter clauis, nunc pluraliter claues, dicatur.

CLauis potestatis est facultas & authoritas ferendi sententiam de aperiendo seu claudendo alicui regnò cœlorum: hæc autem clauis in primis est præpotentis Dei, quippe cum illam sic habeat Deus, ut à nemine habeat. ut inquam habeat independenter tanquam dominus, & pater, & supremus opifex, & moderator ecclesiæ. cũ autem Christus in domo Dei, hoc est in ecclesia, non æque seruus ac Moses, qui perinde atque fidelis famulus uersatus in domo Dei est, sed tanquam filius in domo sua fuerit, summa & eadem æterna est authoritate administrationis, à Heb, 3.

patre Deo accepta, quemadmodum ipse, data est mihi, ait, omnis potestas in cœlo & in terra. & rursus, Pater omne iudicium dedit filio, atque, ut Paulus ait, omnia subiecit sub pedibus eius. ac iterum, ipsum dedit caput super omnem ecclesiam quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, ac proinde omnipotens Deus inquit promittens Christo huiusmodi clauem apud Esaiam, dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & nemo erit qui claudat. & claudet, & non erit qui aperiat. clauem igitur hanc potestatis credimus, & confitemur esse in Christo non tanquam in prima causa, sed præcellenti quodam modo, ut haud dubie ualeat sententiam ferre uniuersaliter in omnibus causis de aperiendo, deq; claudendo regno cœlorum. Quippe cum uniuersaliter nouerit omnium hominum bona, & mala, quæ proculdubio sunt causæ, aut claudendi, aut referandi cœlum. Idem quoque facit immobilitate, ac firmitate iudicij, quandoquidem ipsius uoluntas omnino inseparabiliter coniuncta est, & penitus cõformis diuinæ iustitiæ. Vnde proculdubio sententia ipsius irreuocabilis est. in hunc uero sensum accipienda sunt ea uerba: Hæc dicit sanctus, & uerus, qui habet clauem Dauid, & qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Sic etiam uerba illa intelligenda sunt, habeo claues mortis, & inferni. Scire hic operæpretium est propter nunc recitata uerba, clauem hanc potestatis nominari quandoque plurali numero claues, una quidem est quatenus clauditur infernus, & cœlum aperitur, quod fit in remittendis peccatis. Altera est, qua infernus aperitur, & clauditur cœlum, quod fit in retinendis peccatis. Imo hæc potestas clauis, tot esse claues dici potest quot sunt peccata, uel remitten-

Matth. 28. Ioann. 8. 1. Cor. 15. Heb. 1. & 2. Eph. 1. Cap. 22.

Apoc. 3.

Apoc. 1.

da, uel retinenda. Sed talia in scholis theologorum, & exactius, & subtilius ab acutißimis uiris disputantur. Deniq; ministri ecclesiæ hac ipsa claue potestatis non authentice, seu principaliter, ac independenter, ut Deus, non firmiter, ac uniuersaliter, ut dominus noster Iesus Christus: sed sacramentaliter, & ministerialiter, tanquã famuli aperientes & claudentes domum, & donantes gratuitoq; distribuẽtes ea, quæ sunt in domo, non pro suæ uoluntatis arbitrio, sed iuxta beneplacitum & arbitrium patris familias. reuocabiliter inquam & particulariter hac ipsa claue utuntur, propterea quòd illi plane ignorant, qui sint prædestinati, quiue sint reiecti, ideoq; suam uariant mutantq; identidem sententiam pro uitijs, proq; uirtutibus ac meritis uel bonis uel malis; quæ diuersis temporibus diuersa & uaria sunt in hominib. Paulus ait, Quis igitur est Paulus? Quis uero Apollo? nisi ministri, per quos credidistis? & iterum: sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. 1.Cor. 3. 1.Cor. 4.

Quorum sit clauis scientiæ, & clauis iurisdictionis.

SIcut iam diximus hanc clauem, quæ generico nomine appellata est clauis potestatis, quæ & clauis iustitiæ debet esse, haberi à solo Deo patre, filio, & spiritu sancto, tanquam à prima & independenti causa, omnino principalem, & à solo Christo haberi, dependenter quidem, sed modo tamen præcellenti, quippe firmiter & uniuersaliter, sic tamen ut eam ipse quoque intrinsecus habeat principalẽ, cum simul, & homo, & Deus sit. Denique haberi à sacerdotibus tanquam à famulis Dei ministerialem, quandoquidem

ij per illam sacramentum pœnitentiæ applicant uere pœnitentibus; ut ministri, qui effectum aliquem producturi applicant idonea instrumenta. Simili *etiam modo est de claue scientiæ imo & de claue iurisdictionis dicendum, quòd nimirum sint in* Deo *principaliter ac authentice, in* Christo *præcellēter, firmiter, irreuocabiliter, uniuersaliter.* In *ijs, quorum interest munia ecclesiastica obire, particulariter, reuocabiliter, ministerialiter, sacramentaliter.*

Quo pacto Deus, & Christus, & sacerdotes claudant, & aperiant, vel cœlum, vel infernum.

NOtandum *uero est:* Deum *claudere infernum, & aperire cœlum tanquam efficientem causam, quatenus gratiam suam, & charitatem effundit in corda nostra per spiritum sanctum, quem donat nobis: infernum autem aperire, & cœlum claudere non efficienter quidem sed tantum permißiue, quatenus iusto iudicio suo; quanquā nobis occulto, permittit homines ruere in peccata, neque suā charitatem effundit in corda eorum.* Deinde Christum *aperire cœlum, & infernum claudere beneficijs & meritis suis erga nos ingentibus, ac infernum aperire & claudere cœlum, permißiue.* Postremo *ecclesiæ ministros aperire & claudere per sacramentorum distributionem, idque in uirtute meritorum* Christi.

Quæ facultates in ecclesia reducantur ad clauem ordinis.

Cap. 20. AD *clauem ordinis ante omnia reducitur potestas do-*
Cap. 16. *cendi atque interpretandi sacram scripturam.* Chri-
Cap. 20.
Cap. 24. *stus enim apud* Matheum. *inquit, docete omnes gen-*

tes, & apud Marcum, euntes in uniuersum mundum prædicate euangelium omni creaturæ, & apud Ioannem, sicut misit me pater, et ego mitto uos, & apud Lucam, tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, et dixit eis, quoniam sic scriptum est &c. Deinde reducitur ad clauem ordinis, authoritas distribuendi, & conferendi omnia sacramenta & præter absolutionem, de qua paulo ante diximus, authoritas baptizandi, nam Christus ait, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, item authoritas conficiendi Eucharistiam & illam offerendi pro uiuis, & mortuis Deo, & denique illam communicandi hominibus. Christus enim inquit, hæc quotiescunque feceritis, in mei commemorationem facietis. Præterea authoritas confirmandi, ut Petrus & Ioannes confirmauerunt eos, qui receperant in Samaria uerbum Dei per orationem, & impositionem manuum. Porrò authoritas ungendi extrema unctione, ut Apostoli ungebant infirmos, & Iacobus ait, infirmatur quis in uobis, inducat presbyteros ecclesiæ, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine domini &c. Mox authoritas initiandi sacris ordinibus, ut Paulus, Timotheus, Titus, & Episcopi alij ordinabant, constituebantque oppidatim ministros ecclesiæ. Vnde Paulus ait, noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyteri. & rursus, huius rei gratia reliqui te in Creta, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. & Lucas in actis Apostolorum ait, cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros &c. postremo authoritas legitime celebrandi & conficiendi matrimonium

Math. 28.
Math. 26. Luc. 22.
Act. 8.
Mar. 6. Cap. 5.
1. Tim. 4.
ad Titum. 1.
Cap. 14.

ut ſacramentum proprie ſit habeatq; in eccleſia dei cum omni congruo decore atque honeſtate, de quo matrimonio habet ſermonem Chriſtus pulcherrimum apud Mattheum et apud Marcum Euangeliſtas.

Matt. 19. Mar. 10.

Vſum clauium pertinere ad eos, qui iuriſdictionem habeant.

QVanquam uero diximus authoritatem docendi & exponendi & interpretandi ſacram ſcripturam, & ſacramenta omnia diſtribuendi reducendam eſſe ad clauem ordinis tamen ſciendum eſt, uſum eius totius authoritatis pertinere ad clauem iuriſdictionis. quod quomodo intelligatur exponemus infra cum tractauerimus de iuriſdictione eccleſiaſtica.

Aduerſariorum noſtrorum opinio de clauibus.

EX his quæ diſſeruimus perſpicuum eſt aduerſarios noſtros, cum de clauibus, deque poteſtate eccleſiaſtica loquuntur, mirum in modum confundere has claues & has poteſtates, ac proinde uniuerſam de hac re diuinam ſcripturam obſcurare, deprauare, & corrumpere. Quorum temeritas ut magis magiſque demonſtretur, non grauabor hoc in loco recitare ipſorum uerba.

De clauibus, aiunt, Quid ſint, adhuc dictum nõ eſt, iam ergo et hoc expediemus. Claues nihil aliud ſunt, quàm purũ uerbũ Dei, et euãgelij prædicatio ſyncera. qui enim prædicato euangelio credit, abſoluitur a peccatis ſuis, & ſaluus erit, qui non credit damnabitur. Vt uero hæc magis clara fiant, uerba clauium diligentius expendemus.

Cap. 20. Cum Chriſtus a morte ad uitam reſurgeret, et diſcipolis claues promiſſas præſtaret, præmiſit ſpiritus ſanctus,

nam sic de hac re scribit Ioannes: Cum uespera esset die illo, qui erat primus sabbatorum. & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, uenis Iesus, stetitque in medio, & dixit, pax uobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & latus suum. gauisi sunt ergo discipuli uiso domino. dixit ergo eis iterũ, pax uobis, sicut misit me pater, ita et ego mitto uos. hæc cum dixisset, flauit in eos, et dixit eis, Accipite spiritum sanctum, quorun cunque remiseritis peccata, remittuntur eis, quoruncunque retinueritis, retẽta sunt. Hæc uerba Euangelistæ Ioãnis primum penitius percurremus, ut in alijs quoque Euangelistis huius uerba planius intelligamus. nam hic certæ notæ sunt, quas & in alijs cernere & reperire licet, qui eandem rem describunt, alijs licet uerbis, sententia manente eadem.

Primo indicat Ioannes factum id esse eodem die, quo dominus à mortuis resurrexit. Secundo, stetisse Iesum in medio, & imprecatum fuisse eis pacem. Tertio, ostendisse ipsum discipulis manus et latus. Quarto, gauisos esse discipulos uiso domino. Quinto, bis imprecatum fuisse pacem. Sexto, Christum amandasse & misisse discipulos suos, quemadmodum pater ipsum miserit. misit autem pater filium in mundum, ut mundus seruetur per ipsum. mittit ergo & ipse discipulos suos in hoc, ut prædicent ipsum esse servatorem mundi. Septimo, ostendit Euangelista Christum insufflasse in discipulos eiusmodi adiunctis uerbis: accipite spiritum sanctum, quoruncunque remiseritis peccata, remittuntur eis, quoruncunque retinueritis, retenta sunt.

His notis ac signis euincemus Christi sententiam esse, ut ubicunque euangelium prædicetur, & huic fides habeatur,

illic hominibus credentibus remitti peccata, infidelibus & incredulis non remitti, sed seruari. Sexta nota docet, Christum misisse discipulos suos ut euangelium prædicarẽt, quẽ admodum & ipse in hoc uenerat a patre missus, ut salutẽ prædicaret. qui prædicato euangelio credit liber erit a peccatis, qui non credit, is in peccatis suis manet. Suam missio-
Cap. 4. Cap. 61. nem clare ostendit in Luca, ex Esaia propheta, Spiritus domini super me eo quod unxit me, ad prædicandum mansuetis, misit me, ut sanem contritos corde, ut prædicem captiuis remissionem, & cæcis uisum, ut emittam confractos per remissionem, ut prædicem annum domini acceptum.

Sed iam Lucæ uerba audiemus, & diligenter expende-
Cap. 24. mus. Sic enim scribit, dum autem hæc loquuntur (loquebantur autẽ de eo quòd Petrus uidisset Christum, & quòd duo ex itinere narrarent, qua forma eis apparuisset euntibus Emaum, cum eodem die Hierosolymam redijssent) stetit Iesus in medio eorum. Hæc prima nota est in Ioanne. deinde sequitur in Luca: Dixit eis, pax uobis. Et hæc secunda est nota ex Ioanne. in Luca rursus sequitur: Expauefacti uero & conterriti existimabant se spiritum uidere. Hæc quarta nota est in Ioanne. dicit autem Ioannes, gauisos esse discipulos uiso domino, quod neminem mouere debet, sæpe enim & metus & gaudium simul concurrunt. Lucas uoluit ostendere subitam domini apparitionem Apostolis horrorem incussisse: ut cum quis præter expectationẽ rem cupitam audit uel uidet, sæpe horror ingruit, ut putet nõ adesse quod adest: aut metuit, ne sit hoc creperum gaudiũ metu mixtũ: exprimere uoluit Lucas hac dictione πτοηθέντες Iam iterum in Luca sequitur, & dicit ad eos Iesus, quid tur

bati estis? & cur ascendunt cogitationes in cordibus uestris? hoc cum Marco habet Lucas commune, non cum Ioanne. sequitur in Luca: Videte manus meas, & pedes meos. quia ego ipse sum. Contrectate me, & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, ut me uidetis habere &c. Hæc tertia nota est, quam apud Ioannem indicauimus. Iterum in Luca sic scribitur: adhuc autem illis nõ credentibus præ gaudio & mirantibus, dixit eis, habetis hic aliquid edulij? &c. Hic uides, qualis metus fuerit in discipulis: cupidi enim Christi, quem coràm uidebant, partim mirabantur, partim dubitabant metuentes non esse eum, quem magnopere desiderabant. iam describit Lucas de fauo apiario, & assato pisce, de quibus Christus comederit, sed hæc præterimus, cum Ioannes non habeat. nihil uero mirandum, quòd quædam ab alijs omissa, ab alijs scribuntur, quin hoc magnam doctrinæ Christi fidem conciliet, cum inter dißimilia uerba & tempora sensus utrobique tam probe quadret. Ad hæc, sæpe ab uno historia integra scribitur, quam alius eodem loci omittit totam, alio in loco deinde prolixior. Ioannes enim scribit, multa alia esse eorum quæ fecerit Iesus, quæ si scribenda essent, mundum Cap. 21. non posse capere. Iam rursus sequitur in Luca, hæc sunt uerba quæ locutus sum uobis, dum adhuc essem uobiscum, quòd necesse foret impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis, & prophetis, & psalmis de me. Tunc aperuit illorum mentem, ut intelligerent scripturas. Et dixit eis: sic scriptum est, & sic oportuit pati Christum, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remißionem peccatorum in omnes gentes

initio facto ab Hierosolymis *&c.*Hic *sextam notam* Ioannis *deprædendimus quòd uidelicet prædicare mandat remißsionem peccatorum in omnes gentes.quod* Ioannes *simpliciter mittere dicit.* Septimam *notam,quæ apud* Ioannem *de spiritu sancto discipulis dato mentionem facit,* Lucas *alijs uerbis exprimit dicens:aperuit eis mentem.* Nam *solum spiritus sanctus mentem aperit,ut uerbi* Dei *sit capax.* In *hac eadem nota,quæ apud* Ioannem *septima est, claues continentur,quas* Lucas *sic exprimit:oportet in nomine eius prædicari pœnitentiam & remißionem peccatorum.*Hic *uides a* Luca *dici, prædicari pœnitentiam, hoc est resipiscentiam & uitæ innouationem, quòd à* Ioanne *solui & ligari dicitur: prædicatur enim euangelium, ut de ueteri & pristina uita, nempè mala, homines doleant & disistant,agnoscant se peccatores, emendent uitam, credantquè interim peccata eis per* Christum *remitti.* Sic *enim prædicauit* Ioannes *baptista, primum morbos asperis uerbis ob oculos ponit, agnito morbo ad* Christum *animæ medicum mittit ægrotos.*Hunc *modum &* Christus *ipse prædicando seruauit.* Discimus *ergo apud* Lucam *soluere et ligare aliud nihil esse quam prædicare euangelium, nempè hoc quòd nostrapte natura simus impotentes ad omne bonum: rursus in* Christo *qui iustitia nostra est omnia possumus, quicunque hoc credit, huic in nomine* Christi *peccata remittuntur.* Qui *uero non credit, is peccatorum nullam habet remißionem, ligatus ergo manet,funibus peccatorum constrictus.*

Cap. 16. Clariora *hæc fient ex* Marco,*cuius iam uerba describemus:* Post *hæc apparuit duobus ex his euntibus rus,*

ſed in alia forma: et illi abierunt, et renuntiarunt reliquis: nec his illi crediderunt. Marcus breuiſsimis uerbis comprehendit hiſtoriam: quam Lucas multis & prolixis explicat, nempè de duobus euntibus Emaum. Deinde depræhenditur hic nota quæ apud Ioannem prima eſt, nempè hiſtoriam factam eſſe die ipſo reſurrectionis. Sequitur iam in Marco: poſtea diſcumbentibus illis undecim apparuit & exprobrauit illis incredulitatem & cordis duritiam. Quod ijs, qui ſe uidiſſent reſurrexiſſe, non credidiſſent. Hoc totum eodem ipſo die factum eſt. Aduerbium uero, poſtea, connectit ſequentia ſuperioribus: & eſt ſenſus, poſtea quàm diſcipuli illis, qui ſe uiderant reſurrexiſſe non crediderunt, apparuit illis Ieſus &c. hoc idem habet Lucas, ut ſupra eſt indicatum. Factum uero eſt in die reſurrectionis. Signa & circunſtantias omnes, tam diligenter exequimur, ut quiſque uideat ab Euangeliſtis omnibus eandem rem unius diei perſcriptam eſſe, licet alijs alijsq; uerbis. Iam iterum ſequitur in Marco, poſteaquàm egreſsi fueritis in uniuerſum mundum, prædicate euangelium omni creaturæ. Hæc ſexta nota eſt in Ioanne, ſicut miſit me pater, & ego mitto uos: pater miſit me, ut læta nuntiem mundo. Hoc idem uobis iniungo, ut lætum hoc nuntium omni creaturæ nuntietis: nempè quòd Deus generis humani miſertus per me filium ſuum unigenitum impotentiæ eorum ſuccurrere ſtatuit. Mox ſequitur, qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui non crediderit, condemnabitur. Hæc ſeptima nota eſt apud Ioannem, quoruncunque remiſeritis peccata remittũtur eis, quoruncunque retinueritis retenta ſunt. Sed Marcus clariſsime

hæc uerba expreßit, illis ſcilicet peccata remitti, qui credunt, illis ſeruari, qui non credunt. Nec eſt quòd *moueantur ſimplices ſacerdotes, quòd Marci uerba in die aſcenſionis leguntur, non enim ſtatim conſequitur eodem die facta eſſe quo leguntur.* Nam *breuißime unus omnium Marcus totam hiſtoriam colligit, in qua, ut uides, quatuor per ordinem tempora indicantur. Ab eo enim loco, qui incipit, diſcumbentibus illis; uſque, receptus eſt in cœlum, factum in die reſurrectionis; ſimulq; quadraginta dies in quibus apparuit diſcipulis Ieſus, complectitur, & hæc duo ſunt tempora. Tertium tempus incipit ab aſcenſione, cum dicit, Chriſtum ab eis receptum eſſe in cœlos. Quartum deinde tempus incipit, illi uero egreſſi, prædicauerunt &c. Quod poſt pentecoſtes feſtum factum eſt, nam mandauerat dominus, ne Hieroſolymis recederent, donec promiſſum patris reciperent, nempè ſpiritum ſanctum. Illud ergo quòd Marcus dicit poſtquàm dominus locutus eſt eis, non ad diem reſurrectionis, ſed ad tempus inter reſurrectionem & aſcenſionem intermedium referri debet.*

Ex his firmißime probatum putamus, uerba Ioannis quorumcunque remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorumcunque retinueritis, retenta erunt, idem pollere, quòd uerba Marci, prædicate euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui non crediderit condemnabitur, hoc eſt, quicunque Chriſtum filium Dei ſuam ſalutem & pignus gratiæ eſſe credunt, per quē ſibi aditus ad Deum pateat, illi ſeruantur, quicunque id non credunt, damnantur.

Refellitur

Refellitur aduersariorum nostrorum
iam recitata opinio.

HAec aduersarij nostri de clauibus. At quia confun dunt claues, & potestates, & ministeria, idcirco perperam exponunt scripturas, quas tanta diligentia uiden tur expendere. Aliud est ecclesiam regere, aliud remittere ac retinere peccata, aliud sacramenta distribuere. aliud prædicare & docere euangelium. Paulus quidẽ ministe- ria discernit, cũ dicat, se missum esse a Christo ad euange- lizandũ, non ad baptizandũ. Disertißime igitur claues, po- testates, et ministeria oportet distinguere, alioqui decipie- mur cũ aduersarijs nostris, et cum eis confundemus & ob- scurabimus scripturas, quas omni studio illustrare debemus catholicis expositionibus. Verum áge, præter illa quæ dixi mus de clauibus aut de potestatibus ecclesiæ, dicamus ali- quanto cumulatius aliqua alia, tum ut bene intelligantur, tũ ut error aduersariorum nostrorum planè cognoscatur. 1. Cor. 1.

Originem a Deo habere omnem clauem, om
nemque potestatem ecclesię.

VTraque potestas aut clauis tum iurisdictionis tum ordinis, originem à præpotente Deo habent in ecclesia. Quandoquidem utraque naturæ ipsius facul- tatem excedit: quod primum de potestate ordinis con- spicuum est. Atqui per eam sacerdos integrum habet con- ficere corpus Christi, & distribuere sacramenta ecclesiæ, quibus ex ui, ut ita dicã, operis operati, nedum ex ui operis operantis a pijssimo Deo contribuitur gratia ijs a quibus digne suscipiuntur. Huiusmodi uero effectus proculdubio excedunt facultatem naturæ. Deinde patet idem quoque de

potestate iurisdictionis, propterea quòd ordinata est, ut populi christiani, adeoq́; sancta & catholica ecclesia iuxta diuinam legem pro supernaturali beatitudine consequenda bene beateq́; uiuant in corpore mortis huius. Praeterea utranque potestatem aut clauem originem a summo Deo ipso ducere, confirmatur clarißimis diuinae scripturae authoritatibus ac testimonijs. De potestate quidem ordinis apud Mattheum dicitur. Haec quotiescunque feceritis, in mei commemorationem facietis. Et apud Ioannem, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. De potestate autem iurisdictionis ait Christus ad Petrũ, dũ illũ ordinaret institueretq́; pastorẽ ouiũ suarũ, et rectorẽ uniuersalis ecclesiae, pasce oues meas, pasce agnos meos &c. quae uerba postea diligẽtius exponemus.

Cap.26.

Cap.20.

Quod sit fundamentum ecclesiasticae potestatis.

POstquam ecclesiasticã potestatẽ ab Optimo Maximo Deo esse monstrauimus: operaepretium facturus uideor, si explicauero, quod sit eius ipsius fundamentum. Itaque Pauperes Lugdunenses, Valdenses, & Ioannes Vichleffus, atque illius asseclae, disseruerunt, in charitate siue in gratia gratum faciente potestatem ecclesiasticam fundari: quandoquidem Christus daturus Apostolis facultatem remittendi & retinendi peccata, prius in eos exufflauit, & dixit: accipite spiritum sanctum: ac supremam daturus potestatem Petro dixit: Diligis me? qua nimirum interrogatione ostendit: in dilectione fundari ecclesiasticam potestatem: alioqui uana fuisset ea interrogatio. Verum haec opinio tanquam haeretica damnata fuit primum in Constantiensi concilio: deinde in Basiliensi: & merito quidem: uniuer-

ſus enim eccleſiaſticus ordo eſſet multo incertisſimus. Præterea nemo ſciret aliquando ſe aut Epiſcopum, aut Sacerdotem, aut ullo modo eſſe miniſtrum eccleſiæ: ſe quidem cognoſcit nemo in gratia Dei eſſe: ut in libro de iuſtificatione planè oſtendimus. Cum porrò communicatur alicui poteſtas eccleſiaſtica, ei datur ſpiritus ſanctus non per gratiã gratum facientem, ſed gratis datam. Quod uero dixit Petro Ieſus Chriſtus, Diligis me? ſignificauit: conuenire ut paſtores eccleſiæ diligant Chriſtum: nõ autem illud ſic eſſe neceſſarium: ut ſi minimè diligant, propterea deſinant eſſe ueri paſtores. Eccleſiaſtica enim poteſtas non propriè datur ad utilitatem eius perſonæ cui communicatur: ſed magis ad uniuerſalis aut particularis eccleſiæ utilitatem. quemadmodum cæteræ quoque gratiæ gratis datæ. Multo præterea deterius Bohemi ſentiebant putantes in gratia prædeſtinationis eccleſiaſticam poteſtatem fundari, quod peſtilentisſimum uirus Ioannes Hus Vichleffi diſcipulus effudit: huiuſmodi nimirum ſententia, ſi recipiatur in eccleſia cogit animos & conſcientias hominum Chriſtianorum ſemper eſſe inconſtantes atque omnino perplexas: quippè cum gratia prædeſtinationis gratificante gratia ſit in unoquoque ignotior, atque immanifeſtior. Itaque uerum & indubium eccleſiaſticæ poteſtatis fundamentum eſt character baptiſmalis. Nam ſine illo ipſo nemo ullius ordinis, miniſterij, & poteſtatis in eccleſia poteſt aliquando eſſe particeps aut capax. Sancta quidem & catholica eccleſia decreuit. ut ſiquis non baptizatus receperit ordines, baptizetur, ac poſtea reordinetur. cuicunque igitur baptizato communicata legitimè fuerit eccleſiaſtica poteſtas: is pro

Extra de præsby. non baptizato, c. ſi quis.

uero ministro habendus erit absque ulla dubitatione, siue ille bonus, siue malus, siue in gratia, siue in ira Dei, siue prædestinatus, siue reprobatus, siue postremo qualiscunque extiterit. An uero Episcopus, aut quiuis alius minister, suum gradum atque ordinem possit amittere, & quo pacto, dicemus postea.

Potestate iurisdictiõis dignior est potestas ordinis.

Potestas ordinis antecellit potestati iurisdictiõis, quoniam hæc ad illam ordinatur. Quippe cum potestas iurisdictionis fuerit in eum usum data, ut longe arceãtur a malis populi: & in optimis quibusque contineantur exercitijs: ut digni sint, qui sacramentorum, & spiritualium omnium bonorum, participes efficiuntur.

Quomodo potestas ordinis varia sit in variis ministris ecclesiæ.

Potestas ordinis potest bifariam considerari. Primo *ut refertur ad uerũ corpus domini nostri* Iesu Christi. *Deinde ut ad eiusdẽ corpus mysticũ, idest ad ecclesiã refertur.* Et *primo sanè modo æqualiter est in omnibus sacerdotibus: omnes enim sacerdotes æqualiter conficiunt sacramentum corporis & sanguinis* Christi. Altero *autem modo considerata, maior est in* Episcopis, *quàm in sacerdotibus: non enim ualent simplices sacerdotes omnia sacramenta in ecclesia catholica dispensare.* Atqui *non solum sacramentum confirmationis, quod a solis* Episcopis *confici potest, ac dispensari: ut* Melchiades Papa *inquit: sed neque sacramentum ordinis, quod etiam cõfertur a solis* Episcopis, *queunt simplices sacerdotes distribuere.* Vnde Isidorus *ait: presbyteri ideo nominantur, quia sacrum dant, sicut* Episco

De Consec. d. v. ca. manus. Dis. 21. ca. cleros.

pi: qui scilicet presbyteri licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent. quia nec chrismate frontem signant, nec paracletum dant: quod solum deberi Episcopis actuum lectio Apostolicorum demonstrat. Hæc Isidorus. Interesse autem ex diuina institutione inter Episcopum, & presbyterum, aut simplicem sacerdotem plane ostendetur à nobis, cum de hac ipsa re loquemur.

Quid ad potestatem ordinis pertineat.

AD eandem ordinis potestatem omnino pertinet conficere sacramentum corporis, & sanguinis Christi: perq; absolutionem peccatorum efficere, ut homines ad tantum sacramentum digne suscipiendum bene præparati, ac idonei sint. Eiusdem enim uirtutis, eiusdemq; agentis interest, dare alicui rei perfectionem, seu formam, educere, ac præparare materiã ad susceptionem formæ, seu perfectionis, ut ignis eadem uirtute ac potestate formam ipsius ignis educit ex materia ligni, & ligni materiam præparat ad eiusmodi suscipiendam formam.

Quo tempore Christus dederit Apostolis potestatem ordinis.

POtestas ordinis, quatenus per eam sacerdotes consecrant, uel conficiunt corpus & sanguinem Christi, quatenusue ipsum, & offerunt Deo, & ipsi uel suscipiunt, uel porrigunt alijs, data fuit Apostolis à Christo in ultima cœna. Quibus ait, accipite inter uos, & diuidite: hoc est corpus meum: quod pro uobis trãdetur: hoc facite in meã commemorationem. Luc. 22. Vbi glossa interlinearis habet: accipite, & date. Quatenus uero per eam sacerdotes absoluunt

homines pœnitentes, remittentes eorum peccata: uel quatenus peccata ipsa retinent, fuit Apostolis à domino nostro Iesu Christo data, cum ille à mortuis resurrexisset: eo quidem tempore Apostolis dixit. accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Vbi Gregorius homiliam scribens ait. Principatus iudicij superni sortiti sunt, ut uice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.

Potestas ordinis qua remittuntur peccata, seu retinentur, quomodo vel eadem sit, vel differat ab ea ordinis potestate, qua eucharistia conficitur, siue à charactere sacerdotali.

Potestas ordinis qua remittuntur peccata, seu retinentur, & character sacerdotalis, aut potestas consecrandi, conficiendiue corpus et sanguinem Christi, potestas una & eadem est essentialiter, neque inter se distinguuntur nisi ratione: quatenus ad effectus diuersos referuntur. Vna quidem ac eadem potestas ordinatur ad plures & uarios effectus: ut calor ad lutum densandum & ad liquandam niuem: & etiam ordinatur ad plura & uaria quorum alterum sit alterius causa: ut calor ignis ad calefaciendum atque ad dissoluẽdum. Omnis autem gratia, omnisq; remißio in corpore mystico, id est in ecclesia, promanat à capite Christo: eadem igitur potestas per essentiam est: qua sacerdos conficere potest corpus domini nostri Iesu Christi, & qua potest tum absoluere tum ligare, siue tum peccata remittere tum retinere: modo sacerdoti iurisdictio adsit: qua de re suo loco dicemus. Et differunt hæ potestates, duntaxat ratione, ut dixi-

mus. Quemadmodum ignis unus, et idẽ est essentialiter, siue calefaciat, siue dissoluat, siue liquefaciat, tamen alia ratione dicitur calefactiuus, alia dissolutiuus et liquefactiuus. Cũ uero nihil sit aliud character sacerdotalis, quã potestas id exercẽdi, ad quod sacerdotalis ordo ante omnia dirigitur, atque ordinatur, nempe ad cõficiẽdum et consecrandum et offerẽdum Deo & sumendum, & alijs dandum corpus Christi, sequi neceßarium est, characterem sacerdotalem, ac potestatem remittendi et retinendi peccata essentialiter idẽ esse.

Reijciuntur quæ superiori capite asseruimus.

SVnt quibus uideatur, has claues & potestates inter se distingui etiam essentialiter: & pariter sacerdotalem characterem à clauibus ordinis essentialiter differre. Primo, quoniam potest character ille sacerdotalis omnino esse absque potestate clauium: quippe cum Apostolis data fuerit in ultima cœna potestas conficiendi corpus & sanguinem Christi, dicente illis domino, hoc facite in meã commemorationem. Sed potestas clauium data fuit eisdem Apostolis post resurrectionem cum audierunt à Christo, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt. Secundo, cum diuersis temporibus imprimatur character, & potestas clauium, quomodo fieri potest, ut sint idem essentialiter? nisi forte dicamus, aliquid sæpius & frequentius imprimi. Tertio, cum Episcopus aliquem sacerdotio initiat, prius inquit porrigens ei calicem, accipe potestatem celebrandi Missam, tam pro uiuis quàm pro defunctis. Porrò super illius caput manus imponens ait, accipite spiritum sanctum: & quorum remiseritis peccata, remissa erunt etc. Quarto, habuit Christus, ut in Apocalypsi dicitur, clauem

Matt. 26.
Ioan. 20.
Cap. 3.

ſoluendi & ligandi: nullum tamen habuit ſacerdotalem cha racterem: quandoquidẽ à ſacramentis nihil ſuſcepit. Quinto, ſi claues non differrẽt eſsentialiter à charactere illo ſacer dotali: tunc in omnibus ſacerdotibus æqualiter eſſent claues: quemadmodum æqualiter in omnibus eſt character
Cap. 16. *ſacerdotalis. Quod abſurdum & erroneum eſſe, planè oſtendit gloſſa in Mattheum dicens: beatum Petrum fuiſſe præcæteris donatum clauibus regni cœleſtis. Sexto, hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati poſſunt conficere ſacra mentum corporis & ſanguinis Chriſti: non tamen que-*
24. q. 1. cap. miramur. *unt abſoluere, aut ligare, ut in decretis dicitur. Itaque inter ſe diſtinguuntur etiam eſſentialiter poteſtas clauium, & character ſacerdotalis.*

Diluuntur iam recitatæ opinionis argumenta.

SEd horum opinio eſt falſa: nec rationes, quibus nituntur, ſunt alicuius roboris aut momenti. Character enim ſacerdotalis & poteſtas clauium ſimul dantur, quantum ad eſſentiam pertinet: ſed non dantur ſimul, quantum ad uſum attinet diuerſorum effectuum producẽdorum. Deinde uelut Chriſtus non habuit ſacerdotalem characterem, ita neque habuit ſacerdotales claues & ſacramentales: de quibus in præſenti loquimur. Præterea concedimus, quẽadmodũ character ſacerdotalis æqualiter ẽ in omnibus ſacerdotibus, ita etiam claues ordinis æqualiter eſſe in omnibus: ſed non æque in omnibus eſt uſus clauium, quandoquidem talis uſus conſequitur iuriſdictionem: quæ ſecundum plenitudinem fuit in Petro. ac ſimiliter eſt in legitimis Petri ſuc ceſſoribus: in alijs uero eſt minor, qui uocati fuerunt in par tem ſolicitudinis: qua de re copioſe diſſeremus loco ſuo: Po-

ſtremo, quod hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati non abſoluant aut non ligent, ideò quidem eſt, quòd iuriſdictione carent: ſine qua etiam ſi claues ordinis habeantur, nulla fieri poteſt abſolutio, nullaq́; ligatio eccleſiaſtica:

Quid ſentiant aduerſarij noſtri de charactere ſacerdotali.

ADuerſarij noſtri derident ſacerdotalem characterem dicuntq́; illum excogitatum eſſe à nobis hiſce poſtremis temporibus: ac de illo diuinam ſcripturam nihil meminiſſe. Verba illorum ſubſcribam. Character, aiunt, græcanica dictio eſt à χαράττω deſcēdens, quod ſculpo, ſigno, imprimo ſignificat. Eſt autem χαρακτὴρ nota impreſſa: de quo caputiati theologi ſic loquuntur. Imprimi perhibent in anima ſacerdotis inter ungendum aut ordinandum (hoc eſt, dum initiantur ſacris ordinibus) notam quandam quæ nulla ui, nulla arte exculpi unquàm poterit. Hic character in ſacris literis nuſquam exprimitur, præter quam in epiſtola Pauli ad Hebræos, ſed longè aliter, quam de eo loquantur theologi. Quanquam uero Apoſtoli ijs manus impoſuerunt quos ad prædicandi officium ordinarunt, ad morem hominum hoc ab eis factum eſt: qui fidem præſtitam in contractibus manuum ſtipulatione quaſi confirmant & ratam faciunt, ſigillum quaſi manus addentes. Sed illic non reperietis Apoſtolos de charactere ueſtro indelebili quicquam locutos eſſe: uerum hoc reperietis, tempore Hieronymi (qui & ipſe diaconos quoſdam increpat & officio deponendos dicit) eos qui ad officium uel indigni uel inepti facti erant ab officio deiectos eſſe, ut amplius in ſacro miniſterio nō miniſtrarent. de charactere uero nulla fit

Cap. 1.

mentio. Ex quibus facile est colligere, sacerdotium ueteribus officium fuisse, non dignitatem, aut dominium. Quemadmodum cum quis est consul in officio suo seruit reipublicæ officium agnoscens quod gerit. Quod uero ciues cum honore prosequuntur, & uenerantur, hinc est quod cum fide & diligentia officium suum administrat. Mox uero ut incipit ignauus esse, & officium minus curare, aut uim facere, ac tyrannidem exercere in ciues, exautoratur, & in ordinem redigitur, ut consul amplius non sit. Sacerdotem ergo aut presbyterū eße, aliud nihil est quàm eße uenerādum & honestum prædicatorem, & annuntiatorem diuini uerbi, Episcopum uigilantißimum pro salute animarum constitutum. Qui huic diligenter & cum fide inuigilat, hunc proculdubio ultro honor & gloria comitabitur. Sin minus, ab officio deponatur, nec amplius presbyter est. Vt enim consule, qui otio indulgere & duntaxat dominari, nec pro iustitia & tranquillitate publica inuigilare uelit, nihil opus habet respublica: sic ecclesia illis presbyteris nihil opus habet, qui honorificum nomen portant, aliud quam libidinari nihil faciunt: nam Christus discipulos suos cum mandato amandauit & ut legatos emisit: quicunque hoc mandatum exequitur, & cum fide administrat, is Apostolorum Christi uicem gerit: qui uero hoc non facit, nec Apostolus est, nec presbyter. Presbyteratus ergo officium est, non dignitas: characteris nomen mattheologi confinxerunt: nisi forte hunc habeant characterem, quo signantur ministri
Cap. 13. 14. monstrosæ bestiæ in Apocalypsi. Nec pugnat nobis, quod
Cap. 1. de posteriori epistola Pauli ad Timotheum adducunt, de impositione scilicet manuum, nam loquitur Paulus de signo

& more quem tum habebant, qui cum manuum, impositione ueluti signo, spiritum sanctum dabant. Nec tamen spiritum sanctum dare Apostolorum erat sed solius Dei, ut supra satis probatum est, tametsi Deus propter ingentem charitatem, qua nos complectitur, nobis non raro adscribat quæ sua sunt, adhuc tamen characteris indelebilis nullam mentionem facit.

Opinio aduersariorum nostrorum de charactere iam recitata in summam redigitur, distribuiturq; in conclusiones.

HAec aduersarij nostri. Sed age colligamus eorum aliquot conclusiones de rebus ad propositum nostrum spectantibus: ut clarius manifestetur eorum sententia utq; facilius à nobis improbetur & reijciatur. Prima conclusio: Characteris sacerdotalis, de quo theologi uerba faciunt, nusquàm diuinæ scripturæ meminerunt. Secunda conclusio. Apostoli cum aliquibus imponebant manus, id more hominum faciebant aliquid sancte promittentium & confirmantium in contractibus forensibus & ciuilibus: nullum tamen imprimebant characterem. Tertia conclusio. Tempore Hieronymi eos qui ad officium indigni et inepti erant, ab officio deijciebant: ut amplius in sacro ministerio non ministrarent, ex quo sequitur haudquaquam in eis fuisse characterem. Quarta conclusio, Sacerdotium apud ueteres officium erat non dignitas neque dominium. Quinta conclusio, Sacerdotem aut presbyterũ esse, aliud nihil est quàm eße uenerandum & honestum prædicatorem, & annuntiatorem diuini uerbi: aut Episcopum uigilantißimum pro salute animarum constitutum. Sexta conclusio. Qui deponi-

tur ab officio non amplius presbyter est. Septima conclusio. Quicunque mandatum exequitur & cum fide administrat, quod Christus dedit Apostolis, is Apostolorum Christi uicem gerit. Qui uero hoc non facit, nec Apostolus est, nec presbyter. Octaua conclusio, Apostoli manuum impositione tanquam signo quodam spiritum sanctum dabant. Nona conclusio. Solus Deus potest dare spiritum sanctum.

Respondetur ad conclusiones aduersariorum, & ad primam quidem, probatur characterem esse, & indelebilem esse.

AD has conclusiones, quam breuißime fieri potest, respondeamus: & eas refellamus & confutemus. Ad primam dicendum est, characterem, notam, figuram, uel, ut aiunt nonnulli, sigillum propriè dici de corporalibus: tamen transferri metaphorice ad significandum spiritualia: quemadmodum exerui paulo ante de clauibus. Potestas igitur ecclesiastica nomine clauium significatur, propter eas quas antea in medium attulimus rationes: eadem quoque potestas ob aliam rationem significatur nomine characteris indelebilis: quippe cum sacramentun per quòd ea ordinis potestas datur, nullo debeat unquam tempore iterari. Ita quidem ut si aliquis deijciatur à ministerio, maneat omnino potestas ordinis in eo qui sic deijcitur: sed tantum illi prohibeatur usus: aut, quemadmodũ loquuntur alij, maneat in eo qui à ministerio suspẽditur, potestas ordinis quãtum ad primum actum, non quantum ad actum secundum pertinet, ut non poßit etiam sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere, quamuis habeat in se potestatem sacerdotalem prorsus indelebilem. Vnde si aliquando resti-

tuatur ei ministerium, id minime fit per iteratum sacramentum ordinis, sed tantum authoritate iurisdictionis. Quod autem quis habeat potestatem ordinis, cuius tamen actum secundum non queat habere, manifestum est in ijs qui sunt omnis iurisdictionis expertes: illi sanè, cum sint legitimi Sacerdotes, consecrant enim corpus & sanguinem Christi, habent potestatem ligandi & absoluendi, neminem tamen queunt ligare aut absoluere itaq; merito huiusmodi potestas significatur nomine characteris. Sic etiam fatemur characterem imprimi penitus indelebilem per omnia sacramēta initerabilia, ut per baptismum & confirmationem. Si uero diuina scriptura non utatur nomine characteris, quid tum? puerile ac uanum est litigare de uocibus & nominibus, quando res ipsa in propatulo est. Placuit sanctæ & catholicæ ecclesiæ uocare omousios aut consubstantiales, patrem, filium, & spiritum sanctum. Deinde placuit eidem transmutationem illam qua transmutatur substātia panis in corpus, & substantia uini in sanguinem Christi, uocare transubstātiationem: haudquaquam tamen eiusmodi nomina legūtur in sacra scriptura. Ita quoq; magnis et iustißimis de causis placuit sanctæ & cathol. eccle. appellare characterem, potestatē ordinis, idque quod à sacramentis initerabilibus imprimitur sine controuersia in omnibus talia sacramenta suscipientibus: nascentibus quidem nouis rebus, ac nouis oriētibus controuersijs, noua etiam nomina inuenienda sunt. Quæ sententia Marci Tullij Ciceronis fuit, ne dum theologorum. Quanquam uero characterē esse aut in essentia ipsius animæ, aut in intellectu, aut in uoluntate, tanquàm notam uel absolutam uel relatiuam (sunt enim de hac re mul-

Lib. 1. de finibus mal. & bon.

tæ uariæq; theologorum opiniones) confirmari non potest naturalibus rationibus, neque in uniuersali, ut necesse sit huiusmodi formam nobis inesse propter fidem, neque in particulari per aliquem actum, quē in nobis experiamur, formā huiusmodi exprimentem & referentem. Quemadmodum etiam probare minime ualemus theologicos habitus, fidem, spem, & charitatem nobis inhærere, de quibus egi copiose in libro de iustificatione: quamuis non potest inquam probari characterem nobis inesse, ut diximus, etiā per sacrā scripturā, ipsum tamen credere & confiteri debemus proculdubio nobis inhærescere, quandoquidem sancta & catholica ecclesia ipsum declarauit, quemadmodum ait Innocentius tertius, cuius uerba hæc sunt. Qui ficte accedit ad baptismū characterem suscipit christianitatis impressum. Et rursus idem paulo post inquit. hunc characterem imprimit operatio, cū obicem uoluntatis contrariæ non inuenit obsistentē.

Extra de baptismo, et eius effectu ca. maiores.

De impositione manuum.

AD secundam conclusionem, si aduersarij nostri de impositione manuum intelligant, qua illos initiabant sacris ordinibus Apostoli, ea conclusio uehementer absurda est, & omnino falsa. Nam alioqui sæpenumero iterare sacramentum illud oportuisset.

Quomodo sacerdotes ac ministri alii Ecclesię deiiciuntur ab officio.

AD tertiam conclusionem. Hodie quoque deijciuntur ab officio ut nequaquam ministrent in ullo sacro ministerio, uel per depositionem, uel per degradationem uel per infamiam, uel per irregularitatem, uel per excommunicationem, uel per interdictum, uel per suspensionem,

quæ sunt canonicæ pœnæ: tamen propterea non tollitur ab eis character, seu potestas ordinis quantum ad primum actum, sed quantum ad secundum pertinet, ut diximus: ueluti cum quis in apostasiam cadit, & Christum negat, desinit esse christianus: haudquaquam ab eo tamen tollitur character christianitatis, propterea si resipiscat, recipiendus est ab ecclesia, non tamen est rebaptizandus.

Quomodo sacerdotium sit dignitas.

A*D quartam conclusionem: si de illa dignitate loquamur, & intelligamus, qua digni sunt homines æterna uita coram Deo: sacerdotium ita ministerium est, aut officium: ut minime sit dignitas: quandoquidem talis est dignitas à sola gratia gratum faciente, siue à charitate Dei effusa in cordibus nostris per spiritumsanctum qui datus est nobis. Sin autem de illa dignitate fiat sermo, qua digni sunt homines qui ab hominibus in honore habeantur, certè sacerdotium non modo est ministerium, sed etiam dignitas. Quis enim rogo, non putet eos dignos esse incredibili & singulari honore, qui possunt conficere corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi, ut alias interim dignitates prætermittam & taceam? Concedo tamen sacerdotium non esse dominium: ut tamen sacerdotium, rectè possit coniunctum eße cum dominio quatenus cum sacerdotio potest coniuncta esse iurisdictio, non solum ecclesiastica, uerum etiam secularis, ut planè ostendemus, cum tractauerimus de hac re.*

Sacerdotium distingui ab aliis ecclesię ministeriis.

A*D quintam conclusionē si Sacerdotem esse nihil est aliud quam esse prædicatorem, ad quē perti-*

nebit baptizare, cum propriè non habeat prædicator baptizare, quandoquidem Paulus dicit, se amandatum esse ad prædicandum, non ad baptizandum? Deinde *quis conficiet sacramentum corporis & sanguinis* Christi, *si officium sacerdotis sit duntaxat prædicare?*

1.Cor.1.

At reclamauerint aduersarij nostri hoc esse figmentum nostrum de confectione Eucharistiæ, *uerum nos in libro de* Missa *hãc eorum impietatem refellimus.* Præterea, *si sacerdotes nihil sint aliud quam prædicatores, quis remittet, aut retinebit peccata? quis absoluet, aut ligabit?* Sed *illi respondent, remissionem ac retentionem peccatorum, absolutionẽ & ligationem fieri solum per prædicationẽ: nos uero paulo ante hoc ipsum reprobauimus: deinde quis alia distribuet sacramenta? postremo uidentur aduersarij nostri confundere* Hierarchiam *ecclesiasticam, & de medio tollere distinctionem, & uarietatem ordinum, ac dignitatum ipsius ecclesiæ. de quibus ita inquit* Isidorus, *generaliter clerici nominantur omnes, qui in ecclesiæ* Dei *deseruiunt, quorũ gradus et nomina hæc sunt,* Ostiarius, Psalmist[illegible], Exorcista, Accolitus, Subdiaconus, Di[illegible] [illegible]scopus. [illegible] [illegible]ebus, [illegible] [illegible]riar [illegible] *quia pri-* [illegible] *quia sum* [illegible] Romanus, [illegible] *græco uoca-* [illegible] *enim uicem* Apo[illegible] [illegible] *quam cæteris* [illegible] *ciuium uocantur,*

Libro.7. Ethim.cap. 12. & habetur Dis. 21. cap. Cleros.

cantur, singulis enim prouincijs præeminent, quorum autho ritati & doctrinæ cæteri sacerdotes subiecti sunt, sine quibus nihil reliquis Episcopis agere licet, solicitudo enim totius prouinciæ ipsis commissa est. Idem quoq; Isidorus scribit de cæterorum ministrorũ distinctione atq; officijs, qui solent in maioribus ecclesiis esse, ut sunt Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerij, Thesaurarij. sed quoniam ferè omnes hæc habent in promptu, missa faciamus.

In epistola quæ habetur dis. 25. cap. perlectis.

Ab eo qui deponitur ab officio non auferri potestatem ecclesiasticam, licet in eo suspendatur usus eiusmodi potestatis.

AD sextam conclusionem, falsum est, quantum ad primum actum pertinet, non quantum ad actum secundum, aut falsum est quantum ad potestatem, non quantum ad usum. aut falsum est, coràm Deo, non coram ecclesia: & hoc si presbyter deijciatur ab officio per censuram uel pœnam ecclesiasticam. post deiectionem sanè manet adhuc in eo character sacerdotalis. unde Papa uel tota ecclesia non potest à quoquã baptizandi potestatẽ auferre: nec à sacerdote potestatem [illegible] ficiendi eucharistiam, propterea [illegible] potestas bapt[illegible] est etiã in ijs qui minime subij[illegible] Papæ, & [illegible] conficiendi eucharistiã propriè [illegible] erum est domini nostri Iesu Chri[illegible] stus dedit discipulis, quibus succe[illegible] tur hac de causa nequit à sacerdo[illegible] & consecrandi corpus Christi au[illegible] acerdotes illam habent potestatem a [illegible] quàm Papa. Quamlibet igitur à Pa[illegible] et ille tamen re uera cõficere corpus

Christi, tam & si conficiendo peccaret, non tamen posset aliquem absoluere, idque non propterea quòd ablata esset potestas absoluendi, sed quoniam ad absoluendum necessaria est iurisdictio, ut is nimirum sibi subijciatur, qui absoluendus est. Papa uero integrum habet omnem iurisdictionis potestatem auferre, quippe cum talis potestas non referatur in uerum corpus Christi, sed in mysticum, id est in ecclesiam, aut in aliqua ipsius ecclesiæ membra, super quod mysticum corpus habet Papa sine dubio plenitudinem potestatis, quemadmodum infra planè ostendemus. Cæterum si dicamus, ut peritiores theologi sentiunt, Episcopatum, ut Episcopatus est, non esse ordinem, sed potestatem iurisdictionis, Papa sanè integrum habet priuare omni Episcopatus authoritate Episcopum, hoc est, ab illo auferre omnem iurisdictionem. quod cum fecerit, ille qui omnino desiuit Episcopus esse, neminem potest confirmare aut initiare sacris ordinibus. sin Episcopatus ordo esset, Episcopus etiam degradatus à Papa adhuc potestatem haberet initiandi sacris ordinibus, & confirmandi, ac re uera posset initiare sacris ordinibus & confirmare, quamuis illud faciendo peccaret.

Quare in catalogo clericorum non recenseantur Cardinales.

SEd aliquis dicat, quid est causæ cur inter clericos non connumerantur Cardinales? Respondeo. quoniam sunt membra summi Pontificis, ideo connumerato Papa, illi etiam connumerati esse intelliguntur. sed hac ipsa de re aliquanto posterius dicendum est.

Quo pacto sacerdotium dicatur esse ordo, et quę sit ordinis diffinitio.

ANimaduersione dignum est, cum sacerdotium esse ordinem dicimus, non capi ordinem pro congrua parium dispariumque rerum dispositione unicuique tribuẽte loca sua, qualis ordo est in partibus uniuersi, qualis etiam est in gradibus ecclesiæ, ac ita sacerdotium est unus ex gradibus constituentibus ordinem et Hierarchiam ecclesiæ. Itaque ordo sumitur pro gradu in ecclesiastica Hierarchia siue in ordine ipsius ecclesiæ decenter eminente: est autem spiritualis potestas, ut supra diximus, qua posit quicunque illam habeat in ecclesiastica Hierarchia præcipue aliquem exercere actum circa uerum corpus & uerum sanguinem Christi. ac isto modo Episcopatus, ut à sacerdotio distinguitur, nequaq̃ est ordo, nempe sacramentalis, nam alioqui est ordo seu gradus clericalis. at si omnino uellemus in numero sacramentalium ordinum ita Episcopatum collocare, ut ordo esset habens indelebilem characterem, quemadmodum malunt Canonistæ, rc distinctum à sacerdotio, tum definiremus ordinem, quod esset spiritualis potestas, qua illam habens utique posset aliquem præcellentem actum exercere, non modo circa uerum corpus Christi, uerum quoque circa mysticum eiusdem corpus. Quod si aliquis dicat, potest etiam sacerdos aliquem præcellentem actum exercere circa mysticum corpus Christi, quatenus potest absoluere, & ligare, remittere ac retinere peccata, non igitur Episcopus differt à sacerdote per hanc ipsam diffinitionem. Respondeo, potest quidem exercere huiusmodi actum non tamen sine iurisdictione, quæ quidem tum dari potest ei, tum aufer-

ri ab eo, si prælato suo placeat. sed Episcopus, etiam si Papa sustulerit omnem ab eo iurisdictionem, adhuc reuera potest aliquem huiusmodi actum exercere. degradatus enim Episcopus & confirmare et sacris ordinibus initiare homines idoneos potest, quamuis peccet illud efficiendo. Quòd si alicui non uideantur hæc uera esse, nec etiam illi uideri debet uera esse Canonistarum opinio: qui sentiunt Episcopatũ ordinẽ esse talem, qui characterem habeant indelebilem distinctum à sacerdotali charactere. præterea si hæc teneatur opinio, dicendum erit Episcopum aliquando esse absque omni iurisdictione. Verum enimuero nos de hac re dicemus loco suo quid sentiendum nobis uideatur.

Non omnes qui doceant, gerere uicem Apostolorum, neque omnes qui non doceãt, Apostolorum uicem non gerere.

AD septimam conclusionem, Primo falsum est, omnes gerere uicem Apostolorum, qui docent, quemadmodum Apostoli docuerunt Euangelium: nisi legitime ad id munus obeundum mittantur. Quippe cum Paulus dicat, Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? tum quia si uerum illud esset confunderetur ecclesiasticus ordo, tũ quia potestas Apostolorũ alios etiam præcellentes et præcipuos actus respicit, quàm Euangeliũ prædicare. Quamuis actus prædicandi sit multo præstantissimus. Deinde falsum est, eos qui non prædicant, sicut Apostoli mandato Christi prædicauerunt, nec Apostolos esse, nec presbyteros: sunt enim presbyteri, si absoluant, si consecrent et conficiant corpus et sanguinem Christi, si baptizent, si denique sacramenta distribuant. Quemadmodũ enim Paulus missus fuit ad prædi

Rom. 10.

candum Euangeliũ, non ad baptizandum. Ita etiã sunt qui mittãtur ad baptizandũ, & ad sacramenta distribuẽda, nõ ad prædicandum Euangeliũ. Paulus enim ait, quemadmodum non sunt omnes Episcopi, nec omnes prophetæ, nec omnes Apostoli, ita neque sunt omnes doctores, 1.Cor.1. 1.Cor.12.

Per sacramenta & manuum impositionem dari spiritum sanctum.

AD octauam conclusionem. Imo semper Episcopi & sacerdotes per sacramenta, perq; manuũ impositionem, tanquam per sensilia & efficacia signa dabunt spiritum sanctum rite suscipientibus sacramenta, quantisper fuerit ecclesia militans. Quomodo autem spiritus sanctus detur, in libro de iustificatione declarandum est.

Deum & Christum & sacerdotes habere potestatem absoluendi.

AD nonam conclusionem, & Deum & Christum qui homo est & Deus, & sacerdotes habere unumquenque suo modo potestatem absoluendi, quæ nimirũ est potestas dandi spiritum sanctum, iã antea exposuimus.

De commutatione pœnarum æternarum in temporales pœnas deq; remissione illarum.

QVo magis magisq; illustretur hæc potestas ecclesiastica qua ministri ecclesiæ, ut diximus, absoluũt pœnitẽtes, breuiter explicemus. Quomodo uel cõmutetur, uel remittatur pœna, uel quidem æterna uel tẽporalis.

Quæ proprie sint in eo, qui est inimicus Dei & propter quæ sit peccator, & quomodo peccator esse desinat.

PRincipio notandũ est, in homine quãdo peccator est et inimicus Dei, quatuor consideranda esse, quorũ

primum est actus deformis, aut quidem elicitus, aut imperatus, aut interior, aut exterior. Alterum, est habitus qui generatur ex frequenter iteratis actibus. Tertium, est deformitas animæ, quæ est priuatio rectitudinis qua recta esse deberet humana ipsa uoluntas, adeoq; anima ipsa: quemadmodum tenebræ sunt in aere ipsa luminis priuatio. Quartū deniq; est reatus uel obligatio ad æternam pœnam. Deinde notandum est hominem haudquaquam dici peccatorem propter actum deformem, seu propter habitum. non sane propter actum, quia peccator esset duntaxat tantisper dum actum eliceret, aut imperaret, tantisper inquam dum operaretur. ac transeunte nimirum actu, seu cessante opere desineret esse peccator, quod absurdißimum dictu est. neque propter habitum est peccator, quoniam habitus manet etiā post remissionem peccatorum, quousque aboleatur ex actibus oppositis illis actibus ex quibus generatus est, aut alio quouis modo. Itaque homo transeunte actu peccandi peccator dicitur & est propter manentem deformitatem, seu priuationem rectitudinis in anima quæ quasi tenebræ in anima eo magis densatur quo magis homo procul distat à gratia Dei, quemadmodum intempesta nocte cum sol maxime distat ab hemisphærio nostro densantur tenebræ in aere ipso. Tum etiam peccator dicitur homo atque inimicus Dei propter reatum siue obligationem ad æternam pœnam. aut propter inimicitiæ relationem hominis ad Deum, ut maxima pars theologorum opinatur. Qui reatus nunc uocatur à doctißimis theologis macula, nunc offensa Dei, nunc alijs nomenclaturis denominatur ob uarias diuersasq; rationes, quas quidem recensere non est præsentis negocij. quamuis

ego crediderim huiusmodi reatum proprie distingui a macula & deformitate, ac inimicitiam Dei etiam, nec enim reatus, nec inimicitia Dei peccatum est, sed homo propter peccatum fit reus æternæ pœnæ, atque Optimi Maximi Dei constituitur inimicus. Præterea homo peccator desinit esse peccator, & Deo reconciliatur, aut per contritionem, aut per sacramentalem absolutionem (de peccatore baptizato loquimur) quatenus ab eo tollitur deformitas animæ per gratificantem gratiam, quæ decor est quidam, spiritualisq; ornatus & pulchritudo, ut aeris tenebræ, quæ sunt quædã aeris deformitas & macula tolluntur per lumen, quod est decor quidam & pulchritudo aeris: & quatenus etiam simul tollitur iuxta fere omnium theologorum sententiam, reatus æternæ pœnæ, aut inimicitia Dei, sic quidem ut cum prius ille ordinaretur ad æternam pœnam, mox ad æternã uitam & felicitatem ordinetur & cum prius esset inimicus Dei, mox & amicus, & filius Dei sit adoptiuus. Verũ ut ingenuè fatear, non quia tollitur reatus ille, proprie homo desinit esse peccator, non enim ut paulò ante diximus, reatus peccatum est, quamquam propter peccatum homo est iustissimo iudicio Dei reus, at quia desinit homo peccator esse, idcirco Deus Optimus Max. eum reatum amouet ac tollit ab homine illo quem iustificat: quod autem de reatu dicimus, de inimicitia Dei quoque intelligendum est, sed hac ipsa de re copiosius tractandum est alio in loco, & disputandum subtilius a nobis.

Potestate ecclesiæ pœnam æternam in temporalẽ commutari cum remittuntur peccata.

ANnotandum est nec per contritionem, nec per sa-

cramentalem absolutionem regulariter uniuersam pœnam remitti. Quamuis tota semper culpa remittatur: fit uero commutatio quædam æternæ pœnæ in pœnam temporalē. Et quanquam Deus remittit sæpenumero culpam sine arbitrio ministrorum, ut in contritione, tamen haudquaquam æternam pœnam in pœnam temporalem commutat sine ministrorum arbitrio, etiam cum in contritione remittit culpā sine ullius sacerdotis ministerio, non facit eiusmodi commutationem sine arbitrio ecclesiæ, quæ diuina potestate pro certis peccatis taxauit certas pœnas. Ecclesia quidem secundum diuinam potestatem à Deo sibi datam condidit, Canones, quibus decreuit pœnas temporales in quas pœna æterna commutatur, quando remittuntur peccata, esse pro quouis mortali peccato septennales ac etiam diuturniores pro grauitate mortalium peccatorum. Hæc omnia quæ dico intelligi debent cum remittuntur peccata actualia uel per contritionem uel per sacramentalem absolutionem. Nam quando fit remißio peccatorum in baptismo, commutat quidem pœnam æternā Deus in temporales pœnas, sed tantum huius uitæ, quæ commutatio non pertinet ad potestatem ecclesiasticam. itaque homo iustificatus Deoque recōciliatus quāuis à reatu pœnæ æterne, uel per contritionem, uel per absolutionem pœnitentialem absoluatur, tamen reatum habet pœnæ temporalis, quam luere omnino tenetur uel in præsenti uel in futura uita. Cæterum hæc nos abunde tractauimus in libro de Purgatorio, unde qui pœnas luit sibi à patre confessario iniunctas, si tantæ sunt, quantas in Canonibus suis taxauit ecclesia, nihil superest ei luendū et expiandū in Purgatorio usque ad terminū taxationis ecclesiasticæ

An pœnæ tẽporales,in quas ui potestatis ecclesia sticæ commutata est pœna æterna,satisfaciant diuinæ iustitiæ.

OPeræprecium facturus uideor si diligenter explicauero,nunquid pœnæ temporales, quæ authoritate ecclesiæ taxatæ sunt per certos Canones habeant proportionem æqualitatis ad iustitiam diuinam, ut qui pœnas eiusmodi luunt satisfaciant diuinæ iustitiæ.

Quid Sacerdotes faciant in absolutione.

IN sacramẽtali absolutione duo,ut diximus,faciunt Euãgelici Sacerdotes.*primo quidem remittunt culpas.* De*inde pœnam æternam in temporalem pœnam commutant: non enim est in sacramento pœnitẽtiæ absolutio pœnæ,quãuis absolutio culpæ sit: uerum pœnæ commutatio est, & transactio quasi per modum iudicij cuiusdam, cuius arbiter est sacerdos qui est minister* Christi *& ecclesiæ,qui & sequester aut mediator est inter* Deum *& pœnitentẽ quem absoluit. unde primum,nempe condonatio seu remißio culparum,diuinæ misericordiæ acceptũ refertur, alterũ autẽ, nempe cõmutatio pœnæ,ad iustitiam diuinam pertinet: sacerdos enim per misericordiã* Dei propter *Christũ cõdonat peccata:deinde,ut satisfiat diuinæ iustitiæ,iniungit certas pœnas,quæ aut in præsẽti uita,aut in futura luẽdæ sũt.*

Quomodo pœnitens Deo satisfaciat, & ecclesiæ.

HIc uero sciendum est, pœnarum iniunctionem esse non solum ut satisfaciat pœnitens diuinæ iustitiæ, uerum etiam ipsi ecclesiæ. Ratio *tamen satisfaciendi ecclesiæ, &* Deo *uaria est.primo quidem satisfacit ecclesiæ pœnitens, quando eam perficit & absoluit pœnitentiam,*

quæ ſibi à patre confeſſario iniungitur, ſiue ſtatim, ſiue poſt aliquantum tempus, & hoc nimirum ſiue in gratia Dei, ſiue relapſus etiam ſit in peccatum mortale. Deo autem uel diuinæ iuſtitiæ nõ ſatisfacit niſi luat exiſtens in gratia Dei pœnas iniunctas: etiã non qualeſcunque pœnas, ſed eas quæ proportionem habeant æqualitatis ad iuſtitiam diuinam.

Quomodo ſic pœnis temporalibus Deo ſatisfaciamus vt pœnæ illę ad iuſtitiam diuinam æqualitatem habeant proportionis.

AT dixerit aliquis, quomodo ſciri poteſt numerus aut quantitas pœnarum, quibus ſatisfieri abunde poßit diuinæ iuſtitiæ? nec enim ſi æterno tẽpore puniremur unquam æterno Deo ſatisfaceremus, quo fit ut damnati, qui puniendi ſunt in æternum, ſatisfacturi nunquam ſint illa ſua quamlibet æterna pœna. Si enim quis uelit Deo uere ſatisfacere, neceſſarium eſt ut ipſi Deo æquiualens reddat alias indebitum. Quid autem poſſumus Deo reddere, quod ei non debeamus? Prius inquam multiplicitatem æqualitatis rerum breuiter explicabo. Deinde ad propoſitum dicam nempe quomodo temporales pœnæ ſic Deo ſatisfaciant, ut proportionem habeant æqualitatis ad iuſtitiam diuinam. Itaque rerum æqualitas interdum capitur, ut ipſarum rerũ dignitatem & ualorem naturalem conſequitur. Atque ita, quoniam fieri non poteſt ut res diuerſarum ſpecierum ſint æqualis perfectionis naturalis & eſſentialis, quandoquidẽ ſpecies æque ſe habẽt ac numeri: propterea nec fieri poteſt, ut ſint æqualis ualoris. Vnde nec inter illas poteſt naturaliter eſſe proportio æqualitatis: quæ tamen inter ſingularia eiuſdẽ ſpecialißimæ ſpeciei eſt. Aliquãdo autem rerũ æqua

litas penes rerum ipsarum ualorem attendi solet, quatenus ad usum & humanum commodum refertur: ut æqualitas pretij ad rem quæ uenditur & emitur, attendi solet in commutationibus. Perspicuum & exploratum habemus, neutro istorum modorum esse proportionem æqualitatis pœnarũ nostrarum ad peccatorum nostrorum expiationem, tũ quia pœnæ & peccata minime sunt eiusdem speciei, in specie siue in genere & prædicamento moris, tum quia peccata nõ referuntur ad humanum commodum. Præterea, ualor rerũ attendi potest iuxta dictamen distributiuæ iustitiæ dictãtis præmia uel pœnas meritis præcedentibus condignas. Hoc uero potest esse duobus modis, uno modo, siquis rerum ualorem æstimet secundum rigidam & strictam iustitiam, sic ut alterum ab altero non excedatur, quoniam talis iustitia excessum eiusmodi non potest ferre: quandoquidem talis iustitia non tolerat ut lex maius decernat in pœnis, aut minus in premijs exhibendis, ut siquis centum meruit, lex iusta non retribuit solum nonaginta. Et siquis propria uoluntate & consulto perpetrauit homicidium, lex iusta secundum rigidam iustitiam non contenta est unius tantum mẽbri mutilatione, sed pœnam talionis requirit. Altero modo, siquis ualorem ipsarum rerum æstimet iuxta liberam et uoluntariã unius rei pro alia re acceptationẽ, eius cui debet fieri æqualis retributio, ut siquis cẽtum mihi teneatur soluere, & ego illi remittam decem libere ac propria uoluntate, ut nonaginta pro centum acceptẽ: in tali casu est proportio æqualitatis ipsorum nonaginta ad debitum eius, qui centum mihi tenebatur soluere: atque ita soluendo nonaginta mihi ad plenum satisfacit. Duobus prædictis modis attẽdi potest æqua

litas operum aut pœnarum nostrarum ad peccata nostra: pro quibus operibus nostris aut pœnis habemus satisfacere, uel in præsenti uita, uel in futura. Sed quantum spectat ad propositum nostrum, æqualitas operum & pœnarum ad pecca ta, minime accipi debet iuxta primum explicatum modum. quoniam si modo illo consideremus ualorem: nostra opera nulla, aut nullæ pœnæ nostræ, uel nobis iniunctæ, uel etiã uolũtariæ sumptæ a nobis proportionem habent æqualitatis ad peccata, ut illis diuinæ iustitiæ queamus ad plenũ satisfacere: æqualitas igitur accipienda est ac intelligenda iuxta diuinam acceptationem: Deus enim pro sua libera et larga misericordia certa opera certasq; poenas requirit et acceptat, tãquã abũdãtem et plenã satisfationẽ pro peccatis iam in sacramẽtali absolutione remissis. Ita quidẽ ut iustitia diuina contenta sit huiusmodi satisfactione. Quẽadmodum etiam Deus Optimus Maximus pro sua liberali & larga misericordia præsentis uitæ merita nostra, quæ propemodũ sunt momentanea, tanquam digna pro quibus æternæ uitæ præmium retribuatur, acceptat propter Christum: ut meriti ad præmium sit proportio æqualitatis hoc eodem modo.

Quomodo scire possimus quãtã oporteat esse poenam temporalem, vt per eam Deo satisfaciamus.

VErum enimuero aliquis dicat, qui scire possumus, quæ opera, quantam ue pœnã Deus postulet a nobis post condonationem peccatorum aut remissionem culparum, ut sciamus, quanta esse debeat satisfactio nostra, qua futura sit contenta diuina iustitia? Vt inquam sciamus, quanto nos tempore oporteat æquo animo pœnas ferre, quibus toleratis pœnis, quo & transacto tempore sine dubio in cœ

lum euolemus? Respondeo: Voluit Deus, ut ministri ecclesiæ.per quos remittit peccata nostra,& per quos etiam cõmutat æternam pœnam in temporalem, essent arbitri, & cẽsores in taxandis pœnis tẽporalibus,ut cũ in ecclesia militãte soluerent aliquem, peccata illius remittentes,et cũ ligarent aliquem,taxantes & iniungentes illi pœnas tẽporales:tunc eundẽ in cœlo siue in ecclesia triumphante solueret etiam diuina misericordia,& iustitia diuina taxãdo pœnas eundem ligaret. Itaq; orthodoxi patres implorato spiritus sancti auxilio temporales pœnas taxauerunt,etdefinierũt: aut quidem septennales,aut decennales,aut maiores,aut minores,pro mortalium peccatorum grauitate,in quas intelligatur semper commutari æterna pœna post sacramentalẽ absolutionem,postq; remißionẽ peccatorũ,ut eis regulariter intelligantur esse obnoxij omnes fideles post iustificationẽ,etiam si pater confessarius non iniũgat eiusmodi pœnas ijs quos absoluit,aut etiam si peccata remittantur per solã cõtritionem ante sacramentalẽ pœnitentiam, quod sane potest contingere:ut aliquanto inferius exponemus:ac si pœnas quidem illas in præsenti uita non absoluerint omnino absoluent in purgatorio:De ijs uero taxatis pœnis orthodoxi patres cõdiderũt Canones in ecclesia militãte,quos haud dubio approbauit et confirmauit Deus in cœlo: quemadmodum approbat & confirmat alias ecclesiæ suæ sanctæ ordinationes factas in spiritu sancto,iuxta suas infallibiles promißiones, quas paßim in scripturis Apostolorũ habemus. Vnde sacrosancti illi Canones debẽt in cõspectu esse, atque lõge notißimi omnibus confessarijs patribus,ut sciãt quãtum pœnarum temporalium per ecclesiam suam taxa-

uerit diuina iustitia pro peccatis iam remissis & condonatis propter Christum. Vtq; possint facile et distincte admonere pœnitentes de pœnis quas omnino sint passuri aut in præsenti uita, aut in futura, etiam si a nemine iniungantur, quandoquidem ab ecclesia taxatæ at definitæ sunt, a Deoq; ipso & approbatæ & confirmatæ.

Pœnitentiales Canones ex uariis locis collecti, atque huc redacti summatim & breuiter in ordinem.

EGo uero ut pro uiribus candidis & pijs lectoribus prosim: non grauabor pœnitentiales ipsos Canones hoc in loco subijcere in unum quasi corpus coactos diligentia & studio sancti Bonauenturæ, cum antea sparsi omnino essent in compluribus libris catholicorum & orthodoxorum patrum.

Dis.82. ca. Presbyter. CANON. 1. *Gangrense Concilium pœnitentiam imponendam sacerdoti qui de fornicatione conuictus fuerit, hanc definiuit: Presbyter si fornicationem fecerit, quanquā secundum Canones Apostolorum debet deponi, tamen iuxta authoritatem beati Siluestri, si in uicio non perdurauerit, si sua sponte confessus adiecit ut resurgat, decem annis in hunc modum pœniteat: Tribus quidem mensibus a cæteris remotus pane & aqua a uespere in uesperam utatur: tantum autem diebus dominicis, & præcipuis festis modico uine & pisciculis, atque leguminibus recreetur: sine carne et sanguine, ouis & caseo utatur: sacco indutus humi adhæreat: die ac nocte miser cordiam Dei omnipotentis imploret: finitis tribus mensibus continuis exeat: tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum pa-*

tiatur: nec enim debet ſacerdos publicè pœnitere ſicut laicus, Poſtea aliquantiſper uiribus reſumptis unum annum & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis dominicis diebus & præcipuis feſtiuitatibus, in quibus uino & ſanguine, ouis & caſeo, iuxta canonicam menſuram uti poterit. Finito primo anno & dimidio, corporis & ſanguinis, ne indureſcat, particeps fiat, & ad pacem ueniat. Pſalmos cum fratribus in choro ultimus canat: ad cornu altaris non accedat: iuxta beati Clementis uocem, minora gerat officia. Deinde uero ad expletionem ſeptimi anni omni quidem tēpore, exceptis paſchalibus diebus, tres legitimas ferias in una quaque hebdomada in pane & aqua ieiunet. Expleto ſeptimo anni circulo, ſi fratres apud quos pœnituerit eius congruam pœnitentiam laudauerint, Epiſcopus in priſtinum honorem, iuxta beati Calixti Papæ authoritatem reuocare poterit. Sane ſciendum, quod ſecundam feriam unū pſalterium canendo, aut unum denarium pauperibus dando, ſi opus eſt, redimere poterit. Finitis autem ſeptem annis, deinde uſque ad finem decimi anni ſextam feriam nulla interueniente redemptione obſeruet in pane & aqua: Eadem quoque pœnitentia erit Sacerdoti de omnibus alijs peccatis & criminibus quæ indepoſitionem eum inducunt. Neque hoc cuilibet oneroſum uideatur, ſi ſacerdos poſt lapſum digne ut ſupra dictum eſt, pœnitens ad priſtinos redeat honores.

30.q.1.cap. Si quis ſacerdos.&c.c.nō debet Epiſcopus.

CANON. 2. Cœleſtinus Papa, de ſacerdote qui cum filia ſpirituali fornicatus fuerit inquit: ab omni officio deponatur: & peregrinando duodecim annis pœniteat: Poſtea uero ad monaſterium uadat: ibique cunctis diebus

uitæ ſuæ Deo ſeruiat. De Epiſcopo autem ſimul & de presbytero qui ſpiritualem filiam ſtuprauerint ait: pœniteat Epiſcopus quindecim annos: presbyter duodecim: & deponantur: tamen ſi in conſcientia populi deuenerit. Sed de ſpirituali quidem filia cum qua illi fornicati fuerint, idem ait: Fœmina ſi laica eſt, omnia derelinquat: & res ſuas pauperibus tradat: & conuerſa in monaſterio Deo uſque ad mortem ſeruiat.

Extra de exceſſibus prælatorum & ſubditorũ c. Clerici.

CANON. 3. *Alexander tertius in Lateranẽſi Cõcilio de peccantibus contra naturam inquit: quicunque illa incontinentia quæ contra naturam eſt, propter quam ira Dei uenit in filios diffidentiæ, & quinque ciuitates conſumpſit igne, depræhenſi fuerint laborare: ſi clerici fuerint, deijciantur à clero, uel ad agendam pœnitentiam in monaſterijs detrudantur: ſi laici, excommunicationi ſubdantur, & à cætu fidelium fiant penitus alieni.*

Extra de clandeſtina deſponſatione c. cum inhibitio copulæ. in fine.

CANON. 4. *Innocentius tertius de non prohibentibus clandeſtina matrimonia, & de clam contrahentibus & coniugijs huiuſmodi fauentibus, ait in generali Concilio. Si parochialis ſacerdos tales coniunctiones prohibere contempſerit: aut quilibet etiam regularis, qui eis præſumpſerit intereſſe, per triennium ab officio grauius puniendus ſuſpendatur, ſi culpæ qualitas poſtulauerit. Sed ijs qui taliter præſumpſerint etiam in gradu conceſſo copulari condigna pœnitentia iniungatur. Siquis autem ad impediendam legitimam copulam malicioſum impedimentum obiecerit Canonicam non effugiet ultionem.*

Diſ. 27. ca. ſi uir.

CANON. 5. *Theodorus de illo qui poſt uotum uirginitatis ducit uxorem ait: Si uir ſimplex uotum uirginitatis*

nitatis habens adiungitur uxori, postea non dimittat uxorem: Sed tribus annis pœniteat.

CANON. 6. *Ioannes. 8. definiens quæ sit pœnitētia Sacerdotum qui excommunicati sacrum ministerium contingere præsumunt ait, tribus annis continuis per hebdomadam omni tempore secunda, & quarta, & sexta feria a uino aut a carne penitus ieiunent, & ultra lugenda nequaquam committant.* **Di. 11. cap. de illis.**

CANON. 7. *de calumniose accusantibus ex* Brocardo *rū quarto et quadragesimo libro habetur:* Accusasti *aliquē & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace hoc feceris, quadraginta dies in pane & aqua, quod carina uocatur, cum septem sequentibus annis pœniteas. si autem per tuam delaturam debilitatus est, per tres debes quadragesimas pœnitere.* **Extra de accusationibus. c. Accusasti.**

CANON. 8. *Zacharias de illo qui tradidit eam filio suo quam de sacro fonte susceperit ait:* Siquis *tali facinore commixtus minime restrinxerit fræna luxuriæ, ab ecclesia* Catholica *abominabitur: sed si conuersus fuerit, post separationem septem annos pœnitentiam gerat, conscijs simul cum authore sit ista conditio. idest, simul cum cooperatoribus & consentientibus pœniteat.* **30. q. 3. cap. Non oportet.**

CANON. 9. *de illo qui alteri desponsatam accepit ex* Brocardorum. *trigesimo libro habemus:* Accepisti *illam in uxorem tibi, quam alter sibi desponsatam habuerat, dimitte illam, quia nunquam potest tibi fieri legitima: & quadraginta dies in pane et aqua, quod carinam uocāt, cum septem sequentibus annis pœniteas.* **Extra de sponsa duorum. ca. accepisti.**

CANON. 10. *Calcedonēse* Concilium *de illo qui* **30. q. 4. ca. si pater.**

duabus commiſcetur commatribus inquit: Si pater aut filius, aut duo fratres cum una muliere: aut ſi cum matre & filia: aut cum duabus ſororibus: aut cum duabus commatribus aliquis concubuerit, ſecundum antiquam & humaniorem definitionem octo annos pœniteat.

34.q.1.ca.ſi quis cũ duabus.&c.ca.ſi quis cũ matre & filia.

CANON. 11. Triburienſe Concilium de habente rẽ cum duabus ſororibus, & alijs ſanguine coniunctis ait: Si quis cum duabus ſororibus fornicatus fuerit, & ſororem ſoror ab eodem antea ſtupratam neſcierit, uel ſe ſororem eius, quam antea ſtuprauerat non intellexit, ſi dignè pœnituerit, & ſe cõtinere non ualuerit, poſt annos ſeptem coniugia illis non negentur. Si autem non ignorauerint, uſque ad mortem a coniugio abſtineãt. Præterea idem Concilium inquit: ſi quis cum matre & filia fornicatus fuerit ignorante matre de filia, & filia de matre, ille nunquam accipiat uxorem: illæ uero ſi uoluerint accipiant maritos: ſi autem hoc ſcierint ipſæ feminæ abſq; maritis perpetuo maneant.

Diſ.50.cap. miror.

CANON. 12. Innocentius tertius de homicida ſacerdote inquit: Debet ſacerdotio priuatus lachrymarũ fonte flagitium tam immane diluere: ut talibus ſaltem remedijs curatus ſalutis poßit inuenire ſuffragium.

Diſ.50.cap. ſi qua fœmina.

CANON. 13. De domina quæ per zelum ancillã occiderit, Elibertinum Concilium ait: ſi qua fœmina furore accẽſa zeli, flagellis uerberauerit ancillã ſuam, ita ut infra certũ diẽ animã cũ cruciatu emittat, eo quod incertũ ſit uoluntate an caſu occiderit. ſi uolũtate poſt ſeptẽ annos: ſi caſu poſt quinque annorum tempora legitima pœnitẽtia acta ad communionem placuit admitti. Quid ſi infra conſtituta tempora fuerit infirmata? accipiat communionem.

CANON. 14. Ex Concilio Martini Papæ habetur de ijs qui uoluntate uel casu homicidium faciunt: Si quis uoluntate homicidium fecerit, ad ianuam ecclesiæ catholicæ semper iaceat: & communionem in exitu uitæ suæ recipiat: Si autem non uoluntate sed casu aliquod homicidium fecerit. primus Canon septem annis agere pœnitētiam iußit: secundus Canon quinque mandauit. Dis. 50. cap. si quis.

CANON. 15. In Hylerdensi Concilio de ijs clericis qui in obsidionibus neceßitate positi fuerint, id statutum est, ut qui altario ministrant, & Christi corpus & sanguinem tradunt, uel uasa sacra officio deputata contractant, ut ab omni humano sanguine etiam hostili se abstineant, quod si in hoc ceciderint tam officio quam communione corporis domini duobus annis priuentur, ita ut in duobus annis uigilijs, & ieiunijs, & orationibus, & eleemosynis pro uiribus, quas dominus donauerit expientur: & ita demum officio uel communioni reddantur: ea tamen ratione ne ulterius ad officia potiora promoueantur. Quod si in definito tempore negligentiores circa salutem suam extiterint, protelandæ ipsius pœnitentiæ tempus in potestate maneat sacerdotis. Dis. 50. cap. de ijs clericis.

CANON. 16. Ex pœnitentiali Romano legitur interfecisti furem aut latronem, ubi compræhendi poterat absque occisione, quia ad imaginem Dei creatus est, quadraginta dies non intres ecclesiam, & lanea ueste indutus ab escis & potibus qui interdicti sunt, & a thoro, gladio, & equitatu illos supradictos dies abstineas: in tertia autem & quinta feria, & sabbato aliquo genere leguminum, uel oleribus, pomis, & paruis pisci- Extra de homicidio uoluntario uel casuali. cap. Interfecisti.

culis cum mediocri seruisia utere temperate. Si autem sine odij meditatione te tuaq; liberando, huiusmodi Diaboli membra interfecisti, secundum indulgentiam dico propter imaginem Dei, si aliquid ieiunare uolueris, bonum est tibi: & eleemosynam fac largiter. Si presbyter eandem fecerit non deponatur, tamen quamdiu uiuit pœnitentiam agat.

Extra de homicidio. c. presbyterum.

CANON. 17. *Alexander tertius de presbytero qui quendam puerum intuitu disciplinæ percussit in capite, ait: Cum post paucos dies expirasset, tam ab omni altaris ministerio debes perpetuo remouere, quam ab officio sacerdotali deponere, si ex ipsa percussione interijt uel aliam infirmitatem incurrerit de qua noscitur expirasse.*

Extra de homicidio. cap. suscepimus.

CANON. 18. *Idem Alexander ait de presbytero qui cum fratre captos latrones ligauerat, ac ne ipse ab eis interimeretur occidit: Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam, quam conseruandis uilibus rebus, & transitorijs, tam acriter in alios exardescere: abstineat iste humiliter ab altaris ministerio: & uterque peccatum suum ad arbitrium tuum studeat expiare. Constat enim eos contra mansuetudinem ecclesiasticam ex utriusque ope interemptos.*

CANON. 19. *Nicolaus Papa de pœnitentia imponenda ei qui matrem occidit, ait: latorem præsentium matricidam esse cognouimus, cui præcipimus, ut sub iugo pœnitentiæ permaneat, ita ut per annum integrum ecclesiam non ingrediatur: Sed ante fores basilicæ stans, orās & deprecans Deum perseueret qualiter tanto eripiatur piaculo: completo uero anni circulo introeundi in ec-*

clesiam licentiam habeat. tantum inter audientes stet, sed nondum communicet: completis autem trium annorum circulis sacræ communionis ei gratia concedatur, oblationes uero non offerat, nisi prius aliorum septem annorum curricula expleantur. His autem omnibus annis atque temporibus carnem non manducet: nec uinum bibere præsumat, exceptis festis diebus, atque dominicis, & a Pascha usque ad penthecosten. & quocunque ire uoluerit nullo uehiculo deducatur: sed pedibus proficiscatur: arma non sumat nisi contra paganos, ieiunet autem tribus diebus per hebdomadam usque ad uesperam, a propria, & legitima coniuge non separetur, ne in fornicationis uoraginem corruat: quod ne fiat optamus: Si autem ante annorum trium cursum finis uitæ illius appropinquauerit, corporis & sanguinis domini nostri particeps fiat: sin autem, ut supra statuimus, efficiatur. tamen si illius conuersionem, & lachrymarum fontem in omnibus uideritis floridis actionibus & optimis operibus pullulare, humanius circa eum sollicitudo peruigil appareat, mitisque in omnibus demonstretur.

CANON. 20. Stephanus quintus Astulpho, qui uxorem occiderat hanc pœnitentiam iniungit: ut ingrediatur monasterium & sub Abbatis uiuat obedientia. aut si malit publicam pœnitentiam domi suæ atque in hoc mundo agere, imponit ei pœnitentiam hanc: exhortamur ait, ut omnibus diebus quibus pœnitere debes uinum & omnem siceram non bibas, carnem nunquam ullo tempore comedas, præterquam in Pascha, & in die natalis domini, in pane & aqua & sale pœnitentiam age 33.q.2.cap. Admonere.

In ieiunijs, & in uigilijs, & orationibus, & eleemosynis omni tempore perseuera, armis nunquam cingere, nec in quolibet loco litigare præsumas, uxorem nunquam ducere, concubinam nunquam habere, nec adulterium committere audeas. in balneo nunquam laueris, in coniugijs lætantium nunquam misclearis, in ecclesia segregatus ab alijs Christianis post ostium & postes humiliter te repone, ingredientiũ & egredientium suppliciter orationibus commendare, communione corporis & sanguinis domini cunctis diebus uitæ tuæ indignum te existimes. In ultimo tamen exitus uitæ tuæ die, si merueris pro uiatico, si sit qui tribuat tantummodo uenialiter ut accipias tibi concedimus.

Extra de ijs qui filios occidunt. c. veniens.

CANON. 21. Alexander tertius de muliere *quæ iracundiæ calore filium occidit inquit: Mandamus quatenus eam labores inducere, ut ad aliquod monasterium transeat in quo peccata sua perpetua pœnitentia deploret. Si autem repugnante carnis fragilitate ad hoc induci noluerit, ei licẽtiam in domino nubendi tribuas: quia tutius nobis uidetur, ut in domino nubat uni soli, quam inhoneste multos admittat.*

Extra de ijs qui filios occidunt. ca. de infantibus.

CANON. 22. Idem Alexander *cum infantes mortui reperiuntur apud patrem & matrem, & non apparet uter parentum oppresserit, aut suffocati, aut propria morte defuncti sint, de illis inquit: non debent inde securi esse parentes, nec etiam sine pœna. Sed tamen consideratio debet esse pietatis, ubi non uoluntas, sed euentus causa mortis fuerit, si autem eos non latet ipsos interfectores esse: scire debent se grauiter deliquisse. quidam aũt pœnitẽtiã triũ annorũ iudicant esse debere: quorũ unũ peragant in pane & aqua.*

6. q. 1. cap. Quicunque.

CANON. 23. *De periurij pœna sit statuit* Fabianus

Papa: quicunq; sciens periurauerit. quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos pœniteat: & nunquam sit sine pœnitentia: & nunquam in testimonium recipiatur, communionem tamen post hoc recipiat.

CANON. 24. De iurante per capillum aut caput Dei Pius Papa inquit: Si quis per capillũ Dei uel caput iurauerit: uel alio modo blasphemia contra Deũ usus fuerit, si in ecclesiastico ordine est, deponatur: si laicus, anathematizetur. etsi quis per creaturas iurauerit, acerrime castigetur: et iuxta id quod Synodus dijudicauerit, pœniteat. Si quis autem talem hominem non manifestauerit, non est dubium quin diuina condennatione coerceatur. Sed si Episcopus ista emendare neglexerit acerrimè corripiatur. 22.q.1.cap. si quis per capillum.

CAN. 25. Magũtinẽse Cõciliũ de mutãtibus mẽsuras et põdera iusta ĩquit: Si quis iustas mẽsuras et iusta põdera cã lucri mutare præsũpserit, trigĩta dies ĩ pane et aq̃ pœniteat Extra de emptione & uenditione. c. ut mensuræ.

CANON. 26. Gregorius decimus de monacha quæ ad lapsum adulterij deducitur inquit: si quam monacharum, uel per antiquiorem licentiam, uel per impunitatis prauam consuetudinem, ad lapsum adulterij deducta fuerit: aut in stupri fuerit deducta uoraginẽ, hanc post cõpetentis seueritatẽ uindictæ in aliud districtius monasteriũ uirginum in pœnitentia uolumus redigi: ut illic orationibus atq; ieiunijs uacet: et sic pœnitẽdo proficiat, et metuẽdũ cæteris arctioris disciplinæ præstet exẽplũ Is aũt qui cũ huiusmodi fœminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, oĩ cõione priuetur si laicus est, si uero clericus a suo quoq; remotus officio pro suis cõtinuo lugendis excessibus in monasteriũ detrudatur. 27.q.1.cap. si qua monacharum.

CANON. 27. Toletanum Concilium duodecimum De consec. Dis.2.cap. relatum.

de Sacerdote Missam celebrante, et non suscipiente communionem inquit: quicunque Sacerdotum deinceps diuino altario sacrificium oblaturus accesserit, & se a communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter priuabit gratia communionis anno uno repulsum se nouerit.

De consecra. Dist. 2. c. nemo per ignorantiã.

CANON. 28. Clemens Papa de mortuis nõ obuoluẽdis uestimentis altaris ait: nemo per ignorantiam clericus mortuum credat aduoluendum, aut eius scapulas operire uelit palla quæ fuerit in altari, aut certe quæ diacono data est in mẽsa domini: qui hoc fecerit, uel leuiter quasi nihil, & negligenter habuerit, diaconus triennio sexque mensibus a dominico erit remotus altari, graui percussus Anathemate: eo quod clericum non admonuerit: presbyter decem annis & sex mensibus excommunicatus sit, propterea quod de dominicis sacramentis subiecta sibi non admonuerit ministeria, & postea cum grandi humilitate matri reconcilietur ecclesiæ.

12. q. 2. cap. De utronefundo.

CANON. 29. Nicolaus Papa definiens quæ pœnitentia sit imponenda ecclesiasticarum rerum inuasoribus ait: iubemus, cum ad pœnitentiam quandoque reuerti accelerauerint, uno anno extra ecclesiam Dei consistere cuius sacratissima uasa extra ritum fidei christianæ diripiendo auferre nõ dubitauerãt. Secũdo uero anno ante fores ecclesiæ sine cõmunione maneãt. Tertio uero anno ecclesiã Dei ingrediantur, & inter audientes astent sine oblatione, non manducantes carnem, neque bibentes uinum præter natiuitatis et resurrectionis dominicæ dies. Quarto præterea anno si his prioribus tribus annis eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium restituantur, totaque

mentis intentione spondentes talia se ulterius nunquam facturos, corpus & sanguinem domini suscipere mereantur: & usque ad septem annos tribus in hebdomada diebus sine esu carnium & uini potatione maneant pœnitentes.

CANON. 30. Elibertinum Concilium de parentibus qui fidem frangunt sponsaliorum ita decernit, si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum triennij tempore a cõmunione abstineant. Si uero idem sponsus uel sponsa in illo graui crimine non fuerint depræhensi, excusati erunt parẽtes. Si uero in eodem fuerint uicio, & polluerint se consentientibus, superior sententia seruetur. 31.q.3.ca. si qui parentes.

CANON. 31. de uidua quæ mechum accepit uirum suum Elibertinum Concilium sic statuit: si qua fuerit uidua mechata, & postea eundem habuerit maritum, post quinquennij tempus acta legittima pœnitentia placuit eam ad communionem reconciliari. 31.q. cap. si qua fuerit.

CANON. 32. Gregorius nonus de illo qui contra Deum, uel aliquem sanctorum, & maxime beatam uirginem lingua in blasphemiam publice relaxare præsumpserit, ait: Statuimus ut per Episcopum suum pœnæ subdatur inferius annotatæ. uidelicet ut septem diebus dominicis præforibus ecclesiæ in manifesto dum aguntur Missarum solennia blasphemus existens ultimo illorum die dominico, pallium & calciamenta non habeat, ligatus corrigea circa collum, septẽque præcedentibus sex ferijs in pane & aqua ieiunet, ecclesiã nullatenus ingressurus. quolibet quoque prædictorum dierum tres, si poterit, alioqui duos reficiat pauperes, siue unum. Et si nec ad hoc eius suppetant facultates, id in pœnam aliam commutetur, cui etiam si renuerit recipere Extra de maledicis. c. statuimus.

ac peragere pœnitentiam supradictam, ecclesiæ interdicatur ingressus, & in obitu ecclesiastica careat sepultura. per temporalem præterea potestatem coactione, si necesse fuerit Episcopi Diocesani *adhibita contra eum, blasphemus si diues fuerit quadraginta solidorum, alioqui triginta, siue uiginti, & si ad id non sufficiat, quinque solidorum usualis monetæ pœna mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus: quod etiam inter alia communitatum statuta ponatnr.*

De pœnit. d.6.c. Sacerdos.

CANON. 33. *Gregorius de sacerdote qui peccata pœnitentis publicat inquit: Sacerdos ante omnia caueat, ne de his quæ ei confitentur peccata sua alicui recitet, quod ea confessus est non propinquis non extraneis, neque quod absit pro aliquo scandalo: nã si hoc fecerit, deponatur: et omnibus diebus uitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.*

22.q.5.cap. qui compulsus.

CANON. 34. *Pius Papa de illo qui peierare impulsus fuit a domino suo inquit: Qui compulsus a domino sciens periurat, utrique periuri sunt, & dominus & miles:* Dominus, *quia præcepit: miles, quia plus dominum quam animam suam dilexit. Si liber, quadraginta dies in pane & aqua pœniteat, & septem sequentes annos: si seruus eiusdẽ, tres quadragesimas, & legitimas ferias pœniteat.*

22.q.5.cap. qui periurat.

CANON. 35. *Pius Papa eius pœnitentiam qui in manu* Episcopi *aut in cruce consecrata periurat sic definit: Qui periurat in manu* Episcopi *aut in cruce consecrata, tres annos pœniteat: si uero in cruce inconsecrata annum unum pœniteat. Qui autem coactus fuerit, & ignorans si periurauerit, & postea cognoscit, tres quadragesimas pœniteat.*

22.q.5.ca. si quis coactus.

CANON. 36. *Ex pœnitentiali* Theodori *habetur*

qua pœna sit feriendus qui necessitate coactus periurat, hoc modo: Si quis coactus pro uita redimenda, uel qualibet causa, uel necessitate periurat, quia plus corpus quam animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat. Alij uero iudicant tres annos, unum ex his in pane & aqua.

CANON. 37. Gelasius Papa, qua pœna is feriendus sit, qui deierat aliosq; facit deierare, ita decreuit: Si quis periurauerit, & alios sciens in periurium duxerit, quadraginta dies pœniteat in pane & aqua, & septem sequentes annos, & nunquam sit sine pœnitentia, & alij si conscij fuerint similiter pœniteant. 22. q. 5. ca. si quis periurauerit.

CANON. 38. Toletanum undecimum Concilium de ijs qui unum eundemq; in psallendo & celebrando publica officia non teneant modum, quem a metropolitana sede institutum cognouerint: ait, Quisquis horũ decretorum uiolator extiterit, sex mẽsibus a cõmunione priuatus apud Metropolitanũ sub pœnitẽtiæ censura maneat corrigẽdus: quatenus apud illũ et præteritæ trãsgreßionis culpã lachrymis diluat, et necessariã officiorũ doctrinã studiose addiscat. Sub ista ergo regula disciplinæ, non solũ Metropolitanus totius suæ prouinciæ Pontifices uel sacerdotes astringat: sed & cæteri Episcopi subiectos suos ecclesiarum rectores obtemperare suis institutionibus cogant. Dis. 12. cap. De ijs.

CANON. 39. Toletanum undecimum Concilium de accipientibus præmiũ pro sacramentorum distributione inquit: quicunque deinceps in ecclesiastico ordine constitutus aut pro baptizandis, consignandisq; fidelibus chrismate, uel promotionibus graduũ præcia quælibet, uel præmia, nisi uoluntarie oblata pro huiusmodi ambitione susceperit: equidẽ 1. q. 1. cap. Quidquid.

si sciente loci Episcopo tale quicquã a subditis perpetratũ fuerit: idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subiaceat pro eo quod in scientia mala contexit & correptionem necessariam non acquisiuit. Sin autem suorum quispiam eodem nesciente quicquam de supradictis capitulis accipiendum sibi esse crediderit: si presbyter est quatuor mensium excommunicatione plectatur: si diaconus, trium: subdiaconus uel clericus his cupiditatibus seruiens pro arbitrio competenti pœna & debita excommunicatione plectendus est.

Dis.74.ca. Episcopus.

CANON. 40. de Episcopo qui ordinare inuitum præsumit inquit Aurelianum Concilium: Episcopus qui inuitum aut reclamantem ordinare præsumpserit annali pœnitentiæ subditus Missas facere non præsumat.

Extra de sortilegijs. c, i tabulis.

CANON. 41. de requirentibus furta per diuinationes ex pœnitentiali Theodori legitur: In tabulis uel codicibus aut alijs sorte furta non sunt requirenda: nec diuinationes aliquas in aliquibus rebus quis obseruare præsumat: qui autem contra fecerit quadraginta dies pœniteat.

Extra de sortilegijs c, ex tuarum

CANON. 42. Alexander tertius de presbytero qui cum quodam infami ad priuatum locum accesſit, non ea intẽtione ut uocaret Demonium, sed ut inspectiõe astrolabij furtum cuiusdam ecclesiæ posset recuperare, ait: Mandamus quatenus talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quod per annum & amplius, si tibi uisum fuerit, eum ab altaris ministerio præcipias abstinere, & ex tunc liberum sit ei exercere officium sacerdotis.

De consec. Dis. 2. ca. si per negligentiam.

CANON. 43. Pius Papa eius pœnitentiam cuius negligentia de Christi sanguine aliquid stillat hanc decreuit:

si quis per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit in terram lingua lambetur, tabula radetur, si non fuerit tabula ut non conculcetur, locus tamen radatur, & igne consumetur, & cinis intra altare condatur, & sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat: si super lintheum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat si usque ad tertium, nouē diebus pœniteat, si usque ad quartum, uiginti diebus pœniteat & lin theamina quæ tetigerit stilla tribus uicibus minister abluat calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.

CANON. 44. Ex pœnitentiali Bedæ presbyteri pœnitentia quæ sit imponenda ei qui sacramentum euomit, hæc habetur: Si quis per ebrietatem uel uoracitatem eucharistiam euomerit, quadraginta diebus pœniteat si laicus est: clerici uel monachi, seu diaconi, præsbyteri septuaginta diebus pœniteāt: Episcopi nonaginta, si pro infirmitatis causa euomerint, septem diebus pœniteant. De consec. dis. 2. cap. si quis per ebrietatem.

CANON. 45. Concilium Maguntianum de illo qui occiderit presbyterū inquit: Qui presbyterū occiderit duodecim annorum pœnitētia ei secūdum Canones imponatur. et infra conuictus usq; ad ultimum tēpus uitæ suæ militiæ cingulo careat, & absque spe coniugij maneat. Extra de pœnitentijs & remissionibus. c. qui presbyterū.

CANON. 46. Innocentius tertius de occidentibus aut mutilantibus rectorem aut clericum ecclesiæ inquit: Sacri concilij approbatione statuimus, quatenus si patroni, uel aduocati, aut feudatarij, seu uicedomini, aut alij beneficiati alicuius ecclesiæ rectorē, uel clericū alium ipsius ecclesiæ, per se, uel per alios occidere uel mutilare ausu nefando præ Extra de pœnis: in. c. in quibusdā

sumpserint: patroni ius patronatus, aduocati aduocatiam, feudatarij feudum, uicedomini uicedominatum, & beneficiati beneficium prorsus amittant: & ne minus uindictæ quam excessus memoria prorogetur, non solum de præmißis nihil perueniat ad hæredes, sed etiam usque ad quartam generationem posteritates talium in Clericorum collegium nullatenus admittantur, neque in domibus regularibus alicuius prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum.

Extra de iniurijs & dãno dato cap. si quis domum.

CANON. Quadragesimus septimus. Ex pœnitentiali Romano de ijs qui domum aut aream incenderint habetur: Si quis domum uel aream cuiusquam incenderit uoluntarie, sublata & incensa omnia restituat, & tres annos pœniteat. De incendiarijs quoque Innocentius secundus in uniuersali Concilio generaliter constituit dicens: Peßimam quidem depopulatricem, & urendam incendiariorum malitiam authoritate Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli omnino detestamur, & interdicimus. Si quis ergo post huius nostræ prohibitionis promulgationem malo studio siue pro odio, siue pro uindicta ignem apposuerit, uel apponi fecerit, aut appositoribus consilium uel auxlium scienter tribuerit, excommunicetur. & si mortuus fuerit incendiarius christianorum careat sepultura, nec absoluatur, nisi prius damno cui intulit secundum facultatem suam resarcito: & iuret se ulterius ignem non appositurum: pœnitentia autem ei detur, ut Hierosolimis aut in Hispania in seruitio Dei per annum integrum permaneat. Si quis autem Archiepiscopus, uel

23.q.8.cap. peßimam.

Episcopus hoc relaxauerit, damnum restituat, per annum ab officio Episcopali abstineat. Sanè regibus & principibus faciendæ iustitiæ facultatem consultis Archiepiscopis non negamus. 24.q.1.cap. si quis.

CANON. 48. *Iulius Papa eius pœnitentiam qui de manu hæretici nesciens prohibitam communionem accepit, hanc instituit: Si quis dederit aut acceperit communionem de manu hæretici & nescit quod catholica ecclesia contradicit postea intelligens unum annum integrum pœniteat, Si autem scit & neglexerit, & postea pœnitentiam egerit decem annos pœniteat. Alij iudicant septem, & quidam humanius, ut quinque annos pœniteat. Si quis permiserit hæreticum Missam suam celebrare in ecclesia catholica & nescit, quadraginta dies pœniteat, si pro reuerentia eius annum unum pœniteat. Si pro damnatione ecclesiæ catholicæ, & consuetudinis Romanorum, proijciatur ab ecclesia sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiam: si habuerit: decē annos pœniteat: si recesserit ab ecclesia catholica in congregationem hæreticorum, & alijs persuaserit, & postea pœnitentiam egerit: duodecim annos pœniteat: tres extra ecclesiam: septem inter audientes: & duos ad huc extra communionem. De his ita in Canone dicitur: ut duodecimo anno communionem sine oblatione percipiant.*

CANON. *Quadragesimus nonus. Concilium Maguntiacum de illo qui rem habuit cum filiastra inquit: Siquis uiduam duxerit uxorem: & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus: aut si qua cum duobus fratribus, seu cum patre & filio: si quis relic-* 32.q.7.cap. si quis uiduam.

tum fratris, quis neptem, aut nouercam, aut nurum, aut consobrinam, aut filiam auunculi, aut eius relictam, aut priuignam polluerit, eos disiungi, & ulterius nunquam in coniugio copulari præcipimus.

33.q.2.cap. hoc ipsum.

CANON. 50. Isidorus de cuiusque mortalis peccati pœnitentia inquit: Ecclesiastica consuetudine est usurpatum, ut maiorum criminum pœnitentia septem annorum spatio concludatur, nisi uel officij excellentia, uel criminum magnitudo uulgarem consuetudinem excedens, ueluti dum contra naturam humanæ societatis parentibus, uel liberis uel alijs eiusmodi personis impudice adhæremus: uel dum relicto naturali usu contra naturam more Sodomitico fornicamur, uel usque ad coitum brutorum animalium prolabimur, præmissum spatium transcendere cogat.

26.q.5.ca. qui diuinationes.

CANON. 51. Anquiritanum Concilium de expetentibus diuinationes ita statuit: Qui diuinationes expetut, & morem gentilium subsecuntur, uel in domos suas huiusmodi homines introducunt exquirendi aliquid arte magica, aut expiandi causa, sub regula quinquennium iaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos.

26.q.5.cap. si quis Episcopus.

CANON. 52. Concilium Toletanum quartum de Episcopo & presbytero magos & aruspices consulente ait: si quis Episcopus aut presbyter, uel diaconus, uel quilibet de ordinibus clericorum, aruspices, aut incantatores, aut hariolos, aut certe augures, uel sortilegos, uel qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes consuluisse fuerit depræhensus, ab honore dignitatis suæ suspensus monasterij curam excipiat, ibique pœnitentiæ perpetuæ deditus, scelus admissum sacrilegij soluat.

CANON.

CANON. 53. Arelatense Conciliū pœnitentiam eius, qui non benè sacrificiū custodit hanc definit: Qui benè nō custodierit sacrificium, et mus uel aliud aliquod animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat, qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit triginta dies pœniteat. De consecr. dis. 2. ca, qui bene.

CANON. 54. Innocentius tertius in generali Cōcilio statuit ut in cunctis Ecclesiis Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruētur, ne poßit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia uel nefaria exercenda: & contra negligentes sic animaduertit. Si is ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur: et si per eius in curiam aliquid nefandum inde contigerit, grauiori subiaceat ultioni. Extra de custodia eucharestiæ. cap. statuimus.

CANON. 55. Hilerdense Concilium, qua pœna feriatur qui illicitum iuramentum facit, sic statuit: Qui sacramento se obligauerit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro periurio uno anno a communione corporis & sanguinis domini segregatur, reatum suum eleemosynis, fletibus & quantis potuerit ieiunijs absoluat: ad charitatem uero quæ operit multitudinem peccatorum celeriter uenire festinet. 22. q. 4. ca. qui sacramēto.

CANON. 56. Alexander tertius Abbati cuidam respondens de Acolyto qui longa egritudine confectus, insano sortilegarum mulierum consilio credens ut sanaretur, per iterationem fecit iniuriam baptismatis sacramento, ait: quia tua nos duxit prudentia consulendos, qualiter puniri debeat Acolytus, quem minor ætas, & intentio fraternæ salutis Extra de Apostatis. ca. ex liter.

excusare uidetur, discretioni tuæ præsentibus literis respondemus: quod ad superiores ordines promoueri, si publicum est quod proponitur, non ualebit, nisi ad religionem transire uoluerit, ut fauore religionis ipsius circa eum ualeat dispensari. Si uero occultum est, promoueri poterit, & excessum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare.

De consecr. dis. 5. ca. Dictum est. CANON. Quinquagesimus septimus Terragonense Concilium de secundo uel tertio confirmatis ait: Dictum est nobis, quod quidam de plebe bis, uel ter, uel eo amplius, Episcopis ignorantibus tamen, ab eisdem Episcopis confirmentur: nunc uisum est nobis eandem confirmationem, sicut nec baptisma, iterare minime debere: quia bis uel ter, uel amplius baptizatos, uel confirmatos, non seculo sed soli Deo, sub habitu regulari, uel clericali religiosissime famulari decretum est.

Extra de raptoribus. ca. super eo uero. CANON. Quinquagesimus octauus Eugenius tertius statuit ut quicunque ex his qui uiolenter surrexerunt in rapinam, siue Ecclesiarum uiolationes manifeste fuerit depræhensus, nisi prius ablata restituat, si poterit, uel emendandi plenam & firmam securitatem fecerit, pœnitentiæ beneficium ei penitus denegetur. Si uero usque ad obitum in contumacia sua durauerit, & in extremis positus remedium pœnitentiæ humiliter postulauerit, si emendationem, uel emendandi securitatem præstiterit, ei pœnitentia & sepultura Ecclesiastica concedantur: qui autem in sanitate obstinata mente non pœnitue-

rit, uel emendauerit, & in morte securitatem præstare nequiuerit, solennitas pœnitentiæ parum prodesse uidetur, sicut credimus, sed de peccato contrito corde, uiaticum non negetur. Ita tamen ut nullus clericorum sepulturæ eius intersit, nec eius eleemosynam præsumat accipere. Quod si qui presbyterorum uel clericorum contra hoc, in uita uel morte pœnitentias dare, aut sepulturæ interesse, uel eorum eleemosynas recipere tentauerint, seu huiusmodi rapinæ participes inuenti fuerint, ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & Ecclesiastico beneficio careant.

CANON. *Quinquagesimus nonus. Lateranense Concilium, de capientibus & spoliantibus Christianos ait: Excommunicationi subdantur, qui Romanos aut alios Christianos pro negociatione, uel alijs honestis causis nauigio uectos, aut capere, aut rebus suis spoliare præsumunt. Illi etiam, qui Christianos naufragium patientes, quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur, damnata cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se nouerint subiacere.* Extra de raptoribus. c. excōmunicationi.

CANON. *Sexagesimus. Meldense Concilium de illis qui de loco ad locum iter faciunt & ibi rapinas & deprædationes peragunt ait: Placuit ut ab illius loci prælato excommunicentur, nec antea ex Parochia illa exeant quam digne quæ perpetrarunt emendent, quorum excommunicatio proprio Episcopo significanda est, ne eos recipiat antequam illuc redeant, ubi rapinam fecerint, & omnia plene emendent.* Extra de raptoribus. ca. De illis.

Extra de Raptoribus c. in Archiepiscopum.

CANON. 61. Cum Rex Siciliæ Panormitano Archiepiscopo & alijs Episcopis commisisset ut in suis Episcopatibus habitantes Saracenos punirent qui rapuissent mulieres christianas, et pueros, eisque abusi fuissent, et quosdam etiam occidissent, sic Alexander tertius ad Archiepiscopum illum scribit: Consulimus quod tales in iurisdictione tua existentes pecuniaria poteris pœna mulctare, & etiam flagellis afficere, ea moderatione adhibita, quod flagella in uindictam sanguinis transire minimè uideantur: si uero ita fuerit grauis excessus, quod mortem uel detruncationem mẽbrorum debeant sustinere, uindictam reserues regiæ potestati. Canon iste proprie inter pœnitentiales minimè connumerandus est, illum tamen recitare placuit: ut sciamus Principẽ posse ecclesiasticis prælatis causas etiam criminales delegare: si modo causa sanguinis non sequatur.

Extra de furtis. c. Fures.

CANON. 62. Triburiense Concilium de furibus & latronibus inquit: Fures & latrones, si infurando & deprædando occiduntur, uisum est pro eis non esse orandum: sed si compræhensi aut uulnerati presbytero uel diacono confeßi fuerint, communionem eis non negamus.

Extra de furtis. cap. si quis.

CANON. 63. Ex pœnitentiali Theodori habetur de illo qui fit propter neceßitatem aliquid furatus: Si quis propter neceßitatem famis aut nuditatis furatus fuerit necessaria, uestem, uel pecus, pœniteat hebdomadas tres: & si reddiderit non cogatur ieiunare.

Extra de adulterijs. c. significasti.

CANON. 64. Alexander tertius de presbytero qui cum alterius uxore infra Ecclesiam dormiuerat, deque adultera illa inquit: Mandamus quatenus condignam pœnitentiam præfatæ imponens adulteræ, Ecclesiam per asper-

sionem aquæ benedictæ reconciliare procures, predicto autem sacerdoti, ne contra Apostolum infirmorum corda mala fama ipsius percutiantur, & ne uituperetur ministeriũ nostrum, neque securiores presbyteri existentes in peccatum libentius prolabantur, cum uicinis quinque presbyteris, quos se nolle peierare cognoueris, iuxta arbitrium tuũ purgationem indicas: quem, si purgare se poterit, in officio suo ministrare permittas, alioqui ab officio ipsum suspendere non postponas.

CANON. 65. *Gregorius de Felice quodam qui uirginem uiciauerat, inquit: Nos aliquatenus legis duritiã molliẽtes hoc modo disponimus: ut aut quam stuprauit uxorem habeat, aut si renuendum putauerit, corporaliter castigatus, excommunicatusque in monasterio in quo agat pœnitentiam retrudatur, de quo nulla sit egrediendi sine præcepto licentia.* Extra de adulterijs, c. peruenit.

CANON. 66. *Innocentius tertius in generali Concilio de medicis qui accedentes ad infirmos, ipsos ante omnia, non monent, neque inducunt, ut medicos aduocent animarum, inquit: Si quis medicorum, huiusmodi nostræ constitutionis postquam per prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tandiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgreßione huiusmodi satisfecerit competenter. Cæterum cum anima sit multo prætiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid egroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.* Extra de pœni. & remiss. ca. cum infirmitas.

CANON. 67. *Innocentius tertius de illo qui saltem semel in anno fideliter proprio sacerdoti peccata sua* Extra de pœn. & remißionibus c. ois vtriusque.

non confitetur,atq; in Paschate nō sumit eucharistiam,nisi forte de proprij sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum,ait: Viuens ab ingressu ecclesiæ arceatur: & moriens Christiana careat sepultura. De sacerdote porrò ille idem inquit: Caueat autem omnino, ne uerbo aut signo & alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit,illud absque ulla expræssione personæ cautè requirat,quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelatur, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus: uerum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

Quomodo patres confessarij debeant pœnas temporales iniungere.

CAeterum quo pacto fieri debeat harum temporalium pœnarum,quæ per Canones taxantur,a patribus cōfeßarijs particularis iniunctio ijs quos absoluunt.nobis occurrit triplex consideratio,quarum prima est, quod iniungenda sit aliqua pœna. Altera,quod nulla sit pœna iniungenda,si reijciat eam pœnitens: Tertia,quòd omnes per Canones taxatas pœnas operæpretium sit pœnitentibus iniungere.de his tribus considerationibus placet huc uerba subtilissimi Ioannis Scoti proferre.

Nunquid pœnam,ait,a claue non errante impositam tenetur pœnitens adimplere? Respondeo,quod sic, si uelit se submittere sacerdoti huic,& quantum ad absolutionem culpæ,& quantum ad suceptionem pœnæ totalis correspon-

dentis,quia tunc obligatur præcepto Ecclesiæ, cui se uolun tarie submittit.si autem tantũmodo se uelit submittere huic quantum ad commutationem pœnæ æternæ in temporalem & non quantum ad taxationem pœnæ totalis, sed tantum quantum ad illam, & illius taxationem:uult se subdere manui Dei,uel hic,uel in Purgatorio,nõ expediret talem sine absolutione repellere,tũc enim recederet desperatus, nec ui detur propter istam uoluntatẽ esse in peccato mortali, cum conteratur de pcõ,et uelit puniri pœna cõdigna pro eo,et ab eo cuius est iuste eam infligere,licet nolit eã sibi infligi ab hoc sacerdote,nec ipsemet uelit eam recipere,ut sit minister ipsius infligendæ:nec potest dici hunc inobedientem Ecclesiæ esse,quia põt se submittere arbitrio Ecclesiæ quantũ ad iudicium illud pœnitẽtiale,ad quod necessario tenetur se submittere, licet nolit se submittere illi sequenti:& patet quod illud non includitur necessario in primo.quia sacerdotes,primo existente quantuncunque uniformiter,ualde uariant sequens.unde & frequenter propter uoluntatem confitentis ad subeundum pœnam non magnam, dant aliquam modicam:prædicendo sibi,quòd oportet residuum soluere in Purgatorio,& cum illa parua sit manifeste improportionata culpæ,& omnino extra latitudinem; non propter hoc non recipit talis sacramentum pœnitentiæ,eodem modo uidetur,quod potest omnino pœnam nullam sibi imponere propter resistentiam eius ad sustinendum, prædicendo sibi quòd totam illam pœnã oportet soluere in Purgatorio. Et Augustinus,hoc innuit,quòd si uix tali inclinabili imponatur pœnitẽtia aliqua displicẽs,timẽdũ est ne inde accipiat occasionem recidiuandi in peccatum mortale, quia proijciẽdi

precio, quod ex thesauro Ecclesiæ depromitur, soluuntur diuinæ iustitiæ debita illa pœnarum temporalium.

Quæ sit iniungendarum temporalium pœnarum latitudo.

A*Nnotatu uero dignissimum est hoc in loco, sicut in alijs commutationibus iustitia commutatiua aliquam habet latitudinem, ita sane ut non respiciat necessario indiuisibilem gradum, sed medium rectæ rationis, sic iustitiam punitiuam, quæ est quædã pœnæ commutatio pro culpa, nõ respicere necessario indiuisibilem gradum pœnæ correspondentẽ huic culpæ: sed esse, ibi aliquam latitudinem: infra quam minor pœna non sufficit: & ultra quam pœna maior non imponenda est. Manens ergo infra latitudinem, clauis aut potestas Ecclesiastica non errat, & si minime punctale medium attingat: ac iudicium eius idcirco ab Optimo Maximo Deo approbatur, nec maior exigitur pœna. Atque ita si utens potestate Ecclesiastica citra punctale medium taxat, manens tamen in illa latitudine, aliquid ui clauium remittit pœnæ temporalis, id nimirum in quo deficit a punctali medio.*

Aduersarii nostri arguunt contra satisfactiones canonicas.

H*Oc in loco aduersarij nostri contra ea quæ de satisfactionibus Canonicis explicauimus colligunt argumẽtum, ut illi arbitrantur Achilleum. Non solum Christus, aiunt, purgationem peccatorum nostrorum fecit: quemadmodum inquit Paulus: sed etiam, ut Esaias ait, languores nostros tulit, et dolores nostros ipse portauit. Ergo sicut Deus peccata omnino remittit propter Christum:*

Heb. 1.
Esa. 53.

sic propter Christum prorsus totam pœnam remittit. Nullæ igitur sunt pœnæ satisfactoriæ peccatoribus Deo *recõciliatis iniungendæ: alioqui maxima iniuria fit domino nostro* Iesu *Christo: atque illius beneficium uehementer obscuratur.* Ex *illis quidem satisfactorijs pœnis, quæ pro peccatis iniunguntur à sacerdotibus, sequi necessarium est, Christum non satisfecisse ad plenum, tum pro peccatis nostris, tũ pro pœna nobis debita: quod pugnat cum uniuersa* Euangelij *doctrina: quæ blasphemia inquam horribilis est.*

Soluuntur omnia aduersariorum nostrorum argumenta quæ illi possunt colligere contra satisfactiones canonicas.

R*Espondeo non solum ad hoc argumentum, sed etiam ad mille huiusmodi alia, quæ facile possent colligi ab aduersarijs nostris contra ueritatem catholicam de satisfactionibus canonicis.* Pr*æter ciuiles inquam satisfactiones, duplex omnino satisfactio est in* Ecclesia Dei: V*na, qua meritorie omnium credentium peccata remittuntur: & qua remittitur corãm* Deo *gehennalis pœna.* H*æc soli* C*hristo ferenda est accepta: qui solus fuit sacrificium propitiatorium & satisfactorium, ut exeruimus in lib. de sacrificio* M*issæ.* A*ltera satisfactio est, quæ canonica & ecclesiastica nominatur: quæ & commode potest dici castigatoria, non in* C*hristo sed in quibuscunque membris* C*hristi: nam prima, quam* C*hristo acceptã retulimus, castigatoria fuit in solo* C*hristo: qui ut* Petrus *ait tulit peccata nostra in corpore suo super lignum.* Et *quemadmodum* E*saias inquit,*
1. Petri. 2. Esa. 53. *langores nostros tulit, & dolores nostros ipse portauit.* H*anc inquam non* C*hristi, sed uniuersaliter omnium fide-*

lium castigatoriam debent secerdotes pœnitentibus, quos absoluunt, iniungere:non eo consilio & proposito, ut per eam apud Deum remißionem peccatorum & pœnæ æternæ promereantur: Quandoquidem iam aßecuti sunt illam in pœnitentia propter Christum, sed alijs & quidem maximis de causis id præstare debent. Ac primo sanè ut declaretur Sacerdotibus,adeoq; ipsi Ecclesiæ, quod syncero animo,& conscientia bona, & fide non ficta resipuerint, uenerintq; ad pœnitentiam & absolutionem. Deinde ut carnis temeritatem atque insolentias castigent,reprimant, cohibeant,mortificent. Præterea ut reliquias peccatorum, siue illæ sint remanentes habitus, siue pronitates ad consimiles actus peccandi eorũ ex qu ibus aggeneratæ fuerunt, paulatim extinguant & aboleant: siue temporales pœnæ sint ab Ecclesia per Canones taxatæ,ut earum sint purgatoriæ. de quibus reliquijs abunde loquti sumus in libro de Purgatorio.

Quomodo clauis scientiæ,& clauis potestatis vna sit clauis, & quomodo inter se distinguantur.

VT redeamus ad sermonem de clauibus: Quemadmodum supra diximus, characterem sacerdotalem potestatemq; sacramentum Eucharistiæ conficiendi, & clauem potestatis,unam eandemq; potestatem,authoritatem & facultatem esse quantum ad essentiam pertinet, quamuis aliquo modo inter se distinguantur & differant secundum respectus uarios diuersasq; relationes: Simili quoque modo asserimus nunc dicendum esse, clauem scientiæ clauemq; potestatis unam & eandem esse authoritatem

potestatem & facultatem quantum ad essentiam pertinet: quamuis differant aliquo modo inter se: nimirum quatenus earum sunt uarij & differentes actus: quorum unus haud dubie præsupponit alterum. Nec enim *debemus characteres & potestates cumulare & multiplicare in anima, si ad id faciendum non urgeamur, uel testimonio & authoritate diuinarum scripturarũ, aut sanctæ & catholicæ* Ecclesiæ: *uel cogentibus alijs rationibus. nam pertinet ad eandem authoritatem iudicare sit ne persona idonea: & nunquid sit absolutus actus in quocunq;, pro munere proq; officio suo, debente aliquem omnino actum exercere circa definitam aliquam personam: quam oporteat pro eiusmodi actu idoneam esse.* Vt *in actu iustitiæ, qua id alicui redditur, quo dignus est: ad eum pertinet scientia & iudicium dignitatis, cuius interest alicui pro dignitate ipsius & meritis aliquid reddere.* Cum *igitur ecclesiasticus iudex pro munere atque officio suo habeat per clauem ordinis eos recipere qui digni sunt, & indignos excludere: opus est confiteri, sacerdotem qui sit iudex ecclesiasticus secundum eandem potestatem iudicare, sit necne digne absoluendus is quem absoluturus est.* Itaque *una eademq; secundum essentiam potestas est, quæ propter diuersos actus, quorum unus alteri subordinatur, nunc uno, nunc alio nomine appellatur: propter enim primum actum, qui est iudicare, uocatur clauis scientiæ: sed propter alterum actum, qui est indignos excludere, ac eos recipere qui digni sint, dicitur clauis potestatis.*

Reclamãt his, quæ disseruimus, nonnulli.

S*Ed aliqui reclamant & repugnant his quæ diximus: quomodo fieri potest, aiunt illi, ut clauis scientiæ cla-*

uisq; potestatis una sit, eademq; authoritas, potestas, & facultas: quandoquidem unam separari ab altera contingit? potest enim committere alicui Papa, ut is cognoscat, discernatq; in aliqua causa, præterquam quod sententiam ferat. Deinde Christus apud Mattheum, inquit, tibi dabo claues regni cœlorum: ubi glossa habet: claues sunt scientia discernendi, & potentia qua iudex ecclesiasticus dignos recipit, & indignos excludit à regno cœlorum. Illa uero quæ plurali numero enuntiantur, haudquaquam sunt una & sola potestas. Deinde in aliquibus maior, in aliquibus uero minor, est clauis scientiæ: in omnibus autem æqualis est clauis potestatis: duæ igitur illæ claues non sunt una eademq; potestas: alioqui fieri posset, ut idem uariaretur ac prorsus inuariabile esset. Cap. 16.

Soluuntur iam recitatæ opinionis argumenta.

VErumenimuero hæc argumenta, quæ à nonnullis producuntur in medium, uana sunt ac nullius momenti: falsum enim est, unam clauem ordinis ab altera separari: neque in iudicio, siue in foro conscientiæ, ad quem proprie spectant claues ordinis, unquàm Papa unam clauem sic ab altera separat, ut unam sine altera committat alicui: ut inquam una habeat pœnitentis peccata cognoscere atque discernere: altera autē habeat absoluere. Deinde apud Mattheum pluraliter dicit Christus, tibi dabo claues, quoniam loquitur de claue iurisdictionis, & de claue ordinis: quæ omnino inter se distinguuntur: imò etiam clauis scientiæ, & clauis ordinis, possunt pluraliter dici claues: nō propter essentiarum, sed propter actuum pluralitatem, ut disseruimus. Denique falsum est, clauem scientiæ uariari: &

clauem potestatis æqualem esse in omnibus. Quamuis enim scientia in alijs maior, in alijs minor sit: non tamen clauis scientiæ. Nec enim huiusmodi clauis est, quemadmodum Petrus Lombardus putauit, scientia: sed authoritas est ac potestas quædam ut explicauimus antea.

Quomodo potestas clauium extendatur ad remissionem culpæ & pœnæ.

VT *clarius illustretur à nobis potestas clauium: sciẽdum est eam extendi aliquo modo ad remißionem culpæ et pœnæ. Christus enim ait, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. hoc uero nõ ita capiendum est, quemadmodum opinatus est Magister sentẽtiarum, quasi per potestatem clauium pœnitens duntaxat ostendatur & manifestetur absolutus esse. Ita quidem Sacerdotum noui Testamẽti potestas non esset maior, quàm Sacerdotum ueteris Testamenti potestas fuerit: qui purgatam & mundatam esse indicabant lepram: quam illi nec purgare nec mundare poterant. Deinde sacramenta noui Testamenti agunt quod significant: quandoquidem sacramentum est inuisibilis gratiæ uisibilis forma, ut ipsius imaginem gerat, & causa existat: absolutio autem sacramentalis remißionem culpæ significat: dicit enim sacerdos absoluens, ego te absoluo: Potestas igitur clauium extenditur aliquo modo ad remißionem culpæ: multo ergo magis ad remißionem pœnæ. Quod ut probe intelligatur, aliqua sũt huc altius repetẽda.*

Ioan. 20.

Quomodo se habeant in sacramentali pœnitentia & in baptismo potestas clauium, & quomodo inter se differãt pœnitẽtia et baptismus in producẽdis effectibus suis.

POtestas clauium eodem modo se habet in sacramentali pœnitentia & in baptismo ad sacramenti utriusq; producendos effectus. Nam baptismus & pœnitentia quodam modo conueniunt in producendo effectu suo. Quippe cum horum utrunque sacramentorum ad culpam directe ordinetur abolendam, ad quod præstandum alia sacramēta minime ordinantur. Hoc uero inter se differūt: Quòd pœnitentia, cum suscipientis actus habeat quasi materiales, dari solis adultis potest, quos, ut effectum sacramentorum suscipiant, præparatos esse oportet. Sed baptismus nunc adultis, nunc infantibus, nunc alijs usu rationis carentibus optimo iure potest dari. Vnde infantibus & amentibus remittūtur peccata in baptismo sine aliqua ipsorum præparatione: at in adultis necessaria est præparatio, ea saltem quæ per fictionis amotionē fit, uel per nullius obicis appositionē. Huiusmodi autem præparatio, quæ fit priusquam recipiatur sacramentum ab homine adulto per gratiam Dei præuenientem, quæ profecto est nō qualitas aliqua in nobis hærens ut gratificans gratia, sed auxilium Dei mouentis pulsantis & excitantis cor nostrum ad bonū: talis inquàm præparatio interdū eiusmodi est, ut sufficiat pro suscipienda gratia & remißione peccatorum, antequam recipiatur baptismus. Nō tamē ante uotum seu propositum baptismi. Ac in eo quidem casu baptismus, cum iam antea præparatus adultus baptizatur, nullā potest auferre culpam: utpotè quod iam sit ablata: nec primam gratiam cōferre potest: quandoquidem erat iam collata. Sed prius collatam gratiā auget. Porrò quandoque antecedit baptismum nulla præparatio: at simul cum susceptione baptismi fit, ac in eo qui-

dem casu per baptismum remittitur culpa, & donatur gratia. Per sacramentalem uero pœnitentiam nunquàm remittitur culpa, & gratia donatur nunquàm, sine præuia aut in existente præparatione. Vnde si pœnitens quantum sufficiat sit præparatus, antequam suscipiat absolutionem aut sacramentum pœnitentiæ, cum per talem præparationem ei condonetur & remittatur culpa, certè per pœnitentiam ei postea nec remittitur culpa iã remissa, nec iam donata gratia donatur: sed augetur. Cæterum si tanta minimè sit præparatio, quanta sufficiat pro delenda culpa, antequàm petatur absolutio & sacramentum pœnitentiæ, ac tamen superueniente absolutione, sacramẽtaliue pœnitentia, reddatur ui clauium ea præparatio idonea & sufficiens: tum per susceptum pœnitentiæ sacramentum remittitur culpa, & gratia ipsa qua Deo grati & accepti sumus haud dubie cõfertur. Hoc igitur modo potestas clauium extenditur ad remissionem culpæ in sacramentali pœnitentia: quemadmodum Baptismus aut uoto aut re susceptus. Cæterum ut Baptismus non tanquàm principale agens operatur, sed tanquàm instrumentum quoddam non pertingens ad susceptionem gratiæ ne instrumentaliter quidem causando, at solum præparans ad gratiam ipsam & remissionem culpæ, idq; non ex natura sua, uerum potius ex pacto & promissione Dei: qui pepigit & promisit ecclesiæ propter merita Christi gratiam se donaturum & remissionem peccatorum omnibus rite suscipientibus sacramentum Baptismi aut pœnitentiæ: & quidem pollicitus est incrementum gratiæ per alia sacramenta, si quidem rite suscipiantur. Ex his perspicuum est, quomodo potestas clauium extendatur ad remissionem

culpæ,

culpæ, de commutatione autem & relaxatione pœnæ diximus paulo ante. Ex his etiam perspicuum est, illam quorundam expositionem, uerba illa, ego te absoluo, ita exponentium, hoc est ego te absolutum ostendo: etiam si uera sit, omnino tamen esse imperfectam.

Potestatem clauium esse duntaxat penes euangelicum sacerdotem.

Solus sacerdos, & is quidem euangelicus habet potestatem clauium. Quod uero illam solum habeat sacerdos eo probatur: quod soli habeant ij potestatem clauiũ qui consecrati sint: quandoquidem ea potestas non datur cuiquam, nisi per consecrationem: Episcopus enim sacerdotio aliquos initians manuum impositione ait: accipite Spiritũsanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Quæ uerba, ut liquet, usum clauium referunt. Deinde hoc idem confirmatur: quoniam, ut supra diximus, potestas clauium non distinguitur a charactere sacerdotali, quantum pertinet ad essentiam. Porrò inquit Ambrosius: hoc ius ligandi, & soluendi, solis sacerdotibus est concessum. Ex his facile est uidere quanto in errore sint aduersarij nostri: qui uniuersam Hierarchiam, omnem ordinem, & gradum Ecclesiæ subruentes & demolientes, nugantur omnes baptizatos æque sacerdotes esse: & non minorem clauium potestatem esse in mulieribus & pueris, quam in Episcopis & in Papa. Sunt etiam ex aduersarijs nostris, qui potestatem clauium in nulla certa persona imaginentur esse, at in ipsa fidelium communitate: hoc est in uniuersali Ecclesia, qui magnopere falluntur: tum quia nulla personarum communitas con-

Ioan. 20.

Lib. de paradis. & habetur de pœnit. di. 1. ca. verbũ Dei.

ſecratur aut initiatur ſacerdotio: tum quia nulli eiuſmodi communitati ſacerdotalis imprimitur character. Quandoquidem nulla talis unam habet rationalem animam: quæ ſola eſt capax ſacerdotij & ſpiritualis characteris, aut clauium: tum quia denique ipſa uniuerſalis Eccleſia minime poteſt eccleſiaſtico fungi miniſterio, aut ſequeſtra & mediatrix eſſe inter Deum et homines: quandoquidem ipſa eſt communitas hominum & omnium fidelium communio.

Sacerdotium Teſtamenti noui eſſe duplex & primum quid ſpirituale ſacerdotium ſit.

VErum, ut plane cognoſcant omnes aduerſariorum noſtrorum impietatem, dicentium omnes chriſtianos homines eſſe æqualiter ſacerdotes, & æque omnem clauium poteſtatem habere atque habent Epiſcopi & Papa: breuiter dicamus aliqua de ſacerdotio noui Teſtamēti. Nam de Leuitico ſacerdotio, cum antiquatū fuerit per Chriſtum offerentem ſeipſum in cruce patri Deo, nulla facienda ſunt à nobis uerba hoc in loco. Et quidem ſacerdotes Leuitici omnino erant eò clauium expertes, quod cœlum nondum aperiretur, utpotè quòd non eſſet aperiendū, niſi per mortē domini noſtri Ieſu Chriſti: Deinde per ſacerdotes euangelicos utentes ex inſtitutione Chriſti ſacramētis noui Teſtamenti, quæ ſuā habent efficaciam & uirtutem à Deo per mortem Chriſti, non promiſſam, ſed exhibitam: Deus aperit aut claudit cœlum: proptereaq; hi uere habent claues. Itaque ſacerdotium Teſtamenti noui duplex eſt: unum interdum & ſpirituale: quod eſt omnibus uere pijs, & uere iuſtis hominibus commune: propterea quod ſint illi Chriſti ſummi Regis ſummiq; Sacerdotis

membra: participia uero sunt membra omnium bonorum sui capitis: utpotè quòd illi sint proculdubio insita. Quod porrò sacerdotium nunquam desiturum est: ne in triumphante quidem Ecclesia. Quòd præterea tamen huiusmodi est: ut donec sumus in Ecclesia militante illo priuentur pro quouis mortali peccato, quicunque mortaliter peccant: Quippe cum resecentur & separentur à capite suo Christo. quod etiam recuperant identidem, quotiescunque per ueram pœnitentiam resipiscunt: & denuo coniunguntur cum Christo. Cæterum in Ecclesia triumphante hoc sacerdotio fruentur in perpetuum beati sine timore ipsius amittendi unquam. Postremo Deus Optimus Maximus hoc sacerdotio haud dubiè initiat omnes homines, quos abluit à peccatis eorum in sanguine Christi: non alio quidem oléo quàm gratiæ suæ. de quo nimirum sacerdotio disertißime loquuntur Petrus & Ioannes Apostoli. Si de isto loquerentur sacerdotio aduersarij nostri, non admodum repræhendendi essent: uerum de isto minime loquuntur: quandoquidem tale sacerdotium nec est gradus, nec ordo, nec officium, nec ministerium in Ecclesia. Et sanè tale sacerdotium aliquando præstantius & dignius est in muliercula & in puero, quàm in Episcopis & in Papa: imò aliquando in Papa nullum est: nempè cum obnoxius est peccato mortali. Cum igitur omnes Christiani sint haud dubiè sacerdotes uncti ea unctione, de qua Ioannes inquit: uos unctionem habetis à sancto: debent quoque omnes sacrificare Deoq; ipsi aliquid offerre: nimirum seipsos. Quemadmodum enim Christus obtulit seipsum hostiam patri Deo in odorem suauitatis tanquam sacerdos manens in æternum secundum or-

1. Petri. 2.
Apoc. 1. 5.
Ioan. 2.

dinem Melchisedech: Ita omnes christianos homines, qui sunt Melchisedechici sacerdotes quatenus omnium bonorum Christi participes sunt, utpote quòd illi, tanquam eius membra, inseruntur, oportet exhibere corpora sua, ut Paulus ait, hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem.
Rom.12 Et Petrus inquit, fideles esse sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.
1.Petri.2.

De Sacerdotio externo.

DEinde alterum sacerdotium externum est in Ecclesia: quod quidem certis personis communicatur per consecrationem, perq; manuum impositionē ab Episcopis: indelebilem characterem, ut supra diximus, in anima eius qui sacerdotio initiatur, sine dubio imprimentibus: qui secundum essentiam non distinguitur a potestate clauium. De tali per manuum impositionem communicato sacerdotio Paulus inquit: Noli negligere gratiā quæ in te est: quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Et rursus: ut resuscites gratiā quæ est in te per impositionem manuū mearum. Et ad Titum scribit: huius rei gratia reliqui te in Creta, ut ea, quæ desunt, corrigas: & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Horum sacerdotum opera & functio uehementer necessaria est in Ecclesia militante: non etiam in triumphante: ac sacerdotes quidem, siquando mortaliter peccent, hoc sacerdotio non priuantur a Deo: ut Vigleffus putauit: huiusmodi enim sacerdotium cum nequaquam sit gratificans gratia: sed officium, dignitas, gradus, et denique gratia gratis data: cum sit inquam indelebilis character. non deletur

1.Tim.4.
2.Timo.1. Cap.1.

unquam etiam per mortale peccatum:tametsi aliquando Sacerdos per canonicam aliquam pœnam deijciatur a ministerio:ut exeruimus antea.Hæc hactenus de sacerdotio.iam redeo ad institutum negocium de clauibus.

Probāt aduersarij nostri claues datas esse Ecclesiæ,non solis sacerdotibus.

ADuersarij nostri probant,claues minime datas esse tantum sacerdotibus:quippe cū Ecclesia nō solum ex sacerdotibus, uerum etiam ex laicis constet: ac docet Augustinus, claues datas fuisse catholicæ Ecclesiæ. Datæ igitur fuerunt etiam laicis: qui sunt æque membra Ecclesiæ atquē sacerdotes. Ait inquam Augustinus,Christum dedisse has claues Ecclesiæ:ut quæ illa solueret in terra,soluta essent in cœlis.Non dicit sacerdotibus claues datas esse,sed Ecclesiæ. Lib.de doc. christiana. cap.14.Li. de agone christiano super Ioan.

Diluuntur aduersariorum nostrorum argumenta.

REspondeo:aduersariorum nostrorum collectis & recitatis argumentis:cum Augustinus dicit,& alij orthodoxi & catholici doctores,datas esse claues Ecclesiæ:nō ita capiendū est,ut eas intelligamus datas esse omnibus aut singulis mēbris Ecclesiæ,quēadmodum credimus omnibus et singulis quotquot sunt in Christo,internū ac spirituale sacerdotium communicatum esse.Neque ita capiendum est,ut existimemus datas communitati uel uniuersitati fidelium:id enim,ut paulo ante ostendimus, erroneum est. Accipiendum igitur est hoc modo:ut dicamus omnino sanctæ & catholicæ Ecclesiæ datas claues in sacerdotibus & Episcopis,tanquam in principalioribus membris. Illi quidem sunt ministri Christi & dispensatores mysteriorum 1.Cor.4. Cap.16.

Dei. Vnde probè inquit Hieronymus *in* Mattheum: *habent iudiciariam potestatem omnes Apostoli, habet etiam omnis Ecclesia in Episcopis & presbyteris.*

Quibus de caussis attribuatur ecclesiæ id quod solis sacerdotibus datum est.

Lib. de agone christiano.

QVanquam uero soli sacerdotes habent claues ordinis, ac soli absoluunt a peccatis, tamen Ecclesia dicitur hoc facere: sic Augustinus ait, nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam omnia peccata posse dimittere. Et hoc sanè tribus de caussis obtingit. Primo, quia, ut docet Lib. 9. Ethic. *Aristot. id attribui solet ciuitati, quod optimates & principales agunt. Simili modo quòd sacerdotes & Episcopi faciunt, qui sunt in ecclesiastica republica optimates & principales, recte attribuitur Ecclesiæ: Deinde quia extra unitatem Ecclesiæ nemo usum clauium habet.* Hac motus ratione Augustinus dixit, *claues datæ sunt non uni, sed unitati. Ac propterea catholici doctores & patres orthodoxi dicere consueuerunt, Ecclesia dimittit peccata, Ecclesia excõmunicat, Ecclesia absoluit, & huiusmodi alia. Quoniam extra unitatem Ecclesiæ nemo talia potest agere, ut inquit Augustinus. Postremo quia uelut in alijs sacramentis operatur fides Christi pariter & charitas Ecclesiæ. Ita etiam operatur sine dubio in clauibus. Vnde Augustinus ait, Ecclesiæ charitas dimittit peccata. Ipse actus igitur clauium quandoque attribuitur Ecclesiæ, non ministerialiter, quia sic ferendus est acceptus solis sacerdotibus, uerum duntaxat, quatenus, fides & charitas Ecclesiæ ad actum eiusmodi meritorie concurrunt.*

7. q. 1. c. Nouatianus. 24. q. 1. cap. quodcũque. 11. q. 1. cap. multi et. c. 1. q. 1. remissionem de cõs. dis. 4. c. Ecclesiæ charitas.

De potestate iurisdictionis.

HActenus de potestate illa ecclesiastica disseruimus, quæ est clauis & potestas ordinis. Deinceps agendū est de potestate illa quæ est clauis et potestas iurisdictionis. Consistit iurisdictio in prælatione seu præfectura super aliquam hominum societatem ac multitudinem: aut etiam super aliquam certā personā. Iurisdictio enim est facultas potestasq; iuris dicendi: nā ius dicere est præesse iuri dicendo: & legibus gubernare: & iustitiam ministrare. Seruius Sulpitius ait: postero die cū ab eo digressus eßem eo consilio, ut Athenis in Bœotiā irem reliquāq; iurisdictionem absoluerem &c. Hæc potestas iurisdictionis, quantū spectat ad plenitudinem amplissima est in Papa: qui primus omniū prælatorū & pastorū in ecclesiastica Hierarchia est. Quē admodum suo loco dicemus & probabimus. In alijs autem prælatis & pastoribus multo angustior est.

Duplicem esse potestatem iurisdictionis.

CAeterum potestas iurisdictionis duplex est: una cohibitiua: altera nequaquam. Secunda, est illa, quæ ad secretum forum Ecclesiæ atque ad peccatorum absolutionem pertinet: ac ista quidem, claues ordinis prærequirit. Deinde hæc potestas iurisdictionis in secretiore adeoq; in interiore foro animæ nequaquam est potestas ordinis: imo ne confertur quidem in susceptione ordinis. Haud enim quicunque sacerdotio est initiatus prælaturam seu præfecturam adeptus est ullius personæ aut populi: ea tamen sacerdotium præsupponit, ac in sacerdotali potestate fundatur: ut qui sacerdotalem ordinem susceperit factus sit habilis et idoneus ad exercendam hanc secretioris fori potestatem iurisdictionis, siquando illi communicetur.

Quid alicui detur, cum ei detur potestas iurisdictionis.

Est autem operæpretium scire per potestatem iurisdictionis nullam dari nouam potestatem sacramentaliter absoluendi: sed materiam subijci duntaxat: in quam accepta potestas clauium exerceatur. Itaque potestas ordinis & potestas iurisdictionis eo modo se habent quantum spectat ad forum animæ, ut neutra sine altera sufficiat pro facienda peccatorum absolutione. Quemadmodum enim tum in naturalibus, tum in artificiosis ad agendum requiruntur duo: nempè uirtus agendi, & materia in quam agēs aut operans agat: sic duo in absolutione facienda requiruntur: primum potestas clauium: deinde materia, in quam terminetur ea potestas: quæ sanè potestas agendi est. Porrò est duplex materia: una per se & propinqua: altera quæ per accidens uocatur. Ac prima quidem est peccatum ipsum: Altera uero est peccator qui subijcitur. Et subditus quidem potest bifariam esse: aut propria nimirum uoluntate, aut uoluntate sublimioris prælati. Ac utraque subiectio haud dubiè necessaria est. Quamuis enim prælati superioris uoluntate quis parochiali sacerdoti subijciatur, tamen nisi ipse ultro subijciat seipsum, nunquam poterit absolui à peccatis suis: in secretißimo enim foro consciētiæ nemo absoluitur inuitus. Itidem nisi quis uoluntate prælati superioris alicui subijciatur sacerdoti, non potest absolui: etiā si ipse illiusmodi sacerdoti ultro subijciat seipsum. Quare optimo iure Paschasius Papa decreuit, neminem posse alicui pœnitentiam aut condonationem peccatorum exhibere, sine proprij Episcopi fauore: aut sine apostolicæ.

15.q.1. cap. peruenit.

sedis authoritate. Quod statutum peculiariter est de monachis in Concilio Calcedonensi, & Vrbanus Papa secundus decreuit in uniuersum: ne quis alienum à sua iurisdictione audeat absoluere. Inquit enim, placuit ut deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiam suscipere, sine eius consensu, cui primo se commisit. Vbi glossa super uerbo commisit, habet: idest cuius parochianus est, & causam addit glossa, hoc modo: ab alio enim non potest ligari, uel solui. Qualem autem oporteat esse huiusmodi consensum, expressum ne an tacitum: doctores inter se altercantur. Id uero persuasum est omnibus: neminem aut laicum aut sacerdotem posse à quoquam absolui, cui non subijciatur duplici ante dicta subiectione, sine prius à prælato suo impetrata uenia: quandoquidem sine iurisdictione fieri non potest sacramentalis absolutio. Vnde si tentauerit sacerdos eum, qui suæ iurisdictioni haudquaquam subijcitur, absoluere, præter quam quod peccabit, quia falcem mittit in alienam messem, nihil etiam prorsus faciet: propterea quòd à non suo iudice ligari, aut absolui potest nemo.

16.q.1.cap. qui uere. de pœn.dis.6. c.placuit.

Extra de pœn. & remis.c. quod autem.c. ōis & de iudi.c. At si clerici

Quemadmodum sacerdos neminē absoluere potest alienū a sua iurisdictione, ita nec illū posse parochianos suos in omnibus peccatis absoluere.

SEquitur ex his, quæ iam exposuimus, non modo sacerdotem non posse alienum à iurisdictione sua absoluere: sed nec etiam illū, qui suæ iurisdictioni subijcitur, à peccatis omnibus indiscriminatim pro arbitrio & placito suo, etiam si pœnitentem illum uere et ex animo pœniteat omnium peccatorum suorum, posse rite absoluere. Quia ueluti

per superiorem prælatum oportet materiam, quæ personâ est absoluenda, exhiberi sacerdoti absoluturo: ita quoq; necessariũ est, ut prima et per se materia exhibeatur, quæ quidẽ est pcũm mortale id à quo pœnitẽs absoluẽdus est: aliter nũquã fieret absolutio. Vnde si quis esset omnino sine mortalibus peccatis, nõ posset a quoquã sacramentaliter absolui: quandoquidem absoluitur nemo, qui ligatus nõ sit. Sed hac ipsa de re magna disputatio est in scholis theologorũ.

Papam reseruasse authoritati suæ multa peccata absoluenda, & aliqua Episcopis & prelatis maioribus, qui postea minoribus sacerdotibus cõmiserũt absoluẽda.

QVemadmodum igitur Papa, qui summus Hierarcha est in Ecclesia, & cuius interest alijs potestatem iurisdictionis, ut postea dicemus & probabimus, impartiri, iam olim partitus est Dioceses, Parochias, et personas, ita etiã peccata partitus est. Deinde uelut non subiecit absque discrimine omnes omnibus, quos in partem solicitudinis accepit, ita nec omnia subditorum peccata subiecit ordinarijs & particularibus pastoribus. Quædam enim grauia & flagitiosa peccata sibi reseruauit, & quædam Episcopis, reliqua minoribus commisit. Imo & Episcopi, ad quos pertinet materiam particularibus & minoribus pastoribus immediate exhibere, tantum eis commiserunt, quantum intelligebant sufficere ad fidelium, & piorum hominum saluti consulendum: & ad bene beateq; regendam & moderandam Ecclesiam, ab hoc uero quasi fonte natæ sunt casuum reseruationes, & relaxationes, ut paulo post exeremus.

Poteſtatem clauium æqualem eſſe in omnibus ſacerdotibus, ſed uſum eius aut iuriſdictionem eſſe inæqualem.

ITaque in his omnibus aut reſeruationibus, aut concesſionibus, poteſtas clauiū in ordine ſacerdotali omnibus collata ex æquo, a præpotente Deo *efficienter, per* Chriſtū *meritorie, per manuū impoſitionem factam a certis paſtoribus* Eccleſiæ *miniſterialiter, per ſuſceptionem ſacrorum ordinum inſtrumentaliter, neque latius extenditur, neque reſtringitur anguſtius, ſed in radice ſua manet illimitabilis.* Eius *poteſtatis dūtaxat impeditur uſus, quatenus materia circa quam eſſet illius poteſtatis uſus amouetur, ut ſi quis tollat a carpentario lignum, uſum quidem artis impedit ac ſuſpendit, ars tamen in carpentario manet.*

Certam Epiſcoporum & paſtorum aliorum perſonalem reſidentiam non eſſe a Deo immediate, ſed a Papa.

EX *his, quæ diximus, patet, cum reſidentia importet iuriſdictionem & prælaturam, ac requirat tanquam materiam populum aut certam perſonarum multitudinem cui præſit* Epiſcopus, *aut quiuis alius paſtor, non eſſe perſonalem reſidentiam* Epiſcoporum *& reliquorum paſtorum de iure diuino, aut a* Deo *immediate, ſed eſſe immediate a* Papa, *a* Deo *quidem, ſed per* Papam, *quod infra copioſius & planius demōſtrabimus.* Quamuis *enim ſacerdotalis et epiſcopalis ordo ſeu gradus ab ipſo* Deo *ſit: tamē uſus eccleſiaſticæ iuriſdictionis in certam perſonarum multitudinem a* Papa *eſt, qui poteſt cogere* Epiſcopos *ut pſonaliter in populo reſideant, pro quo illis ptātem, aut iuriſdi-*

ctionem ecclesiasticam dedit. ac eadem potest illos ratione dispensare: si quando urgens & honesta causa, id postulauerit. Quæ autem non nulli afferunt in oppositum ex scriptura sacra, ex Concilijs, ex orthodoxis patribus, et aliunde, nihil probant, si quis diligenter animum aduertat, & ea perpendat accuratißime, quæ disseruimus, & quæ infra etiam, ut polliciti sumus, copiosius disseremus.

Iurisdictionem tolli a prælatis inferioribus per sublimiores.

POrrò sicut pastoribus aliquãdo partim subtrahitur, partim cõmunicatur, cum certo populo, aut definitæ personæ & certis eorum peccatis absoluendis præficiuntur, sic interdum per suspensionem ab officio, et per grauiores pœnas, ut per excommunicationem depositionẽ, degradationem, & huiusmodi alias censuras ecclesiasticas, aufertur omnis materia, & usus clauium impeditur, ut eo modo suspensi, neminẽ queãt ab ullo peccato absoluere. ac etiã si facere id ipsũ attẽtarẽt, prorsus uana et irrita esset eorũ absolutio. Hactenus de nõ cohibitiua iurisdictione, deinceps agemus de cohibitiua: si prius ea transigerimus de casuũ reseruatione et relaxatione, quæ paulo ante promisimus.

De casuum reseruatione et relaxatione.

PRopter tollendam malorum & scandalorum omniũ occasionem, quæ facile oriuntur in Ecclesia Dei ex imprudentia, & inscitia ministrorum, necessarium fuit ut maiores Ecclesiæ moderatores, & pastores, casus illos reseruarent sibi, in quibus uellent, ac oporteret eos consuli à minoribus. Ita Paulus consulebat Timotheo ac Tito: Ita omnes Apostoli suis discipulis: quos particularibus Eccle-

ſijs præficiebant. De reſeruatione et relaxatione habemus grauiſsimum locum in poſteriore ad Corinthios Epiſtola: Cui, Paulus ait aliquid donatis, et ego: nã et ego cui donaui ſi quid donaui propter uos, in perſona Chriſti: ut nõ circũ ueniamur à Sathana. Quãquã uero hic locus proprie agit de donatione ſeu relaxatione: tamẽ ſatis innuit reſeruationẽ quãdoquidẽ relaxatur id ſolũ quod reſeruatũ eſt. Itaq; argumẽta ſoluamus aduerſariorum noſtrorũ: quibus nitũtur caſuum reſeruationem & relaxationem confutare. Cap.2.

Diluuntur aduerſariorum noſtrorum argumenta quibus illi caſuum reſeruationem & relaxationem improbant.

PRimum argumentum: Seruant magni illi Epiſcopi peccata quædam ſibi remittenda: nec ius abſoluendi in ijs faciunt paſtoribus gregis, mox uero ut numos aliquod quis dederit, talem illi abſoluunt. Reſpondeo: Quid mali paſtores faciant, nõ inquirimus, eos certe fatemur nos quoque repræhendendos eſſe. Boni Epiſcopi, de quibus in præsẽtia loquimur, ſibi aliquot caſus reſeruant: ut cũ delati fuerint ad eos. tum inſtruantur magis peccatores & corrigantur. tum ut plane ſciant Epiſcopi repurgandam eſſe à grauiſsimis facinoribus Eccleſiã: et ſibi uehemẽter ſuperintẽdendũ & ſuperinuigilandum eſſe: ne populum chriſtianum curæ ſuæ commiſſum uaſtet & depopuletur Diabolus.

Secundum argumentum: quæ ſint peccata, quæ remiſsionem non habent ex uerbis Chriſti diſcimus: omne, ait, peccatum et conuicium remittetur hominibus: at conuitium in Spiritum ſanctum non remittetur hominibus. Hæc uerba Chriſtus ipſe mox exponit dicens: quicunque dixerit uerbum Math.12.

aduersus filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit aduersus Spiritumsanctum, non remittetur ei neque in praesenti seculo neque in futuro. Ex hisce uerbis domini discimus, omnia peccata, omniaq; conuicia remitti hominibus, quaecunque tandem sint: exceptis ijs quae aduersus Spiritum sanctum committuntur. Respondeo: Quanquam peccatorum & criminum aliquot absolutio reseruatur Episcopis: non propterea dicimus ea irremißibilia eße. At bonis & iustißimis de causis ab eorum absoluendorum authoritate suspenduntur minores Parochi & sacerdotes: sic tantum ut nemo à grauißimis etiam sceleribus, cum uere ad poenitentiam redit, non absoluatur ab Episcopis, uel ab ijs penes quos reseruatum est ius absoluendi. Imo etiam si urgeat neceßitas à quibuslibet sacerdotibus iurisdictionem habentibus.

Tertium argumentum Petro praecepit Christus, ut non modo septies, sed septuagies septies remittat & ignoscat. quo schemate innumerum remißionis numerum & modum docet exhibendum esse ijs, qui uera fide poenitent. nihil ergo est quod eum in sede Petri sedere dicamus, qui non omni tempore poenitenti remittit, quemadmodum Petro mandatum est. Respondeo: Nemo acceßit unquam ad Papam ductus uera poenitentia: quem Papa non absoluerit. uel cui Papa non praestiterit ueniam adeundi quem uellet sacerdotem: à quo, Papa quidem annuente, absolueretur.

Quartum argumentum: desunt uerba, deest tempus ei qui pro dignitate nundinas absolutionum, & indulgentiarum, atque harum rerum negociationes, & quaestum turpissimum describere perrexerit: ex quibus Roma plus auri

corrasit. Respõdeo: Tanti nõ debet esse ullus abusus ut propter ipsum tollatur bonus usus, at magis pro conseruando bono usu corrigendi sunt abusus: siqui sint in Ecclesia.

Quintum argumentum: omnes ex æquo id debemus: ut alter alteri remittamus iniurias mutuas: si nos remißionem peccatorum nostrorum à Deo expectamus. Si uero corde in Christũ credit homo, remittuntur ei peccata: neq; ad hãc rem alio opus habet quàm unico Deo. Quòd si fide infirmus est aut uacillat, adeat fidelem ministrum: adeat pastorem ouis errabũda: et cibum animæ ut administret, petat: hoc est ut recte doceat, & instituat uerbo salutifero: At si fidem habet, illico purus est, & à peccatis absolutus. Hoc ei neq; Papa, neque Episcopus intercipere potest: utcunque multos sibi reseruent casus. Respondeo: Quicunq; peccato mortali obnoxius est, debet sine dubio corde in Christũ credere: atque ut iustificetur, opus habet Deo Optimo Maximo: Sed hoc tamen satis nequaquam est: diuino quidem iure astringitur, ut à ministro Ecclesiæ petat absolutionem. Quoniã Deus eo sacramenta instituit, ut per ea donet gratiam suam nobis propter Christũ: Quamuis illam posset etiã donare sine ullis sacramentis. Quòd si aliquis fuerit mortalis peccati expers, in gratia Dei, sanctus, iustus, immaculatus corã Deo et Ecclesia: tũ propter eũ qui est eiusmodi, nulli erunt uel à Papa, uel ab Episcopis reseruati casus.

Soluuntur aduersariorum nostrorum argumenta quæ illi aduersus auricularem confeßionem colligunt.

Non ab re admodum fuerit, si etiam hoc in loco soluerimus aduersariorum nostrorũ argumẽta, quæ

illi magno studio & magno conatu faciunt contra auricularem confesſionem. Cognata enim uidetur materia illa eſſe huic materiæ, quam nunc tractamus: et etiam atque etiã pertinet ad non cohibitiuam iuriſdictionem.

Primum argumentum: Nullum extat de peccatorũ enumeratione mandatum in ſcripturis: ergo non eſt neceſſaria. Reſpondeo: nullius momenti eſt argumentum, quod negatiue fundatur in loco ab authoritate: præcipue in cauſa de ritibus Eccleſiaſticis: quandoquidem plurima inſtituerunt Apoſtoli, quæ tamen ſcripturis non commiſerunt: Quemadmodum alijs in locis planè oſtendimus. Deinde argumentũ oſtendit auricularem confesſionem haudquaquã eſſe in primo uel in ſecundo gradu iuris diuini: num propterea ſequi oportet, illam eſſe in nullo iuris diuini gradu? minime gentium: eſt enim in tertio aut in quarto gradu iuris diuini.

Quatuor eſſe gradus iuris diuini.

Est autem annotatione dignum, quatuor eſſe gradus iuris diuini iuxta grauiſsimorum uirorum ſentẽtiam, ac in primo ſanè gradu ſunt ea quæ in ſacra ſcriptura ueteris ac noui teſtamenti continentur: in ſecundo autẽ gradu ſunt ea quæ bona et formali conſequentia ex ijs deducuntur quæ euidẽter habẽtur in ſacris uoluminibus. Deinde in tertio gradu illa ſunt, quæ neq; habẽtur in ſacra ſcriptura: neque euidenti et neceſſaria cõſequẽtia poſſunt ex eis colligi: ſed in uſu Eccleſiæ ſunt. qualia ſine dubio multa obſeruat & ſanctisſime retinet Eccleſia ex Apoſtolorum inſtitutione: illi quidẽ plurima ſtatuerunt ſine ullis tamen ſcripturis. Quod alijs in locis cumulatisſime probauimus. In quarto deniq; gradu ſunt quæ ſtatuuntur ab Orthodoxis patribus

et summis pōtificibus in Synodis et Cōcilijs rite cōgregatis et celebratis ꝑ Ecclesia bene regēda: ut sane omnia gerātur & procedant cum decoro & ordine. Sunt uero talia statuta, decreta, et ordinationes Ecclesiæ diuini iuris, propterea quod uolens Deus omnia fieri decenter in Ecclesiá proculdubio illa omnia confirmat, & approbat: Qui uos audit, inquit Christus, me audit: qui uos spernit, me spernit: Quo circa Paulus cum Ecclesiam Corinthiacam honeste ordinasset: & omnibus uiris et mulieribus officia sua in Ecclesia præscripsisset, ait, si quis uidetur Propheta esse, aut spiritualis, agnoscat quæ scribo uobis, quòd sint præcepta domini. Alij Cor.14. quoque addunt quintum gradum iuris diuini: in quo nimirum ea ponenda esse docet: quæ certæ alicui personæ diuinitus reuelantur. Sed quia, ut Paulus ait, Angelus Sathanæ 2.Cor.12. crebro transfiguratur in Angelum lucis: temere assentiendum est nulli personæ particulari in grauißimis rebus ad religionem pertinentibus: sine calculo & iudicio sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ. Cum præsertim admoneat Ioannes, ut non credamus omni spiritui, sed probemus an sint ex Deo.

Quæ sunt in primo gradu pariterq; in secundo, haud 1.Ioan.4. dubiè sunt iuris diuini simpliciter. Quæ uero in tertio et in quarto ponuntur, sunt iuris diuini secundum aliquid: ut paulo ante explicauimus: tamen sunt iuris humani simpliciter: utpote ab hominibus ordinata iuxta uoluntatem Dei. Itaq; sacramentalis pœnitentia in primo gradu iuris diuini est: quippe cum euidenter habeatur in sacra scriptura, nam Christus apud Ioannem inquit: quorum remiseritis pecca- Cap.20. ta remittuntur eis. Et similiter interna pœnitentia, seu con Cap.18. tritio est in primo gradu: atqui Deus apud Ezechielem ait:

se, cum resipuerit peccator, non recordaturum iniustitiæ atque iniquitatis, quam ille operatus est. Deinde confeßio peccatorum absolute considerata in secundo gradu est iuris diuini. Si enim absolutio à ministris Ecclesiæ facienda est proculdubio sequitur euidenti consequentia, confeßionem peccatorum ab ijs faciendam esse qui absolui cupiunt. Sin præterea sumatur confeßio unà cum præfinitis & determinatis circunstantijs temporis, loci, personæ, modi, & alijs, quibus diligenter obseruatis confitemur peccata nostra: ponenda est in tertio & in quarto iuris diuini gradu. Vt isto modo accepta confesſio iuris diuini secundum aliquid sit: ac iuris humani simpliciter. Et simili modo in his duobus gradibus ponuntur canonicæ satisfactiones: de quibus antea locuti sumus.

Secũdũ argumẽtum: Talis enumeratio imposſibilis est, iuxta illud, delicta quis intelliget? ergo ad eam non tenẽtur homines christiani. Respõdeo: Tenemur ea duntaxat enumerare, quorum posſumus reminisci: facta nimirũ diligẽti excusſione, atque indagine. Alia enim quæ nõ succurrunt, æque per absolutionem remittũtur, ac illa quæ recẽsuimus.

Tertium argumentum: Idem testantur & prudentiores Canonistæ: quippe hanc enumerationem peccatorum non esse iuris diuini. Respondeo: consequentia ista (non est iuris diuini, ergo non est necessaria) tanquam uana & futilis neganda est. haudquaquam enim iuris diuini est, ut eueniant scandala: cum in iure diuino præcipiatur, ut non eueniant: quæ necesse tamen est euenire testimonio Christi. Deinde li- Matth. 18. cet enumeratio illa peccatorum non sit iuris diuini simpliciter: tamen aliquo modo est iuris diuini, ut paulo ante dixi.

Quartum argumentum: Græca Ecclesia iam olim abo leuit hunc morem propter stupratam mulierculam à Diacono: ut recitat Tripartita historia. non potuisset autem hic mos aboleri, si esset iuris diuini. Respōdeo: Græca Ecclesia multa olim fecit, quæ minime approbanda sunt. Retorqueo igitur argumentum hoc modo. Enumeratio peccatorum est aliquo modo iuris diuini: ut probaui: ergo Ecclesia Græca morem hunc aboleuit contra ius diuinum. Sed ne hanc notam Ecclesiæ Græcæ inuramus: illud mulierculæ atque Diaconi stuprum commissum fuit sub Nectario: qui non aboleuit enumerationem peccatorum: sed tantummodo ritū publice in Ecclesia confitendi ob peccata occulta. Id facile probari potest: quoniam diuus Chrysostomus, qui fuit Nectarij successor in Constantinopolitana Ecclesia, multis in locis confeßionem, adeoq; ipsam enumerationem peccatorum secretam omnibus Christianis prædicat. Multa, inquit, arte opus est: ut qui laborant christiani ultro sibi ipsis persuadeant sacerdotum curationibus sese submittere oportere: neque id solum, sed ut etiam curationis & medicinæ nomine gratiam illis habeant. Et post pauca idem ait: quo circa multa quidem opus est pastori prudentia: sexcentis etiā, ut sic dicam, oculis: ut recte undique humani animi habitum circumspicere poßit &c. Lib. 2. de sacerdotio.

Quintum argumētum: Quando peccatorum enumeratio esset etiā prorsus neceßaria: tamē alligari nō posse ad certū tēpus: Quādoquidē absolutio nō alligatur ad ullam temporis circunstantiam. Christus enim ait, regnum meum non uenit cum obseruatione. Ergo neque absolutio, quæ est pars regni Christi. Respondeo: Ecclesia non alligauit ab- Luc. 17.

ſolutionem aut enumerationem peccatorum ad certum tempus, ut alijs quoque temporibus non queat fieri: ſed optimo iure ac magis & iuſtiſsimis de cauſis uoluit unum definitumq; tẽpus conſtituere: ut fideles omnes, qui ſunt eiuſdem corporis & Eccleſiæ mẽbra, ſaltẽ quotannis ſemel in unum conuenirẽt, tum ad abſolutionem petendam, tum ad corpus domini noſtri Ieſu Chriſti à miniſtris Eccleſiæ recipiendũ. Si enim certum tempus ab Eccleſia nullum eſſet præfixum, qui ſcirent chriſtiani quando eſſet omnibus conueniendum?

1.Cor.11. Sic ut quemadmodum Paulus docet. Alij alios ad cœnam dominicam edendam expectarent.

Sextum argumentum: Cum conſtet quanta carnificina conſcientiarum fuerit acerba illa exactio enumerationis, prodeſt moneri pias mentes, ut ſciant Canonẽ illum qui præcipit de enumeratione, tantum traditionem humanam eſſe.

Ioan.20. Reſpondeo: eſt ne humanè traditus canon ille? quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt: eſt ne humana traditio, quòd abſolutionem petamus? Quòd ſi hoc iuris diuini eſt, ergo & peccatorum enumeratio eſt aliquo modo iuris diuini. cõſequentiam probaui antea. Deinde licet huiuſmodi enumeratio carnificina quædam ſit carnis, & acerbiſsima carnis afflictio: non propterea ſequitur, quod bonarum ſit conſcientiarum carnificina. tum uero illa enumerationis exactio non acerba eſt, niſi eo modo quo medicinæ potio ægrotantibus amara eſt, quibus adfert ſalutem.

Septimum argumentum: Sacerdotes quidam male taciti ſunt: quia omnia effutiunt pleni rimarum ut pertuſa dolia: quidam non nihil tumoris & animi concipiunt ex reuelatis

flagitijs. Cōfitetur Præses aliquis, aut Consul flagitia sua sacerdoti, quæ clam haberi cupit: mox ansam captat sacerdos, aut ut metuat eum Consul, aut ei offam in os iaciat, si quid petat. Respondeo: ignis aliquando urit domos, consumit greges, armenta, homines, ac damna plurima infert aliquoties: num desiderandum propterea est, petendūq; à Deo, ut ignis tollatur de mundo? Deinde scriptura sacra impijs occasio est, ut illi hæreses atque offendicula sæpenumero in Ecclesia, non sine periculosis tumultibus, & horrendis tragœdijs spargant: nunquid ergo aboleri debet sacra scriptura, propter malos & subdolos ministros? Deinde præsides multi aut Consules sunt qui res publicas euertunt qui prouincias dissipant, qui seditiones excitant, qui familias & populos dura tyrannide premunt: an quæso propter eos qui sunt eiusmodi tollendi prorsus de medio sunt magistratus? Postremo nunquid non erit ducenda uxor: aut uino, aut uestibus utendum, propterea quòd ijs non nulli abutuntur? Abusus non debet impedimentum fieri boni usus. Bonus igitur confessionis usus maneat in Ecclesia: abusus uero per Ecclesiæ proceres & Episcopos emendentur.

Octauum argumentum: Hinc multi facti sunt hypocritæ. Quid enim putas filij et filiæ confeßionis, quos uocant, cum tam docte, tam solerter ac eleganter confessionem meditarentur, adornarent, ac recenserent: nec sine aromaticis odoribus, quos uel secum olfactoriolis aureis ferrent: uel recensentes ore comanducarent? cum tam diserte & discriminatim singulas peccatorum species distinguerent ac explicarent, etiam eas in quibus nihil designassent? Respondeo: Primum si multi facti sunt hypocritæ nō culpandus est

mus & sacrosanctus confeßionis usus, sed ambitio humana: quemadmodum si multi facti sunt hæretici sacrarum literarum studio, non sacræ literæ incusari debent, sed hominũ audacia & præposterum iudicium, Deinde quid nobis cum aromaticis odoribus? Quid cum olfactoriolis aureis? si qui talia efficiãt, qualia obijciunt nobis aduersarij nostri: Quales etiam forte alicubi sunt homines effœminati, & mulieres parum honestæ: haudquaquam propterea sanctissimus usus confeßionis eradicetur, sed talia facientes admoneãtur bono & christiano zelo.

Nonum argumentum: Volunt uideri iusti & boni: uolunt tales uideri, qui solicite ambulent cum Deo suo: qui anxie curent, ne conscientiã usquã commaculent. Respondeo: nemo potest, qui synceri animi sit, negare tales quicunq; sint illi, cum toto pectore in id studium incumbunt, laudabiliter facere: cum præcipue Christus mandauerit: lucem nostrã
Matth. 5. diffundendam sic esse, ut luceat corã hominibus, ut uideãt nostra bona opera, & glorificent patrem nostrum qui est in cœlis. An non debemus alij alios ad opera iustitiæ, ad bene beateq; uiuendum bono exemplo nostro prouocare? Sed reclamant aduersarij: ij talia hypocritice faciunt. Qui scitis inquam uos istud? At uolo rem ita se habere, ut criminamini: debet ne illorum abusus, sacratissimum usum confeßionis, & enumerationis peccatorum abolere?

Decimum argumentum: Facile est ut bonum se aliquid esse simulet: bonum autem esse nihil potest, quam quod ex Deo est &c. Respondeo: si hoc argumento uelint ostendere, neminem esse bonum, idest iustum corã Deo, nisi ex Deo sit bonus: hoc est nisi a Deo iustificetur: id uerum esse om-

nio fatemur. tamen diuinæ sapientiæ uisum est, obstringere nos ad petendum absolutionem a ministris Ecclesiæ: sin uero animus sit pronunciare id solum bonum esse, id est bene ac recte institutum, quod ex Deo est: idest quod instituit Deus. tum retorqueo contra aduersarios hoc argumentum: confessio & enumeratio peccatorum ex Deo est, ut supra ostendi, ergo bona est recteq; instituta: ergo impie agitis quotcunque aduersus illam obloquimini.

Vndecimum argumentum: Sacerdotes Pontifici, et Episcopis ita serui sunt, ut in quibusdam casibus non audeant absoluere. Qui casus deinde priori, præposito, aut Episcopo, reuelandi sunt: unde factum est, ut non raro confitentes in capitis discrimen hoc pacto uenerint. Respondeo: Quod sacerdotes in casibus Episcopis aut Pontifici reseruatis nõ audeant absoluere laudandi sunt. quòd autem confitentes in capitis discrimen hoc pacto ueniant: id sine dubio est falsissimum, nec enim sacerdotes Episcopis, aut Pontifici reuelãt personam: sed peccatum & circunstantias personæ. Aut si etiam persona remittatur ad eum, qui sibi potuit casum reseruare: non ad eum remittitur, qui minus ad peccati silentium & taciturnitatem obligetur, quàm is à quo fuit remissus. Dilutis aduersariorum nostrorum argumentis: de cohibitiua iurisdictione iam transigamus.

De cohibitiua iurisdictione & primo ad quem forum pertineat & quomodo nominetur.

Ecclesiastica & cohibitiua iurisdictio ad externum & publicum forum attinet: habet enim Ecclesia per ministros suos publica hominum Christianorum peccata corrigere, & quidem in publico foro duplex autho-

ritas est, quemadmodum in secreto: una cognoscendi: & iudicandi altera. Quippe cũ in omni foro sit prius cognoscẽda causa ut recta sententia proferatur, & bene iudicetur. Huius autem publici fori duplex authoritas non proprie significatur nomine clauium: sed uocatur spiritualis gladius, ut excommunicatio dicitur mucro Episcopalis. tamen potest etiam hæc duplex authoritas nominari clauis Ecclesiæ, propterea quod per illam clauditur & aperitur Ecclesia. Hæ tamen claues a clauibus primi fori longe differunt. & quidem sine illis haberi poßunt. quod in ijs perspicuum est, penes quos est iurisdictio: qui tamen sacerdotio minime sunt initiati.

2.q.1.c. Imprimis. et. c. nullus Episcopus.

16.q.2.cap. uisis. in fine &. 24. q.3. c. corripiantur.

Quid posſint facere miniſtri Eccleſiæ per cohibitiuam iuriſdictionem.

HAc potestate iurisdictionis legitime poßunt iuxta officia, quæ ipsis rite iniunguntur, ministri Ecclesiæ uisitare, inquirere hominum mores, punire sontes & peccatores. legatos mittere, contumaces rebellesq; accersere, & illorum compescere audaciam, ad Synodum prouincialem & generalem eos uocare quorum adesse Concilio interest, determinata in Concilio confirmare, excommunicare, excommunicatos cum ut decet resipiscunt, Ecclesiæ reconciliare, interdicere suspendere, casus reseruare, reseruatos casus relaxare, remittere & retinere peccata, confirmare, sacris ordinibus initiare, sacramenta omnia distribuere, dare indulgentias, pœnas quæ pro confesßis peccatis iniunguntur commutare, aut mitigare, hæreticos, & scripta hæreticorum condemnare, scripta omnia cuiuscunque fuerint prius diligenter examinare, & fideli calculo iudicare num

sanam contineant uel pestilentem doctrinam, quam edatur, qui sint uere articuli fidei exponere, quæ sint canonicæ scripturæ testari, dubia circa fidem & religionem orientia soluere, Decreta, leges, Cærimonias & ritus ordinare, constituere Episcopos & alios ministros Ecclesiæ, eos quoque deponere, & degradare, facere irregulares, atque ad sacros ordines in habiles, illegitimare personas ad matrimonium, beneficia ecclesiastica distribuere, temporalia bona possidere, habere ciuile regimē, exigere decimas & annatas, in cathalogo cœlitum scribere illos qui dissoluti sunt, perpetuaq; beatitudine fruuntur cum Christo, & ordinare ut certis diebus eorum memoria sit uenerabilis in Christianis et fidelibus populis, Hæc inquam & alia per multa legitime queunt effici ab ijs, penes quos est hæc potestas iurisdictionis: de quibus nimirum singuli omnino scribendi essent libri.

Potestatem iuri sdictionis cohibitiuam esse in Ecclesia ex institutione Christi.

CAeterum quoniam aduersarij nostri, nullam esse cohibitiuam iurisdictionem in prælatis ecclesiasticis, adeoq; in summo Pontifice tenent mordicus, & pertinaciter asseuerant: aut si qua insit, eam nequaquam esse ex institutione Christi, sed ex imperatoria concessione: age nos tam impium reijciamus, & confutemus errorem. Primum Christus ait, tibi dabo claues regni cœlorum. Claues dicit pluraliter, ut iuxta omnium ferè catholicorum expositionem & sententiam, innuat clauem utriusque fori: nimirum conscientiæ atque iudicij exterioris. Deinde inquit, si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te

& ipsum solum: porrò subdit, si autem te non audierit, dic Ecclesiæ: si aũt Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico uobis quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Proculdubio autem accipienda sunt hæc de cohibitiua iurisdictione. Mox dicentibus Apostolis, Ecce duo gladij hic, Respondit Christus, Satis est. Qua responsione indicauit duas in Ecclesia potestates abunde sufficere. Nam per duos gladios mystice significauit, Bernardi testimonio, cum temporalem, tum spiritualem potestatem. Item pasce, inquit, oues meas: ubi apposite habet glossa: pascere oues est credẽtes, ne deficiant, confortare: terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere: exempla uirtutum præbere: aduersarijs obsistere: pœnitentes corrigere. Præterea Paulus inquit, in uirga ueniam ad uos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? & rursus ait, Ecce tertio hoc uenio ad uos: in ore duorum uel trium testium stabit omne uerbum. Prædixi enim & prædico ut præsens uobis, & nunc absens, ijs qui ante peccauerũt, et cæteris omnibus: quoniã si uenero iterũ, non parcã. Talia quidem permulta sunt in Paulinis epistolis inq; alijs Apostolorum aliorum scripturis: quæ iurisdictionem esse cohibitiuam in ecclesiasticis Antistitibus, adeo manifeste indicant, ut queat nemo ad ea uel hiscere, nisi sit animo prorsus obstinato. Hæc etiam ueritas, quam tuemur, eo posset confirmari, quod uniuersalia Concilia condemnauerunt, & excommunicauerunt, & a proprijs sedibus, & dignitatibus hæreticos deposuerunt, ac merito punierunt: quod effecissent nunquam: si penes se nullam esse

Luc. 22. li. de considera tione ad Eugenium Papam.

Ioan. viii.

1. Cor. 4.

2. Cor. 13.

cohibitiuam iurisdictionem intellexissent. Arrius quidem a Niceno Concilio fuit iudicatus, & meritissimo damnatus: Macedonius a Cōstātinopolitano: Nestorius ab Ephesino altero: Euthices a Macedonensi: Alij denique ab alijs. Totus postremo quintus liber Decretalium, qui de pœnis inscribitur, aduersariorum nostrorum improbat, & confutat errorem.

Duodecim conclusiones quibus fere uniuersa iurisdictionis materia perstringitur.

Porrò, ut uniuersam iurisdictionis materiam in promptu habeamus, & ponamus ante oculos omnium: ea de re conclusiones aliquot minime grauabor subscribere & dilucidare.

Prima conclusio: Vt forum duplex est, unum conscientiæ, alterum causarum: ita potestas iurisdictionis est duplex Potestas quidem iurisdictionis in foro conscientiæ illa est, qua possunt uel absoluere, uel ligare ij, quibus curādæ sunt animæ fidelium subditorum. Potestas uero iurisdictionis in foro causarum ea est, qua potest aliquis in negocijs & causis definiendis, quæ inter subditos homines controuertuntur, sententiam ferre, ac ius dicere, uel in inuitos. De qua in Decretis habetur hoc modo: Aliud est terminum causis imponere: aliud est scripturas sacras diligēter exponere. Hac potestate quis potest, ut emendet, & corrigat aliquem, ipsum excommunicare, separareq; ab Ecclesia, de qua nimirū ait Christus: si Ecclesiam nō audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: Amen dico uobis quæcunq; ligaueritis super terram, erūt ligata & in cœlis. Vbi glossa habet: potestatem tribuit Apostolis: ut sciant, quia talibus damna-

Di. 20. ca. 1.

Matth. 18.

tur, humanam ſententiam diuina ſententia roborari. Poteſtatem, quæ quidem in foro cauſarum eſt, cohibitiuam appellauimus antea: quia ferri poteſt etiam in inuitos: eam uero, quæ in foro conſcientiæ eſt, uocauimus non cohibitiuam quoniam in foro conſcientiæ abſoluitur aut ligatur nemo inuitus.

Secunda concluſio: Harum duarum poteſtatum iuriſdictionis, una diſtinguitur & ſeparatur ab altera: Quandoquidem ſimplices ſacerdotes, quibus commiſſa eſt animarum cura, eam quæ eſt in foro conſcientiæ habent ſine altera. Quo fit ut ipſi minime ualeant excommunicare: niſi forte in caſibus certis conceſſis & explicatis a iure: aut niſi committeretur eis peculiariter ius excommunicandi. Et contra, plurimi iudices eam, quæ in foro cauſarum eſt, poteſtatem habent ſine altera: utpote quòd ſacerdotio haudquaquam initiati ſunt: unde non queunt ligare, aut abſoluere à peccatis.

Tertia concluſio: Vtraque harum poteſtatum iuriſdictionis diſtinguitur a poteſtate ordinis: atqui poteſtas ordinis, quantum ad eſſentiam pertinet, non diſtinguitur a ſacerdotali charactere: qui omnino indelebiliter eſt impreſſus in anima. Poteſtas autem iuriſdictionis haudquaquam eſt huiuſmodi. Ac ſunt nimirum qui ſacerdotio initiati nulla prorſus funguntur iuriſdictione: & contra, ſunt qui iuriſdictionem habeant, nec tamen ſint ſacerdotes.

Quarta concluſio: Tametſi poteſtas iuriſdictionis a poteſtate ordinis omnino diſtinguatur & ſeparetur, eo neceſſaria tamen eſt, ut poteſtas ordinis exerceat actum ſuũ: qui eſt abſoluere a peccatis, aut ligare. Oportet enim ſacra

mentalis pœnitentiæ dispensatorem habere quibus imperet: non potest autem imperium haberi in quenquam sine iurisdictione. Propterea non sufficit quòd quis uoluntarie se alicui Parocho subijciat, ut per eum absoluatur a peccatis suis. sed præter uoluntariam & ultroneam subiectionem, opus est ut superioris authoritate subijciatur.

Quinta conclusio: Potestas iurisdictionis in foro etiam conscientiæ non est æqualiter in omnibus sacerdotibus, neque in omnibus Episcopis: amplior enim est in Episcopis q̃ in simplicibus sacerdotibus: & sacerdotum quidem, alij nullam habent huiusmodi iurisdictionem: alij uero habent: sed eorum alij angustiorem, alij ampliorem. Deinde omnes Episcopi habent sine dubio talem iurisdictionem: quippe qui sine iurisdictione haudquaquam essent Episcopi, si quidem Episcopatus non ponatur inter ordines, ut sententia est multorum & sane grauissimorum theologorum: quam rem postea cumulatius tractabo. Sed Episcoporum alij maiorẽ, alij minorem habent iurisdictionem huiusmodi.

Sexta conclusio: Potestas Ecclesiasticæ iurisdictionis in foro causarũ aut exterioris iudicij, quamuis dicatur clauis: non tamen id fit adeo proprie: non inquam dicitur ita immediate clauis, ut potestas ordinis. huius autem ratio est, quoniam potestas ordinis extenditur ad cœlum immediate, proprieq; auferendo quæcunque impedimento esse queunt, ut in cœlum ipsum non ingrediamur: atqui per eam sacerdotes absoluunt a peccatis, eoq; modo aperiunt cœlum ijs quos a peccatis absoluunt: imo cœlum etiam claudunt ijs, quibus peccata retinent. Potestas autem iurisdictionis non extenditur ad cœlũ, nisi mediate quatenus hac potestate ali-

qui per excõmunicationẽ separantur ab Ecclesia: aut excõmunicati reconciliantur Ecclesiæ: extra quam non est salus. Quemadmodum tempore diluuij extra Noe archam nemo seruatus est. Clauis igitur ordinis est immediate clauis regni cœlorum: at clauis iurisdictionis à qua illa procedit, nõ est clauis regni cœlorum, nisi mediate.

Extra de sum. tri. & fide catho. c. vna.

Septima cõclusio: Sicut partitur in duas claues potestas ordinis, quippe in clauem scientiæ, & in clauem potestatis: ita quoque potestas iurisdictionis in duas claues distribuitur propterea quòd in omni operatione iusti iudicis ferentis de aliquo sententiam, & requirentis ut persona iudicanda sit idonea: omnino duo necessaria sunt: primum quidem potestas cognoscendi, & discernendi personæ illius idoneitatem: deinde potestas definiendi, seu iudicandi, & ferendi sententiam in causa componenda, & perficienda. Et hæc duo sunt, quibus in foro conscientiæ, atque in foro exterioris iudicij, duæ claues inter se distinguntur aliquo modo.

Octaua conclusio: Quemadmodum in potestate ordinis minime distinguuntur inter se duæ claues secundum essentiam: sed quatenus ad uarios & subordinatos actus referuntur. Simili modo in potestate iurisdictionis planè sentiẽdum est de duabus clauibus: ad eundem profecto spectat discernere ac planè intelligere, quid iustum, quidue iniustum sit in causa quam dirimere habet: ad quem pertinet huiusmodi causam definire. Vnde sicut in foro conscientiæ potestas ordinis una secundum essentiam est clauis ordinis, & duæ claues propter duos actus subordinatos, ad quos refertur, ita potestas iurisdictionis in foro exterioris iudicij, propter unitatem essentiæ una est clauis iurisdictionis: tamen

eum ad duos subordinatos actus referatur, qui sunt discernere, quid sit iustum, & quid secus: deinde condemnare, aut absoluere: duæ proinde claues dicuntur esse: ac eisdem uocantur nominibus, quibus claues ordinis nominantur: nempè clauis scientiæ, & clauis potestatis.

Nona conclusio: Quanquam apud seculares iudices in secularibus causis terminandis, ut recte probeq; ferantur sententiæ, omnino est primo necessaria potestas pro causarum meritis discernendis: deinde potestas definiendi in causis forensibus, siue absoluendi, siue condemnandi sint aliqui. Tamen huiusmodi potestates nullo modo uocari debent claues regni cœlorum: quippe cum sint haud dubiè seculares: proindeq; ad spiritualia, nec immediate, nec mediate, referantur.

Decima conclusio: Tametsi aliquis usus clauium committatur mulieribus, nẽpè Abbatißis ac Prioribßis: integrũ enim illæ habent corrigere subditas mulieres, nequaquam tamen habent potestatem clauium. Atqui mulier non est idonea persona cui detur eiusmodi potestas. Ordinat enim Paulus, ut mulier taceat in Ecclesia. Et ad Timotheum scribit: mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in uirum: sed esse in silentio. Non igitur decet mulieribus communicari potestatem clauium, aut spiritualis & Ecclesiasticæ iurisdictionis. At committitur eis, ut regant & corrigant subditas mulieres in monasterijs: quoniam periculosum est, uiros in monasterijs cum mulieribus uersari, & eas familiariter regere.

1.Cor.14.
1.Cor.2.

Vndecima conclusio: Quamuis potestas Ecclesiasticæ

ſpiritualisque iurisdictionis conueniat præbeaturque non ſacerdotibus: ut ſupra dixi: non tamen puris laicis, neque religioſis corona clericali carentibus. nam ſpiritualis poteſtas minime poteſt dari congrue alicui, niſi ad ſtatum ſpiritualis uitæ aſſumpto, peculiariterq; diuino cultui dedicato: clericalis autem corona eſt, qua homo in Eccleſia, à ſtatu laicorum, ad clericorum ſtatum, & ad miniſterium diuinorum officiorum tranſit. Tonſura enim cõmuni ferè theologorum ſententia proculdubio eſt ſignum diſtinctiuum, præparatiuum, & ſuſceptiuum. Eſt autem eo præparatiuum, ut per eã quis trãſeat ad ordinũ ſuſceptionem, in quibus datur ſpiritualis & Eccleſiaſtica poteſtas: præterea ſuſceptiuum regalis honoris, quatenus per coronam illam quis applicatur miniſterio & ſeruitio diuini cultus, Deo autem ſeruire, ut Gregorius inquit, regnare eſt. Spiritualis igitur & Eccleſiaſticæ iuriſdictionis poteſtas dari poteſt nemini, qui clericali corona minime inſigniatur, etiam ſi monachalem habeat coronam. Porrò legitur in Synodo Eugenij Papæ: Decernimus, ut laici Eccleſiaſtica tractare negocia non præſumant. Et Epiſcopi, & Abbates, Archiepiſcopi, & alij Eccleſiarum prælati, de negocijs Eccleſiaſticis, maxime de illis quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur, laicorum iudicio non diſponant: nec propter eorum prohibitionem Eccleſiaſticam deſinant iuſtitiam exercere.

Extra de iudi. c. decernimus.

Duodecima concluſio: Quanquam poteſtas ordinis aut ſacramentalis inhæreſcit prorſus immobiliter, quandoquidem eſt character indelebilis: tamen poteſtas iuriſdictionis mobilis & ſeparabilis eſt. Ac nimirum ſacramentalis poteſtas eo non poteſt à quoquam auferri: quod per certam quãdam conſe-

dam consecrationem communicatur. Omnes autem ecclesiasticæ consecrationes immobiliter manent donec manent res consecratæ: quod uidere est in rebus etiam expertibus animæ: altare quidem semel consecratum, nũquam est amplius consecrandum quandiu integrum manet. Talis igitur potestas manet in homine, cui per consecrationem data est, quantisper homo ille uiuit: etiam si cadat in schisma uel in hæresim. Unde si postea resipiscat, recipiaturq; in gremio sanctæ & catholicæ Ecclesiæ, non est reconsecrandus. Quemadmodum arguit contra Donatistas Augustinus: Deinde cum potestas iurisdictionis conferatur sine charactere & consecratione, sed quadam simplici hominis iniunctione, siue id per electionem alicuius hominum cœtus fiat, siue id tantum prælatus authoritate faciat: idcirco non hæret immobiliter: unde non manet in schismaticis & hæreticis haudquaquam enim poßunt absoluere, ligare, excommunicare, reconciliare, indulgentias dare. Atqui Cyprianus ait: qui nec unitatem spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab Ecclesiæ uinculo, atque à sacerdotum collegio, & Episcopi, separat: nec potestatem potest habere, nec honorem. 7.q.1.cap. Nouatianus

Hactenus de iurisdictione secundum ueritatem catholicam, quantum par erat, disseruimus: deinceps aduersariorum nostrorum argumenta diluamus: quibus contendunt omnem iurisdictionem ad magistratum ciuilem & secularem deuoluendam esse.

Soluuntur aduersariorum nostrorum argumenta, quibus probare nituntur omnem iurisdictionẽ pertinere ad secularem magistratum.

PRimum argumentum: Administratione iuris, & forensibus actionibus ablatis, attenuabuntur ecclesiasticorum, aut spiritualium res. Respondeo: quid tum futurum est? quale regimen erit Ecclesiæ? quomodo subditi mali & perniciosi obedient suis præpositis, cum prælati ac omnes pastores Ecclesiæ redacti fuerint ad mendicitatem, atque ad nullum ius? Quomodo illud audient ab Apostolo, aduersus presbyterum noli accusationem recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus?

Secundum argumentum: Quidam Christum compellans, ut hæreditatis esset diuisor, hanc responsionem accepit: quis me constituit iudicem super uos? scimus quidem
Luc.12. omne iudicium Christo traditum esse à patre: sed hoc iudi-
Ioan.5. cium ultimis exequetur temporibus: dum autem hic agebat iudicandi posuit potestatem. Verbum ergo eius & factum omnem iurisdictionem Pontificum & Episcoporum fortiter frangit. Et docet eos, ut imperandi non sint cupidi: sed cum Christo dicant, quis posuit nos iudices &c. Respondeo: Hæreditatem diuidere nõ pertinet ad ius ecclesiasticũ: & nemo est in Ecclesia Dei minister, qui litigantes de diuisionibus hæreditatum, non remittat ad ciuilem magistratum. Vtrum autem iure possint Episcopi, & pastores, & proceres ecclesiastici, præter ecclesiasticam, ciuili iurisdictione pariter fungi & dominari, suo loco dicemus. Imo Christus etiam habuit, & exercuit potestatem, cohibitiuãq; iurisdictionem. Habuit sanè, quandoquidem consilia et præcepta dedit, tum ad sacramenta, tum ad conuersationem uitæ spectantia: quibus adiecit pœnarum comminationem: quod sine huiusmodi iurisdictione haudquaquã facere po-

tuiſſet. Ille quidem apud Ioannem inquit: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spirituſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Rurſus, niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis uitam in uobis. Item, Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis inuicem. Deinde apud Mattheũ, ſi Eccleſiam, ait, non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Poteſtatem uero, cohibitiuamq; iuriſdictionem exercuit: quandoquidem è templo magna ui ementes & uendentes eiecit. Cap.3. Cap.6. Cap.15. Cap.18. Matth.21. Ioan.2.

Tertium argumentum: Officiũ Epiſcoporum eſt docere: & ſic docere, ut ius & æquum per magiſtratus ubique dicatur: iudices autem facere ſe haudquaquam debent. Nã Chriſtus, qui omnium oppreſſorum uota clementer exaudit, noluit eum adoleſcentem exaudire: nimirum hoc facto ſignificans, ſe non ideo ueniße, ut ius infringeret iudicum: ergo multo minus hoc facere debent Epiſcopi. Reſpondeo: Negandum eſt argumenti huius antecedens. Ad probationem de Chriſto & adoleſcente, dico, cum hæreditatem diuidere ad ciuilem pertineat magiſtratum, noluit falcem in meſſem alienam mittere: qui docuit reddenda eſſe Deo, quæ Dei ſint: & Cæſari, quæ ſint Cæſaris. At quomodo hæreditatem diuidere meßis aliena eſt? cum Chriſtus ſit Rex Regum et dominus dominantium? Audi quid Chriſtus, inquã, ad Pilatum dicat, Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utiq; decertarent, ut non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc: Quare igitur miniſtri Chriſti dominantur? ad hoc ſuo loco, quantum par fuerit, dicam. Ioan.18.

Quartum argumentum: Chriſtus iubet, ut Petrus gla-

dium condat, fore inquiens, ut qui gladio percutiant gladio sint perituri. Unde discimus, duobus gladijs, quibus contentus fuit Christus post cœnam, non uim dominantium, sed expolitum uerbi diuini gladium ex ueteri & nouo testamẽto depromptum intelligi debere. Si Christus doctrinam suam, aut se defensum uoluisset, alium potuisset exercitum eligere, quam piscatorum: sed ad Petrum inquit, reconde gladium in uaginam. Quod si Papa successorem Petri se gerit, cur Christi uerbum non audit? Respondeo: Christus eo dicto & facto uoluit docere usum gladij ciuilis non pertinere ad iurisdictionem ecclesiasticam, sed tantum ad ciuilem: qua Petrus nondum fungebatur.

Quintum argumentum: Respublicæ tum erũt tranquillæ, si iurisdictionẽ secularem sacerdotibus non permiserimus: nisi quatenus ad discendum et audiendum conueniunt: omnes enim magistratibus publicis aduersantur: in quo & Deo aduersantur. Respondeo: Hoc totum falsissimum est, ac mera calumnia: quod neque probaturi sunt unquam.

Sextum argumentum: Iurisdictio atque assertio publici magistratus est, quicunque tandem sint iudicandi, siue Sacerdotes, siue Monachi: nã scriptura omnes magistratui subijcit. Respondeo: cum duplex iurisdictio sit, una ecclesiastica, & altera ciuilis. In ijs quæ ad primam spectant, omnis anima subdita est ministris Ecclesiæ: In ijs uero, quæ attinent ad secundam, omnis anima subdita est ciuili magistratui. Sic Apostolorum doctrina intelligenda est: nam & magistratibus dicitur, obedite præpositis uestris.

Roma.13.

Septimũ argumẽtum: Paulus ita præcipit: obedite præpositis uestris, & subiacete eis: ipsi enim uigilant tanquam

Heb.13.

rationem pro animabus uestris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant: & nō gementes: hoc enim non expedit uobis. Ergo tota iurisdictio est penes ciuilem magistratum: Respondeo: Quamuis ea sententia possit ad seculares & ciuiles præpositos accommodari: quandoquidem ἡγούμενοι Græcis, Principes, Imperatores & Duces sunt: re tamen uera loquitur Paulus de præpositis aut Ducibus ecclesiasticis: qui maxime inuigilant pro animabus nostris tanquam rationem reddituri: sunt enim Episcopi, hoc est superintendentes & speculatores: de quibus concionatur Deus per Ezechielem: & tu fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: audiens ergo ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impium, impie, morte morieris, non fueris loquutus, ut se custodiat impius a uia sua, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem aūt eius de manu tua requiram. Deinde si Paulus de præpositis ciuilibus tantum loqueretur, non opus erat ut diceret, non gementes: ciuiles enim Hebræorum magistratus, cum Romani essent eo tempore, nequaquam pro Iudæorum inobedientia gemebant: sed gladio statim ceruicibus inobedientiū & rebellium imminebant. Præterea bifariam honorandi sunt præpositi ecclesiastici: primo quidem porrigendo eis, quæ ad tuendam corporalem uitam necessaria sunt. Mox illis obediendo. Sic Paulus ait, qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in uerbo et doctrina. Itaque Paulus in epistola ad Hebræos hortatur ad hunc duplicem honorem præpositis ecclesiasticis exhibendum: ad primum sanè cum ait, mementote præpositorum uestrorum, qui uobis loquuti sunt uerbum Dei: porrò ad alterum

Cap. 33.

1. Timo. 5.

Cap. 13.

dicens, obedite præpositis uestris & subiacete eis.

De potestate Euangelij, & Ecclesiæ, utra sit maior.

CUm his temporibus aduersarij nostri horribilem tragœdiam excitauerint in materia de authoritate Euangelij & Ecclesiæ: utra maior sit: cunq; materia ista uehementer ad negocium quod nunc de cohibitiua iurisdictione tractamus, pertineat: propterea ego quanta potero breuitate, omni studio conabor hanc scitu dignißimam & grauißimam rem explicare.

Euangelium accipi tribus modis.

SOlet Euangelium tribus potißimum modis accipi: & primum quidem pro æterno atque immutabili proposito uoluntatis diuinæ: quo, priusquam iacerentur mundi fundamenta, elegit nos per Christum: ut sancti, & puri, & incontaminati essemus coràm eo in charitate: ut Paulus Ephe.1.
ait: quo deliberauit inquam genus humanum per filium suum Iesum Christum certo quodam tempore sibi reconciliatum iri. De hoc Euangelio dicit Mattheus: circuibat Iesus totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni. Hoc est prædicans & docens æternam Dei uoluntatem, ac deliberationem esse, ut homines per filium Dei regnum illud consequantur: de quo ipse Christus ait: Venite benedicti patris mei, poßidete paratum uobis regnum à constitutione mundi. Euangelium istud, cum æternum sit ac immutabile, non manui Conciliorum, non ecclesiasticæ potestati ullo modo subijcitur: imò ne Christi quidem calculo & authoritati, ea parte, qua homo est, subest: filijs enim Zebedæi sic respondit. Calicē quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam, uel si-

Cap.4.

Math.25.

nistrã, nõ est meum dare uobis: sed quibus paratum est à patre meo. Deinde *sumitur* Euangelium *pro annunciatione illius diuini propositi: pro læto inquã et felici nuntio de seruãdis electis, quod frequens admodũ et creberrimũ semper fuit, iam inde à lapsu primorũ parẽtum.* Hoc Euãgelium *nõ æternum, sed temporarium est: nõ ipsa* Ecclesia *quidem antiquius, uerum aliquanto recentius.* Erat *enim* Ecclesia *in primis parentibus antequam illi etiam à diuina gratia corruerẽt in præceps, adeoq; in iram* Dei. *De hoc* Euangelio Paulus *ait:* In Christo Iesu *per* Euangeliũ *ego uos genui.* Hoc *est, per illius firmi & stabilis propositi diuini et immutabilis deliberationis annuntiationem seu prædicationẽ, ego tanquã organum* Dei, *tanquam minister* Christi, *& dispensator mysteriorum* Dei, *uos genui.* Humana *uolũtas, aut potestas* Ecclesiæ *nullum quoque habet ius in huiusmodi* Euãgelium, *uel abolẽdum, uel quouis modo immutandum: quippe cum* Christus *dicat: cœlum & terra trãsibunt: uerba autem mea non præteribunt.* Et Paulus, *minor quod sic tam cito transferimini ab eo, qui uos uocauit in gratiam* Christi, *in aliud* Euangelium. *Quod non est aliud: nisi sunt aliqui, qui uos conturbant, et uolunt conuertere* Euangelium Christi. Sed *licet nos, aut* Angelus *de cœlo euãgelizet uobis, præter quam quod euãgelizauimus uobis,* Anathema *sit.* Sicut *prædiximus, et nunc iterum dico: si quis uobis euãgelizauerit præter id quòd accepistis,* Anathema *sit.*

1. Cor. 4.
Matth. 24.
Matth. 13.
Luc. 22.
Gal. 1.

Nullum audiendum prædicatorem, nisi a ministris Ecclesiæ approbetur & mittatur.

I*Llud minime prætereundum est, licet uerbum* Dei *non sit alligatũ, haudquaquam tamẽ debere oẽs indiscrimi-*

natim euangelizare pro arbitratu suo: multi enim pseudoprædicatores miris imposturis & fraudibus transfigurantes seipsos in ministros Dei & Apostolos Iesu Christi, quemadmodum Paulus monet in compluribus locis, corrumpunt Euangelij puritatem, & uerbum Dei omnino deprauant. ij soli ergo munus euangelizandi assumant, pariterq; ij soli tanquam ueri prædicatores audiantur, qui tanquam idonei & commodi mittuntur à catholicis & legitimis Ecclesiæ ministris: alioqui mira perturbatio & confusio commouenda est in christiana republica, non sine fidelium ruina, & carnificina horribili conscientiarum.

Non posse vulgares & illiteratos homines discernere concionatores veros a falsis.

NEque parũ ij repræhẽdendi sunt, qui uolunt omnes etiam idiotas posse ueros à falsis, pios ab impijs concionatoribus discernere: hoc nimirum pacto: si legant scripturas sanctas. Quid si legentes non intellexerint? at Spirituſſanctus dabit, ut intelligant. Audio: sed tunc sequitur, intelligunt omnes homines scripturas sanctas: ergo minime sunt necessarij prædicatores & doctores in Ecclesia: qui scripturas sanctas interprætentur, & populos imbuant sana doctrina: deinde obsecro, quid facient tot mulierculæ, tot simplices, tot rudes, qui ne prima quidem grammaticorum elementa nouerunt? Quomodo ueros & synceros à fucatis prædicatoribus discreuerint? fabulæ sunt perniciosæ, figmenta & somnia uehementer noxia, quæ dicuntur à nonnullis: Nempè duntaxat uerbum Dei externum, fideles Apostolos à Pseudo apostolis discriminare: cum præcipue uideamus, etiam hæreticos niti summo studio & conatu suas hæ-

reses atque impietates uerbo Dei confirmare. Sciens & uolēs prætereo Anabaptistas, qui suum, nescio quem, imaginarium spiritum longo interuallo præferunt scripturis sanctis; quas & illi post habendas esse contendunt manibus & pedibus. Sunt hi quidem plus æquo seditiosi.

Solos homines diuinæ scripturæ peritos, posse ueros prædicatores a falsis dirimere.

ITaq; ad eos redeo, qui magnifaciūt uerbum Dei. Esto, inquam: uerbum Dei prædicatores ueros à non ueris facile dirimit: Quemadmodum lapis lydius aurum syncerum ab adulterino. Id minime inficior: sed hoc facit solum apud ueros doctores theologos, & legitimos Ecclesiæ ministros: quorum sano iudicio, alij stare omnino debent: alioqui futurus nūquam est finis tumultuum. Quid si prædicatores admissi à doctoribus theologis & ministris Ecclesiæ tanquam idonei & commodi, fuerint pseudoprædicatores? Respondeo: ministri Ecclesiæ non debent mercenarij esse, qui lupum uidentes fugiant: sed pastores boni, qui magno & forti animo eant obuiam lupo uenienti, atque impauidi, si quidem oporteat, animam suam ponant pro ouibus suis: debent inquam summo studio & diligentia curare, ne mortiferum pabulum feratur ab aliquibus in ouile suum: debent quos admiserunt, si postea malos esse intelligant, ab officio illo prædicandi amouere, & siquam pestilentem doctrinam sparserint, eam ilico abolere, quod fecerint commode in assuetis & accuratissimis uisitationibus. Sed alij quidem reclamant. Dominus Iesus, cum docet nos, ut caueamus Pseudoprophetas, non remittit nos ad iudicium ullorum hominum, sed potius ad eorum opera & fructus pro ijs co-

Matth.7. gnoſcendis: attendite inquit à falſis Prophetis: qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium: intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Reſpondeo: Chriſtus de hypocritis, deq́; impijs Apoſtolis, & Pſeudoprædicatoribus, ait: Videte, nequis uos ſeducat. multi enim uenient in nomine meo dicentes, ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent. Ac paulo poſt inquit: multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. Et mox etiã inquit: tunc ſiquis uobis dixerit, hic eſt Chriſtus: aut illic: nolite credere. Surgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia: ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Quando igitur ſunt oues adeò ſimplices, & lupi adeò uoraces & uerſipelles, quomodo non decipientur oues? quomodo non mactabuntur? non perdentur? Cum Paulus fundabat Eccleſias per Euangelij prædicationem in ſolido fundamento Chriſto, quod ſolum iaciendum eſt, ne portæ inferi aduerſus Eccleſiam catholicam præualeant, non deerant Pſeudoapoſtoli, qui ſubruebant eas illico: quas deinde omni ſtudio conabatur denuo erigere, uel per ſe, uel per nuntios ſuos: quos, etiã in hoc datis literis, proteſtatur fideles eſſe. Audi obſecro

Math.24. (margin)

2.Cor.11. quid ſcribat ad Corinthios: Emulor, ait, uos Dei emulatione: optaui enim uos uni uiro uirginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua: ita corrumpantur ſenſus ueſtri à ſimplicitate, quæ eſt per Chriſtum &c. Porrò ſubdit: quod autem facio, & faciam, ut amputem occaſionem eorum, qui uolunt occaſionem: ut in quo gloriantur, inueniantur ſicut & nos: nam eiuſmodi Pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, tranſfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum: ipſe

enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis. non est ergo magnum, si & ministri eius transfigurentur uelut ministri iustitiæ: quorum finis erit secundum opera ipsorum: Cum ergo longe à uia, & toto, quod aiunt, cœlo errarent, opera & studio Pseudoapostolorum Corinthij, Paulus tanquam uerus minister Christi, fidelisque mysteriorum Dei œconomus reuocat eos in uiam: & exponit eis, qui sint ueri & fideles Euangelistæ. Ad hunc igitur modum sese præstare omnino debent Ecclesiarum ministri: Possunt quidem fideles cognoscere Pseudoprophetas à fructibus & doctrina eorum: quandoquidem oues Christi, uocem Christi audiunt, & sequuntur eum: uocem autem alienorum minime audiunt: et Paulus inquit: Spiritualis homo dijudicat omnia. Sed tamē impios doctores magis nouerunt pij doctores, Theologi, Episcopi, et reliqui prudentiores et sapientiores ministri: ad quos etiam, tāquam ad eos qui habent gregem pascere, & quam diligentißime curare, ne is detrimenti aliquid patiatur, Christus ea comprimis dirigit uerba, Attendite à falsis Prophetis &c. Attendite à fermēto pharisæorum &c. à fructibus eorum cognoscetis eos: et huiusmodi alia. Vnde in actis Apostolorum ad Ephesinos Episcopos ait Paulus: Attendite uobis, & uniuerso gregi: in quo uos Spiritussanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei: quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio, quòd intrabunt post discessionem meam lupi graues in uos non parcentes gregi: Et ex uobis ipsis exurgēt uiri loquentes peruersa: ut abducant discipulos post se: propter quod uigilate &c. Debent ergo simplices iudicio sapientiorum et prudentiorum Episcoporum & Theologorum seipsos cō-

Ioan. 10.
1. Cor. 2.

Cap. 20.

mittere in causa tam difficili & periculosa. Idem quoque sentiendum est de opusculis & libellis, quos: præcipue si tractent ea quæ pertinent ad religionem & ad mores, inuulgare debet nemo sine prius impetrata uenia ab ordinarijs ministris Ecclesiæ. Ipsi uero diligenter examinare & perpendere debent: num contineatur in eis quippiam, quod pios & fideles homines queat ulla ex parte inficere aut offendere. Sed hæc hactenus. ad institutum negotium redeo.

Euangelium tertio modo acceptum adhuc tribus modis accipi solere.

TErtio sumitur Euangelium pro diuina scriptura: hoc uero ipsum trifariam distribuitur. quandoque nimirũ accipi solet pro tota simpliciter ueteris ac noui testamenti scriptura. Atque isto modo Lex etiam est Euangelium, siue à Mose, siue à Christo lata sit. Vt cum iubet Christus, ne irascamur: ne adulterium patremus: ne mulierem uideamus ad eã cõcupiscendam: ut inimicos diligamus &c. Sic tamen intellige: quod Lex perpetuo sit impijs Lex, Euangelium nunquam: propterea quod semper eos accusat, & merito condemnat. pijs autem Lex eo Euangelium est, quod eos docet, ac instruit: quæ sit uoluntas Dei: quid requirat à nobis Deus: quid agendum: quid cauendum sit: ut Deo morem geramus & obsequamur: talia uero cognoscere dulcissimum & suauissimum pijs hominibus est, qui spiritu Dei aguntur. Et quanquam pij non ad plenum obseruant legem, tamen admonitione legis, uoluntati diuinæ, auxilio & fauore quidem Spiritus sancti adiuti, & subijciũt se et accõmodant per Iesum Christum: in quo tãquam in capite suo; et legem adimplent, & ei omnino satisfaciunt. Cũ

ergo ita præstent legem, quamuis in lege sint iuxta illius optima instituta et præcepta uiuentes, non tamen sub lege sunt. At quemadmodum Paulus ait, sub gratia. Defenduntur enim à gratia Dei per Iesum Christum, ut iam per legem non condemnentur. Quippe cum ei, ut diximus, satisfaciant, eamq; adimpleant in Christo, cui tanquam uiua membra capiti suo plane insiti sunt. Vnde ipsis Lex proculdubio Euangelium est, uelut enim Lex impijs cedit in malum tanquam odor mortis in mortem: sic pijs in bonum cedit tanquam odor uitæ in uitam: Quare illis hauddubie Lex est: his Euangelium. Deinde sumitur aliquoties Euangelium pro quorumcunque sacrorum uoluminum certis locis, in quibus æternum Dei propositum de reparandis, deq; iam reparatis hominibus per Iesum Christum continetur, aut in quibus continetur eius propositi certa annunciatio, & salutis promissio: qua eriguntur piorum conscientiæ afflictæ & consternatæ horrore peccatorum. Deniq; passim & uulgo sumitur Euangelium pro historijs, in quibus de Christo manifestius agitur: nempe de illius conceptione, de sapientia, de miraculis, de discipulorum institutione, de prædicatione ipsius Euangelij, de laboribus, de cruciatibus de tormentis, de crucifixione, de profluuio sanguinis, de morte, de humatione, de sepultura, de descensu ad inferos, de sacramentorum institutione, de missione Apostolorum ad prædicandum Euangelium, de ascensione in cœlum, de Paracleti promissione & missione, de promissione alterius aduentus, deq; huiusmodi alijs rebus ad Christum peculiariter attinentibus. Hoc modo sumendo Euangelium dicere solemus quatuor esse Euangelia: Vnum Matthei: Al-

Rom. 6

terum Marci: Tertium Lucæ: Quartum Ioannis.

Quomodo scriptura sacra subijciatur potestati ecclesiasticę, & quomodo ei non subijciatur.

EVangelium tertio modo sumptũ, quomodolibet cõsideretur, non ita est in manu Ecclesiæ, ut ipsa illud queat delere: utq; ipsa decernere possit quippiam quod ei sit ulla ex parte contrarium, nec enim scriptura sacra, cuius author est Spiritussanctus, stat uel cadit pro arbitrio aut pro iudicio Ecclesiæ. Sed contra potius, Ecclesiã moderari & regere oportet iuxta literarum diuinarum sententias et regulas: quæ sunt proculdubio ipsissima Dei uoluntas. Siquando tamen dubitatio aut contẽtio et pugna inter fideles oriatur de aliquo libro, an numerari debeat inter eos libros qui sunt in Canone sacro bibliorũ, an sit potius expũgẽdus reijciẽdusq;: tũ hic ualet iudiciũ Ecclesiæ: tũ hic patres cõsulẽdi sunt. Qui sciremus, cur magis Euangeliũ Ioannis, et Lucæ, & Marci, et Matthei, quàm uel Nichodemi, uel Philippi, uel multorum, quos Euangelia scripsisse testatur Lucas in Euãgelij sui procemio, haberi oporteat authenticũ? nisi huc iudiciũ, calculus, et testimoniũ accessisset catholicæ Ecclesiæ? plures etiã sanctissimi uiri epistolas ad uarias Ecclesias scripsere: Cur nõ eas ita recipimus, ut Pauli epistolas? et Petri? et Ioannis? & Iacobi? & Iudæ? non defuerũt etiam, qui magno studio Apostolorũ gesta collegerint: cur non patimur illa tanto esse in honore, quanto ea, quæ Lucas Apostolorum acta scripsit ad Theophilum? nulla profecto est alia ratio, nisi quod ita Ecclesia declarauit: quodq; ita rẽ se habere testificata est. Augustinus in hũc sensum dixit
Cap.5. cõtra epistolã Manichei: Quam uocant fundamenti: Euan-

gelio non crederem, nisi Ecclesiæ authoritas me commoneret. hoc est, sine testimonio Ecclesiæ nescirem Euãgeliũ esse Euangelium. aut certum librum esse in Canone sacrorum uoluminum: ac proinde non crederem ei firmo & constanti animo; sicut neque aliorum doctorum libris indubie atque infallibiliter credo, tanquam sacris authenticis canonicis et prorsus uenerabilibus.

Quomodo Ecclesia scripturam sacram approbet: & articulos fidei & sacramenta.

VT paucis quod res est dicã: quod sancta & catholica Ecclesia approbet scripturam & Euangelium: id minime facit iure dominij, quod supra scripturam & Euangelium exerceat: sed duntaxat iure testimonij, quod illa de scriptura & Euangelio perhibet. Christus enim ait: uos testimonium perhibebitis quia mecũ ab initio estis. Ac rursus: accipietis uirtutẽ, posteaquã Spiritussanctus aduenerit super uos: et eritis mihi testes nõ solũ Hierosolymis, uerum etiam in uniuersa Iudæa, & Samaria, denique usq; ad extremũ terræ. Testes profecto non habẽt potestatẽ mutandæ ueritatis: aut addendi quippiã ueritati, aut etiam adimendi quippiam ex ueritate. Cum igitur non iure dominij, sed iure testimonij scripturam approbet Ecclesia, non licebit ei ultra septa scripturæ aut Euangelij transilire, proq; arbitratu suo quippiam uel addere uel adimere. Sancta quidẽ et catholica Ecclesia mystica et legittima sponsa Christi est: at scriptura sacra est ueluti sigillum in quo est insculpta effigies Christi Nam scriptura est, quæ nobis Christũ cognoscendum & in facie sua per fidem contemplandum proponit. Scrutamini, ait Christus, scripturas: & illæ sunt,

Act. 1.

Ioan. 5.

quæ testificantur de me. Quemadmodum igitur, sponsa sponsi sui uerum sigillum cognoscit, discernitque illud à sigillis adulterinis: ita etiam Ecclesia ueram & legitimam scripturam approbat: quæ tanquam sigillum est Christi. Et reprobat illegitimam, ac eadem legitimam legitimæ scripturæ intelligentiam aperit: ac falsas, erroneasque impiorum & hæreticorum confutat expositiones. At quemadmodum sponsa non habet potestatem mutandi sigillum sponsi sui, & fingendi nouum sigillum, aut addendi, aut adimendi aliquid: ita nec etiam Ecclesia potest scripturam sacram uel per additionem, uel per ademptionem euariare ullo modo siue immutare. Nec enim potest facere, ut non canonicus liber sit canonicus: nec ut canonicus sit non canonicus, sic etiam Ecclesia, ut hoc obiter dixerim, quanquam, nullum fidei articulum reijcere potest, neque nouum condere: tamen orientia dubia circa ipsos declarare habet, ac diluere. Et siquis antea fuerit obscurus, illum aperire atque illustrare: Quod patet de Patris et Filij consubstantialitate aduersus Arrium: de Spiritussancti à patre filioq; processione aduersus Græcos: & de multis alijs articulis, quos non condidit Ecclesia, sed exposuit. tum uero acquiescere debent fideles Ecclesiæ determinationibus, et expositionibus. Haudquaquã enim fiũt sine auspicio Christi, neque sine auxilio & fauore Spiritussancti. Quod uero de libris canonicis, & de articulis fidei diximus, intelligendum est etiam prorsus eodem pacto de sacramentis: quæ solus Deus potuit instituere. Sed age his omißis redeamus ad propositum.

Tria scitu dignissima dubia, de Ecclesia, & Scriptura sacra.

TRia facienda sunt: primo quidem ostendendum est, Ecclesiam multo esse antiquiorem sacra scriptura. Deinde probandum est, Ecclesiam longe nobiliorem, & digniorem esse scriptura sacra. Tertio declarandum est, quomodo regi debeat Ecclesia per scripturam sacrã.

Ecclesiam esse antiquiorem, & maioris authoritatis, & dignitatis, quam sit sacra scriptura.

ECclesiam multo esse antiquiorem Euangelio aut scriptura sacra, eò planè ostendo, quoniam Deus primum sine scripturis uoluntatem suam reuelauit hominibus: ut Adamo, Noe, Abrahamo et Patriarchis alijs: Porrò Mosi, Iosue, Dauidi, Esaiæ, & reliquis prophetis: denique Apostolis, cæterisq; discipulis Christi. Horum autem alij duntaxat uiua uoce prædicauerunt sibi reuelatam Dei uoluntatem: Alij uero non solum uiua uoce, sed scripturis etiam uoluntatem Dei annunciauerũt. Quorum uox, cũ ad eorum posteros haudquaquam posset uenire, ipsi quæ uiua uoce coætaneis suis prædicabant, commendauerunt etiam scripturis: quæ ad posteros facile peruenerunt. Sunt ergo scripturæ sanctæ, mortuæ quædam uoces Prophetarum, et Apostolorum, & aliorum, quos ad hanc prouinciam, & ad hoc munus obeundum elegit Deus: ut nimirum de beneuola deq; reuelata Dei uoluntate, erga homines testificarentur. Illi autem, qui nobis tradiderunt scripturas sanctas, membra olim fuerunt militantis Ecclesiæ, itaque per eos intelligimus Ecclesiam: atque ita confitemur, eorum scripturas testimonium esse ipsius Ecclesiæ de uoluntate diuina testificantis. Hinc proculdubio sequi necessarium est, Ecclesiam multo esse antiquiorem scripturis, ac maioris etiam autho-

ritatis, nobilitatis & dignitatis. Sed age utrunque manifestius probemus, Ante mortem Christi, multoq; post etiam fuit uera Ecclesia, cum scripturæ omnino eßent nullæ Matthei, Marci, Lucæ, Ioannis, Pauli, Petri, Iacobi, & Iudæ: Imo cum dominus mitteret Apostolos ad prædicandum, non præcepit eis, ut Euangelium scriberent: sed ut ipsum prædicarent. Neque mandauit uspiam Ecclesiæ, ut nihil aut doceat aut credat, nisi quod in libris Euangeliorum, aut scri-
Gal. 1. bendis, aut iam scriptis continetur: neque Paulus dixit, siquis uobis euangelizauerit præter id quod in quatuor Euãgelijs scriptum est, Anathema sit: neque iterum ait, siquis uobis euangelizauerit præter id quod scripsimus uobis: sed ait, siquis uobis euangelizauerit præter id quod accepistis, Anathema sit. Idem Paulus in posteriore ad Thessalonicenses epistola inquit: Fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolã nostrã: Quibus uerbis, planè sigñat, nõ nulla se Thessalonicẽsibus ꝑtradidisse, quæ scripta non erant per epistolã. Quẽadmodum Ioannes inquit, absoluens librum Euangelij sui: multa quidẽ alia fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Ex quibus uerbis id quoque perspicuum habemus, Ecclesiam posse testimonium reddere alicuius ueritatis Christianæ uel necessario credẽdæ: quæ nusquã tamẽ sit obuia legentibus scripturas sanctas: præcipue cũ illa è tẽporibus Apostolorũ ad nostra tempora usq; permanserit, Deinde ante diluuiũ, et post ad Mosen usq;, fuit uera Ecclesia: cum prorsus nullæ, aut mosi, aut Prophetarũ extarent adhuc scripturæ. quod manifestum adeo est, ut nulla indigeat probatione. Itaque sine dubio Ecclesia multo ue

iustior est scriptura sacra. Probemus deinceps Ecclesiā esse maioris authoritatis, nobilitatis, et dignitatis. Maior est eius authoritas et dignitas, ob cuius testimoniū aliquid decernimus: quā sit ipsum testimonium: quippe cum testimonio eo stemus, quod personam testificantem credimus ueracem esse. Cum ergo scriptura sacra testimoniū sit Ecclesiæ de uoluntate Dei testificantis. haud dubie sequitur maiorem esse authoritatem & maiorem dignitatē Ecclesiæ, quā scripturæ: tamen quanquam res ita se habet, eadem, & prorsus æqualis ueracitas est Ecclesiæ & scripturæ: Idem enim spiritus loquitur utrobique & in Ecclesia & in scriptura: 1.Cor.13.
Quare non possunt inuicem pugnare aut discordes esse. Deinde si sponsa nobilior est sigillo sponsi, profecto nobilior est Ecclesia, quam scriptura sit. Præterea Ecclesia futura est in æternum cum sponso Christo in patria beata: scripturæ autem cessabunt, quemadmodum Paulus inquit. Rursus, propter Ecclesiam filius Dei humanitatem assumpsit, effudit sanguinem, mortuus est, resurrexit, in cœlum ascendit, sedet ad dexteram patris, & aßidue orat ac interpellat. Denique scripturæ sunt propter Ecclesiam: Ecclesia uero non est propter scripturas: Quis ergo fuerit adeo stolidus, ut non credat & fateatur. Ecclesiam multo esse nobiliorem omnibus scripturis?

Ecclesiam duobus modis considerari.

CAeterum animaduersione dignum est, Ecclesiam dupliciter considerari: Primo quidem ut primitiuam: qualis erat tempore Christi & Apostolorum eius: ne quid loquar de Ecclesia, quæ ante Christū fuit ab origine mundi: Deinde consideratur Ecclesia, ut posterior: quate

nus ordinata serie illi apostolicæ ac primitiuæ succedit Ecclesiæ. Paulum quæso agamus de utroque modo considerata Ecclesia. Exploratum & perspicuum facile potest esse ex his quæ paulo ante dixi, multa esse, in quibus si cõscientias fidelium consolari uelimus & firmare in Christo, magis oporteat stare authoritati Ecclesiæ primitiuæ, quàm scripturæ sacræ, utpote, quæ de talibus nihil meminit: Sanctæ quidem scripturæ nullam habent uim super ijs de quibus minime loquũtur, quæ tamen ab Ecclesia & creduntur, & tenentur, & diligentißime obseruantur iam inde à temporibus Apostolorum. Quare super huiusmodi rebus audienda est Ecclesia: quæ illas nequaquam aliter docet hac posteriori ætate, quam olim docuit primitiua Ecclesia. Quomodo epistolas Pauli, quibus utitur Ecclesia, Epistolas Pauli esse certo scimus? Quomodo eas Pauli esse probabimus, hæreticis contradicentibus, nõne per testimonium Ecclesiæ? Quomodo scis tu, Euangelia, quæ scribũtur à Mattheo, à Marco, à Luca, à Ioanne, porrò Apostolorum acta, Epistolas catholicas, Apocalypsim, & omnia ueteris testamenti uolumina, esse authentica? nunquid per alias scripturas? minime gentium, sed per testimonium Ecclesiæ primitiuæ. Cui posterior Ecclesia usque ad diem extremum iudicij sine ulla interruptione temporis, Deo illam propagante, ordinata serie succedit, per legitimam uerorum Episcoporum successionem. Vnde posterioris Ecclesiæ doctrina est prorsus eadem illi, quam tenuit et prædicauit Ecclesia primitiua, quæ maioris quidem erat authoritatis propter Apostolos, Qui cum essent gratia Dei & electione Iesu Christi, illius Ecclesiæ stabiles & firmißimæ quædam columnæ, testimoniũ

de his, quæ uiderant, poterant facile, intrepide, ac uerißime perhibere. Qui & ipsum Christum, & illius miracula, & opera excellentia, & mortem, & resurrectionem, & in cœlum ascensionem uiderunt, et ab ipsius ore doctrinā eius hauserunt, & manifeste receperunt Spiritumsanctum in signis & prodigijs: Quibus ēt post resurrectionē aperuit mētē ut intelligerēt scripturas Ac proinde licet posterior Ecclesia in remittēdis et retinēdis peccatis, in sacramentis, cæterisq; mysterijs Dei legitime dispensandis atq; in moderandis Ecclesiæ gubernaculis, & in omni denique potestate ecclesiastica data Ecclesiæ à Christo, tantæ sit authoritatis: quantæ olim primitiua erat Ecclesia Apostolorum, habens quidem easdem claues regni cœlorū, quas dedit Christus omnibus Apostolis, & imprimis Petro, & illi omnibus rite succedentibus: Ecclesia tamen primitiua, idque propter Apostolos, in tradenda nouæ fidei nostræ doctrina, multo erat maioris gratiæ & authoritatis, quàm sit Ecclesia posterior: nam posterior Ecclesia fidei Ecclesiæ primitiuæ innititur: Quandoquidem eodem spiritu fidei succeßione continua proculdubio succedit. Quanquam uero posterior Ecclesia non potest fidem docere, nec aliud Euangelium: tamen in rebus fidei ambiguis, inq; dubijs locis sanctarum scripturarum habet suam & censuram & authoritatem.

Quomodo Augustinus dixerit Euangelio se non crediturum fuisse, nisi commonitus esset authoritate Ecclesię.

CVm Augustinus ait, se non crediturum Euangelio fuisse, nisi authoritas Ecclesiæ ipsum commonuis-

ſet: de primitiua loquitur Eccleſia. per eam quidem ſanctas ſcripturas cognoſcimus: p has uero, ut ad id reſpondeamus quod nos tertio loco dicturos eſſe polliciti ſumus, cognoſcimus Eccleſiã poſteriorẽ apud illos haud dubie eſſe qui doctrinã Euangeliorum tenent probe intellectam in fide Ieſu Chriſti, et moribus, et pacis unitate. ſub Cathedra beati Petri, unà cũ Eccleſijs omnibus, quæ prioribus ſeculis fuerũt. De poſteriori Eccleſia, ſi conſideretur ut aliqua ratione à primæua execta et ſeparata, proculdubio Auguſtinus diceret: Ego huius Eccleſiæ homines haudquaquã domini Ieſu Chriſti Eccleſiã eſſe cognoſcerẽ, niſi cõmoneret me doctrina Euãgeliorum: Ego Eccleſiæ minime crederem, ſi aliud Euãgelium nobis prædicaret: ſi Apoſtolorũ doctrinã omitteret, uel improbaret, iuxta Paulinam ſententiã. Deinde cũ
Gal. 1. 1. Tim. 3. Paulus docet Eccleſiam Dei uiui columnã et firmamẽtum eſſe ueritatis, de catholica ſiue uniuerſali Eccleſia intelligit, quæ fuit ab initio chriſtianæ fidei: et perſeueratura eſt uſq; ad conſumationem ſeculi, iuxta legitimam & ordinatam ſeriem Epiſcoporum. His de authoritate & dignitate Eccleſiæ, & Euangelij breuiter expoſitis, reliquum eſt ut aduerſariorum noſtrorum argumenta diluamus.

Colliguntur, & diluuntur ſigillatim aduerſariorum noſtrorum argumenta.

Ioan. 5. PRimum argumentum: Chriſtus ait, ſcrutamini ſcripturas, quia uos uidemini uobis in ipſis uitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtantur de me: nec uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Gloriam ab hominibus non accipio. Hic ad ſcripturas dirigit Chriſtus: non ad homines, qui ſcripturas iudicent. Scripturæ, inquit de me

testantur. Sed hi, qui in incredulitate & perfidia persistant, non patiuntur se trahi ad Christum sed cum Iudæis, uel signa, uel hominum testimonia requirunt: cum tamen Christus testimonium & gloriam ab hominibus non recipiat. Respondeo: Si Christus non quærit testimonium ab hominibus, quare inquit, eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ? Deinde cur Petrus ait, oportet ex his uiris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis usque in diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis? Porrò quid est in causa, cur Lucas Euangelium scripturus, hominum allegat testimonium? inquit enim, sicut tradiderũt nobis, qui ab initio ipsi uiderũt, et ministri fuerunt sermonis. Præterea cur inquit Ioãnes in priori epistola sua? quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nõstris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt, de uerbo uitæ & uita manifestata est, & uidimus & testamur. Ac etiam idem, in Euangelio suo, cum dixisset, Verbum caro factum est & habitauit in nobis, huius rei subijciens testimonium inquit: et uidimus gloriã eius, gloriam quasi unigeniti à patre. Itẽ in eodem Euangelio, hic est ait, discipulus ille, qui testimonium perhibet de his: & scripsit hæc: & scimus, quod uerum est testimonium eius. Si Christus inquam testimoniũ ab hominibus non requirit, cur Ioannes Baptista, cur Apostoli ferunt de illo testimonium? Imo cur ipse mandauit eis, ut ferrent testimonium? Porrò si remittimur in omnibus causis ad scripturas, dicant nobis aduersarij nostri, ex

Act.1.
Act.1.
Luc.1.
Cap.1.
Ioan.1.
Cap.21.

ſet:de primitiua loquitur Eccleſia.per eam quidem ſanctas ſcripturas cognoſcimus:p has uero, ut ad id reſpondeamus quod nos tertio loco dicturos eſſe polliciti ſumus, cognoſcimus Eccleſiā poſteriorē apud illos haud dubie eſſe qui doctrinā Euangeliorum tenent probe intellectam in fide Ieſu Chriſti,et moribus,et pacis unitate. ſub Cathedra beati Petri,unà cū Eccleſijs omnibus,quæ prioribus ſeculis fuerūt. De poſteriori Eccleſia, ſi conſideretur ut aliqua ratione à primæua execta et ſeparata, proculdubio Auguſtinus diceret: Ego huius Eccleſiæ homines haudquaquā domini Ieſu Chriſti Eccleſiā eſſe cognoſcerē, niſi cōmoneret me doctrina Euāgeliorum:Ego Eccleſiæ minime crederem, ſi aliud Euagelium nobis prædicaret:ſi Apoſtolorū doctrinā omitteret,uel improbaret, iuxta Paulinam ſententiā.Deinde cū Paulus docet Eccleſiam Dei uiui columnā et firmamētum eſſe ueritatis,de catholica ſiue uniuerſali Eccleſia intelligit, quæ fuit ab initio chriſtianæ fidei:et perſeueratura eſt uſq; ad conſumationem ſeculi,iuxta legitimam & ordinatam ſeriem Epiſcoporum.His de authoritate & dignitate Eccleſiæ,& Euangelij breuiter expoſitis,reliquum eſt ut aduerſariorum noſtrorum argumenta diluamus.

Gal.1.
1.Tim.3.

Colliguntur, & diluuntur ſigillatim aduerſariorum noſtrorum argumenta.

Ioan.5.

PRimum argumentum: Chriſtus ait,ſcrutamini ſcripturas, quia uos uidemini uobis in ipſis uitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtantur de me: nec uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Gloriam ab hominibus non accipio.Hic ad ſcripturas dirigit Chriſtus: non ad homines, qui ſcripturas iudicent. Scripturæ, inquit de me

testantur. Sed hi, qui in incredulitate & perfidia perstant, non patiuntur se trahi ad Christum: sed cum Iudæis, uel signa, uel hominum testimonia requirunt: cum tamen Christus testimonium & gloriam ab hominibus non recipiat. Respondeo: Si Christus non quærit testimonium ab hominibus, quare inquit, eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ? Act.1. Deinde cur Petrus ait, oportet ex his uiris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis usque in diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis? Act.1. Porrò quid est in causa, cur Lucas Euangelium scripturus, hominum allegat testimonium? Luc.1. inquit enim, sicut tradiderũt nobis, qui ab initio ipsi uiderũt, et ministri fuerunt sermonis. Præterea cur inquit Ioãnes in priori epistola sua? quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, Cap.1. & manus nostræ contrectauerunt, de uerbo uitæ & uita manifestata est, & uidimus & testamur. Ac etiam idem, in Euangelio suo, cum dixisset, Verbum caro factum est & Ioan.1. habitauit in nobis, huius rei subijciens testimonium inquit: et uidimus gloriã eius, gloriam quasi unigeniti à patre. Itẽ in eodem Euangelio, hic est ait, discipulus ille, qui testimonium perhibet de his: & scripsit hæc: & scimus, quod Cap.21. uerum est testimonium eius. Si Christus inquam testimoniũ ab hominibus non requirit, cur Ioannes Baptista, cur Apostoli ferunt de illo testimonium? Imo cur ipse mandauit eis, ut ferrent testimonium? Porrò si remittimur in omnibus causis ad scripturas, dicant nobis aduersarij nostri, ex

qua scriptura colligatur, Euangelia Matthei, Marci, Lucæ. Ioannis, & Apostolorum acta, & Pauli epistolas, & reliquas noui testamenti scripturas, eorum esse authorum, quorum creduntur esse? aut authenticas esse? & cum respondere aliud non quiuerint, quam testimonium Ecclesiæ, quæ ab initio ad hæc usque tempora ita credidit, ita docuit, ita firmo semper animo tenuit, fateantur oportuerit eiusdẽ Ecclesiæ authoritatem sic à temporibus Apostolorum iuxta ordinatam seriem continuatæ ad hæc usque tempora successionis, ualidum esse testimoniũ de Christo. Deinde falsum est, Christum habere solum testimonium scripturarũ, habet enim patrem Deum, qui testimoniũ reddit: habet Ioãnem Baptistam: habet opera sua: Denique habet scripturas. Sed remittit ad solas scripturas, non omnes quidem, at solos Iudæos: qui maxime de scripturis gloriabãtur: ut eos proprio illorum gladio iugulet & uincat. Propterea dicit: quia putatis, in ipsis uitã æternam habere. Hæc omnia exactißime recitat Ioannes in Euangelio suo. At dixeris: testimonium saltem hominis reijcit: Ego enim ait, testimonium ab homine non accipio. Respondeo: non simpliciter hominis testimonium reijcit: sed eorum uerborum sensus est: Ego non ab homine, id est à Ioãne Baptista testimonium accipio, aucupandæ falsæ gloriolæ causa: quemadmodum uos ò Iudæi falsò putatis: sed hæc dico, ut salui sitis. Ita quoque intelligenda sunt, de falsa & uana gloria iuxta prauas Iudæorum cogitationes: quas uidebat Christus: ea uerba, gloriam ab hominibus non accipio.

Ioann. 5.

Secundum argumentum. Testimonium Christi adducimus: Paracletus, ait, Spiritus quem pater mittet in nomine

Ioan. 14.

meo: is docebit uos omnia: & suggeret uobis omnia, quæcunque dixi uobis. Solus ergo spiritus diuina docet, & docet omnia: nihil enim excipit Christus: omnia scilicet, quæ de Deo scire hominem conuenit. Deinde suggeret, & in memoriam reuocabit, aut exponet quæcunque dixi uobis, ait Christus. Cum ergo hoc officium sit spiritus, quis tam impudens erit, ut sibi id temere usurpet? Præterea, cum spiritus omnem ueritatem doceat, sequitur omnem humanam doctrinam mendacium esse & uanitatem: cum omnis ueritas sit à spiritu Dei. Item per Hieremiã dominus ita loquitur; Cap. 31.
Dabo legẽ meam in uiscera eorum: & scribam eam in corda ipsorum: & ero eorum Deus: & ipsi erunt mihi populus: nec docebit quisquã proximum suum posthac, ut dicat cognosce dominum, nam cognoscẽt me omnes à minimo ad maximum usque. Hic audimus, Deum legem & uoluntatẽ suam tam clare tamq; certe in corda inscripturum esse, ut hanc ab hominibus discere non sit necesse. Mox Paulus Euã- Gal. 1.
gelium se à nullo homine didicisse testatur: sed per reuelationem Iesu Christi: quemadmodum et cæteri Apostoli, cũ à Christo missi ad prædicandum Euangelium essent, nõ expectabant Conciliorum sententiam, aut approbationem & testimonium Ecclesiæ, sit, nec ne recipiendum Euangelium. Cum essent enim Spiritu sancto in die pentecostes impleti, Petrus post quorundam irrisionem inconsultis cæteris (nã de hoc nihil scribitur) mox incipit Euangelium tam clarè tamq; certè proponere, ut post multa uerba dicat: certo ergo sciat tota domus Israel, quòd dominum & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. An igitur non error & blasphemia est, ut homo mortalis immortalis

Dei mentem & sententiam approbet aut confirmet? Euangelij ergo cognitio, non à sapientia & prudentia hominis, sed ab illustrante & docente Spiritu sancto pendet, quod
1. Ioan. 2. Ioannes his uerbis confirmat: Hæc scripsi uobis de ijs qui uos seducunt: & unctio, quam accepistis ab eo, manet in uobis (per unctionem autem irradiationem diuini spiritus, qua in Christi cognitionem inducit piorum mentes, intelligit) & non necesse habetis ut quisquam uos doceat: Sed sicut ipsa unctio docet uos de omnibus, & uerax est, & non est mendacium, & sicut docuit uos manete in ea. Respondeo: Exerui antea, quomodo Ecclesia conciliarit sanctis scripturis authoritatem: quæ alioqui non haberentur in Canone: tum etiam quale discrimen sit inter Ecclesiam primitiuam, quæ Apostolos compræhendit: & posteriorem, quæ illi succedit ordinata serie patrum. Deinde non uident aduersarij nostri hoc argumento foueri seditiosam Anabaptistarum impietatem: & reddi uanam frustraneamque omnem Euãgelij prædicationem, & omnes Episcopos, & ministros Ecclesiæ, denique totam scripturam sacram aboleri. Quid enim proderit nobis prædicatores & doctores audire? Episcopos & ministros alios habere? Sanctam scripturam legere? Siquidem oporteat nos Euangelio credere solum propter uocem Dei intus loquentis, accipientes uerbum Euangelij sine hominum testimonio: uerum duntaxat ut uerbum Dei, utq; reuelationem Spiritussancti? credentes Euangelio non persuasione ulla humana: sed tantum fide cœlitus infusa, nos profecto, cum uera & indubia fide credimus, id facimus propter uocem Dei intus loquentis, recipientes quidem Euangelia ut uerba Dei mirabili quodam

modo intus docentis & reuelantis. Cæterum plane scire opus est: Deum cum ipsis hominibus loqui multifariam, & uarijs modis retegere ipsis, atque ipsos docere sacrosancta & archana sua mysteria, nunc quidem per prophetas, nunc per Angelos, nunc per Iesum Christum: nunc per Apostolos prædicatores, nunc per scripturas sanctas, nunc alijs modis innumeris: idq; fieri semper, non sine Spiritusancto & peculiari fauore aut auxilio Dei, mouentis pulsantisq; interius animam nostram.

Probatur Ecclesiam errare non posse.

EX his, quæ disseruimus de Ecclesia & Euangelio, sequitur ueluti fieri non potest, ut ullus error quamlibet paruulus contineatur in scriptura sacra, ita Ecclesiam errare non posse. quod uero Ecclesia non queat errare, confirmo quatuor breuißimis argumentis.

Primum argumentum: Columna & firmamentum ueritatis non potest errare: sed Ecclesia, ut Paulus ait, Dei uiui columna est & firmamentum ueritatis: nequaquam igitur potest errare. 1. Tim. 3.

Secundum argumentum: Christus, ut Paulus inquit, exauditus est pro sui reuerentia: orauit autem, ne fides Ecclesiæ unquam deficeret: Exauditus igitur est: non ergo potest deficere ullo tempore fides Ecclesiæ. probatur minor: quia dicit Christus, oraui pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Audiendi uero minime sunt, qui uerba hæc referenda esse ad Ecclesiam inficiantur: quandoquidem, ut Augustinus pulcherrime dixit, quædam dicuntur, quæ si proprie ad Apostolum Petrum uideantur spectare, minime tamē habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Eccle-

Heb. 5. Luc. 22. In expositionem psal.

In quæst. noui & ueteris testa. ſiam: cuius ille in figura perſonam geſsit. Vnde alibi de his quoque uerbis, rogaui pro te Petre, ait, quid ambigitur? nunquid pro Petro rogabat? pro Iacobo, & Ioanne non rogabat? ut de cæteris taceam, manifeſtum eſt omnes in Pe-
Ioan. 17. tro contineri: quia & alio loco apud Ioãnem dicit, ego pro ijs rogo, quos mihi dediſti: & uolo ut ubi ego ſum, & iſti ſint mecum: & ne forte aliquis putaret eã orationem ad patrem Deum fuſam eſſe à Chriſto, nõ pro uniuerſa omnium fidelium Eccleſia, ſed tãtum pro Apoſtolis: ſubiecit, nõ pro eis autem rogo tantũ: ſed & pro ijs qui credituri ſunt per uerbum eorum in me: ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me & ego in te: ut & ipſi in nobis unum ſint: ut credat mũdus, quod tu me miſiſti. Itaque per Petrum ſæpenumero Eccleſiam intelligimus, ac præcipue hoc in loco, rogaui pro te Petre: alioqui non eſſet uera illa ſententia: quippe cum poſtea defecerit, quamuis ad tempus, fides Petri, quando is leuisſimis etiam de cauſis abiurauit Chriſtum. cæterum Eccleſiæ fides, cuius perſonam gerebat Petrus, manſit perpetuo inuiolata.

Tertium argumentum: Semper futurus eſt Chriſtus cũ
Cap. 28. Eccleſia ſua: ergo ipſa errare non poteſt. Antecedens ipſius Chriſti eſt: qui apud Mattheũ inquit, Ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationẽ ſeculi. Quæ uerba Chriſtus non ſolum Apoſtolis, qui futuri haudquaquam erant, in Eccleſia militante uſque ad conſummationem ſeculi, dixit: uerum etiam omnibus ijs, qui erant in ipſum credituri: neque ſolum pollicitus eſt per influxum generalẽ, ſe futurũ eſſe cum pijs hominibus: quemadmodum etiam cum omnibus creaturis, imo & cum ſceleſtisſimis quibuſque

& condemnatis: uerum per specialem & particularem gratiam, qua perpetuo regit Ecclesiam suam, illamq; Deo patri, ac sibi tanquam sponsam dilectissimam perpetuo conseruat: utpote quam in sanguine suo lauit ab omnibus turpitudinibus & peccatis. Ephe.5. Apoc.1.

Quartum argumentum: Ecclesia impeccabilis est: ergo errare non potest. Antecedens confirmatur authoritate ac testimonio Christi. Super hanc petram, ait, ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Matth.16. Vbi iuxta interpretationem Hieronymi per portas inferi, peccata intelliguntur.

Quomodo intelligatur Ecclesiã impeccabilẽ esse.

CVm Ecclesiam dico impeccabilem esse, accipiendum ita est, ut ille articulus fidei, credo sanctam Ecclesiam, atque ut Paulus dicit: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: ut illam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ in uerbo: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed ut esset sancta & immaculata. Ephe.5. Deinde impeccabilem esse Ecclesiam, potest sic intelligi, ut credamus omnes homines, qui sunt membra Ecclesiæ militantis, communi quadam lege peccatis obnoxios aliquando esse, saltem uenialibus. Quis enim potest dicere se prorsus mundum esse coram Deo in corpore mortis huius? Dauid enim inquit, Si iniquitates obseruaueris domine, quis sustinebit? Et rursus, Non intres in iudicium cum seruo tuo domine: quia nullus apud te iustificabitur homo. Et Salomon in prouerbijs dicit. Septies in die cadit iustus, & resurgit. Ioãnes quoque ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos se Cap.24. 1.Ioan.1.

ducimus, & ueritas in nobis non est. Verum peccata uenialia sunt potius neui, quàm turpitudines. Nunc inquam, propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorũ suorum, habet Ecclesia cur dicat quotidie: dimitte nobis debitá nostra. Cum sit igitur in Ecclesia militante impeccabilis nemo, tamen ipsa Ecclesia, quæ est corpus Christi, gratia & auxilio Dei est impeccabilis. Habet sané Ecclesia hoc, ut licet singula ipsius membra peccent aliquando, ut Dauid, Petrus, & alij peccauerunt, ipsum tamen corpus totum peccare minime queat: Alioqui posset fieri, ut Christus aliquando esset caput recisum à corpore suo, quod horrendũ et impium cogitatu est: ac omnino pugnans cũ Euangelio. Itaq; semper aliqui sunt uere iusti & complantati et insiti Christo: in quibus cõseruatur Ecclesia pura & immaculata. quod Paulus docet in epistola ad Romanos, cum introducit oraculum diuinum respondens Heliæ Prophetæ, qui lamentabatur & dolebat, existimans de medio sublatos esse omnes fideles. Reliqui, ait, mihi septem milia uirorum, qui non curuauerunt genua ante Baal: sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt.

Cap. 11.

Quæstio de loco vbi sit Ecclesia catholica.

Verum enimuero cum eorum Ecclesia, qui electi sunt, ueriq; per adoptionem filij Dei sit humanis oculis inuisibilis, quandoquidem non eam uidemus sed credimus: utpote quòd articulus fidei est. cum etiam authoritati Ecclesiæ in qua sunt permixti boni & mali, standum sit: quanquam in ea resident aliquoties ministri mali, & Cathedram tenent Pontifices uitæ non satis inculpatæ: modo per legitimam ordinationem ius & potestatem acceperint mi-

nisterij, & manserint in communione fidelium. Propterea *semper fuit quæstio, ubi sit Ecclesia sancta & catholica, authoritati cuius omnes obedire oporteat.* Et circa huiusmodi *quæstionem ingentes rixæ, ac magni tumultus exitati sæpenumero fuerunt in* Ecclesia. *Nam hæretici, cum semper, & falso quidem putauerint se in fide Christi manere, & doctrinam* Euangelij *traditam per Apostolos habere, & postremò esse in religione christianorum, conati perpetuo sunt defendere ac tueri apud se ueram* Ecclesiam *esse.* Tertulliani *quidem, &* Hirenæi *temporibus, hæretici se dirimentes & separantes à uera* Ecclesia, *tamen apud se ueram* Ecclesiam *esse gloriabantur.* Ita Cyprianus *ait:* Nouatianus *more simiarum, quæ cum homines non sint, homines imitantur, uoluit* Ecclesijs *ueris authoritatem surripere: & cum ipse nequaquam esset in* Ecclesia, *sed magis cum* Ecclesia *è diametro pugnaret, alios pronuntiabat omnes hæreticos: apud se uero tantum esse ueram* Ecclesiam. Sic *etiam* Aug. *contra* Donatistas, *ætate sua narrat eadem contigisse.* Controuersia *inquit: hæc inter nos est, ubi uera sit* Christi Ecclesia: *Vtrū apud uos, an apud nos.* Itaque *dominus* Iesus *præmuniens fidelium animos contra huiusmodi hæreticorum temeritatem, ait: siquis uobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.* Surgent *enim* Pseudochristi & Pseudopropheta: *& dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Ecce *prædixi uobis.* Si *ergo dixerint uobis, ecce in deserto est: nolite exire.* Ecce *in penetralibus: nolite credere.*

In epistola ad Iubaianum.

Matth. 24.

Respondetur ad promotam quæstionem.

EGo ad quæstionem hanc arduam & difficilem paucis respondeo: Quēadmodum paulo ante diximus, nos plane cognoscere quæ sint canonicæ scripturæ per succedentium sibijnuicem Ecclesiarum, & sanctorum patrum testimonia: ita nunc eam esse ueram Ecclesiam dicimus: cuius authoritati habent stare omnes pij et fideles: in qua post Euangelij doctrinam, & scripturas canonicas, & sacramenta, & fidem Christi: legitima etiam ordinatione, non quidem noua, sed promanante ab Apostolis, alij alijs Pontifices, Episcopi, & reliqui ministri succedunt. Atqui membrum Ecclesiæ ueræ is nunquam fuerit, qui nemini succedens, nemine legitima ordinatione ministerium dante, seipsum instituerit Episcopum: & si congreget multitudinem populi, & dicat se obseruare, ac docere quatuor Euāgelia, Prophetarum & Apostolorū scripturas, & fidem, & charitatem cum cæteris Ecclesijs. Sunt hæretici, qui libēter audiunt, Ecclesiam illic esse, ubi est fides, & uerbum Christi. De legitima uero Episcoporum successione et ecclesiastica potestate, quæ à Christo in Apostolos, et ab Apostolis in solos Episcopos, & Sacerdotes, iuxta ordinem legitimæ successionis fluxit, audire nolunt.

Probatur legitimam prælatorum successionem esse qua ostenditur, ubi sit uera Ecclesia.

QVoniam igitur omnium hæreticorum antiquus & familiaris mos est, ut se christianum habere nomen, & scripturas sanctas, & uera sacramenta Iesu Christi glorietur, ac proinde ueram etiam Ecclesiam apud se permanere: age planè ostendamus patrum uetustissimorum testimonijs hæc ipsa nequaquam sufficere, de quibus

hæretici

hæretici gloriantur, nisi accedat illa, de qua diximus, legitima succeßio ministrorum, pastorum aut prælatorum: nec enim talia possunt, aut debent alia uia & ratione probari. Hirenæus aduersus hæreses Valētini, Agnitio uera, inquit est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in uniuerso mundo, & in charactere corporis Christi secundum succeßionē Episcoporum: quibus illi eam, quæ in uno quoque est, Ecclesiam tradiderūt, quæ peruenit ad nos. Tertullianus docens apud quos debeamus quærere ueram Ecclesiam, inquit: Apostoli primo per Iudæam contestata fide in Iesum, & Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti eiusdem fidei doctrinam nationibus promulgarunt: & Ecclesias apud unamquanque ciuitatem condiderunt: a quibus traducem fidei, & suam doctrinam cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt: & quotidie mutuantur: ut Ecclesiæ fiant Et per hoc & ipsæ Apostolicæ deputabantur: ut soboles apostolicarum Ecclesiarum, & omne genus ad originem suam censeatur. Possem innumeras tum priscarum historiarum, tum orthodoxorum & uetustißimorum patrum authoritates in medium proferre: quibus palam facerem, ibi ueram Ecclesiam esse, ubi legitima est ministrorum succesßio. At uolo supersedere in præsentia hoc labore. Et pijs & fidelibus ratio sola debet abunde sufficere: quòd neglecta uera & legitima succeßione ministrorum, nunquam erit finis tumultuum & discordiarum: quandoquidem hæretici obstinato animo contendunt, se habere quatuor Euangelia, sanam Prophetarum & Apostolorum doctrinam, uera sacramenta, fidem Christi, & reliqua omnia, quibus christiani sumus. Itaque ut in scientijs aliter assentimus primis

Lib.4.cap. 43. &.63.

Lib.de præscriptionib. hæreticorū.

principijs, quam conclusionibus: primis enim principijs per se, quoniam probari non queunt, alioqui prima principia non essent: Vnde siquis ea negaret cum eiusmodi non disputaremus: conclusionibus uero assentimus, non per se quidem, sed quatenus deducuntur ex primis principijs: ita credimus primitiuam Ecclesiam ueram sanctam, & catholicam Ecclesiam esse: idq́; habemus adeò ratum & firmum ut primum principium. Vnde illud minime probamus: neq́; aduersus eum disputaremus, qui nobis idipsum inficiaretur. Posteriorem autem Ecclesiam credimus ueram, sanctam, & catholicam Ecclesiam esse, non per se quidem, sed quatenus legitima successione deducitur a primitiua & Apostolorum Ecclesia.

Romanam Ecclesiam esse veram, sanctam & catholicam Ecclesiam.

POstquam, *ut animum meum induco, uiam & rationem aperuimus inueniendæ sanctæ & catholicæ Ecclesiæ: probemus deinceps Romanam Ecclesiam eam esse, quæ legitima ordinatione & successione ministrorum, ac præcipue summi Pontificis, primitiuæ Apostolorum Ecclesiæ succedit: atque propterea Ecclesiam Romanam esse ueram, sanctam, & catholicam Ecclesiam: cui omnes debeamus firmiter & infallibiliter credere atque obedire: quatenus à primitiua Ecclesia deducitur. Ab initio constitutis Diocesibus, cum Petrus iubente Deo suam Cathedram posuisset Romæ, quicũque ubiuis gentium cõstituebãtur Episcopi, tam in Asia quàm in Africa, & in Europa, nonnullis adhuc uiuentibus Apostolis Cathedram ecclesiæ Romanæ peculiari honore prosequabãtur ut primã: ad quam in*

rebus fidei controuersis alijsq; arduis uniuersæ Ecclesiæ negocijs recurrebatur: ad quam & gratis omnibus Episcopis sēper licuit appellare: quod nō difficile est probare. Beatus quidē Anacletus quartus à beato Pe. eccle. Roma. Episcopus et martyr docet in maioribus causis ad sedē Apostolicā prouocādū esse. Quoniā hoc, ait, Apostoli statuerūt iußione saluatoris ut maiores causæ et difficiliores oēs semper ad sedē referātur Aposto. super quā Christus uniuersam cōstruxit Ecclesiā dicēte ipso ad beatū Principem Apostolorum Petrum: tu es Petrus: et super hanc petram ædificabo Ecclesiā meā &c. Sacrosan. igitur Rom. et apostolica Ecclesia, inquit, nō ab Apostolis, sed ab ipso domino saluatore nostro primatum obtingit, sicut beato Petro dixit: tu es Petrus, & super hanc petrā &c. Euaristus Anacleti successor, sub cuius pōtificatu anno secundo moritur Ioānes Euangelista præcepit Episcopis in Aphrica, ut septē apud Episcopum sint Diaconi qui ferè sint oculi Episcopi. Et idem, dilectißimis, ait, fratribus uniuersis Aphricæ regionis Episcopis Euaristus: Cōsulentibus uobis fratres charißimi quid super ijs, quæ in uestris cōtinebantur scriptis uisū nobis esset: uel quid docibilis ratio psuaderet: aut quid à beatis Apostolis nobis traditum, aut custoditū remaneret: optātes, ut retulistis, nostris instrui documētis: si quidem dilectio uestra normā secuta prudentium ad sedem apostolicam redire maluit quasi ad caput, quid deberet de rebus dubijs custodire, potius quam usurpare præsumere. Scribens quoque idem Euaristus in alia epistola tradit authoritate huius sanctæ sedis apostolicæ terminandum esse, si populus aduersus Episcopos ullam habeat querelā. Ale-

In Epistola quam scripsit ad oēs ecclesias.

Matt. 16.

In epistola ad fres vniuersos Aphricę regionis.

Ad fratres Aegypto. In decretali ad orthodoxos patres.

der martyr successor Euaristi planè affirmat, sanctæ Romanæ sedis apicem esse caput, cui summarum causarum dispensationes, & omnium Ecclesiarum negocia ab ipso domino tradita sunt. Beatus Marcellus iam olim ante annos 1300. quartus ante Syluestrum Ecclesiæ Romanæ Pontifex Antiochenis et uniuersis in Dardania cōstitutis inquit.
Matt.16. Beatus Petrus caput est totius Ecclesiæ: cui dominus ait: Tu es Petrus, et super hāc petrā ædificabo &c. Huius sedis primatus apud uos fuit: et postea iubente Deo Romam translata est. Beatus Innocentius ante annos mille & centum ad Augustinum cæterosq; Aphricanos scribēs docuit, iuxta sedis antiquæ regulam toto semper ab orbe seruatā, causam fidei referendam esse ad sedem Petri. In Calcedonensi Concilio declaratur Ecclesiæ Romanæ Pontificē esse refugij petram: ad quam & cæteri Episcopi liberā habēt potestatem appellandi: cui soli ius est discernendi Episcoporū infamiam, iuxta illi à Deo claues datas. In Aphrica Cyprianus & Augustinus residentes, honorauerunt Ecclesiæ Romanæ Pontificem, ut uerè omnibus prælatum, ante mille & ducentos circiter annos. Cyprianus & reliqui Episcopi acta in Synodis referebant ad sedem Apostolicam. Hæretici porrò & schismatici ab Aphricana Ecclesia reiecti, ut narrat Cyprianus, Romam nauigabant Ecclesiæ Romanæ Pontificem legitimum Petri successorem appellaturi. Basilides post crimina sua detestata, & conscientiam, propria etiam confessione nudatam, Romam, inquit Cyprianus, pergens apud Stephanum Romanæ Ecclesiæ Episcopū ambiuit se iniuste reponi in Episcopatū è quo fuerat iuste depositus. Deinde Augustini ætate Cæcilianus Cartha-

ginensis Episcopus reiectus ab hæreticis, causa sua iã agitata, restitutus fuit per Melchiadẽ Romanæ Ecclesiæ Pontificem: cuius rei testimonium extat apud Augustinũ. Mox in Asia, in Aegypto, in Græcia, sub Romano Pontifice Episcopos fuisse compertum habemus ex antiquißimis historijs, & Decretis: ex quibus plane conspicuum est, Antiochenos, Athenienses, Alexandrinos, Cõstantinopolitanos, Dardanios, Corinthios, semper honorasse Episcopum Romanum, ut primum præpositum, & maximum omnium Episcoporum. Flauianus Constantinopolitanus Episcopus prouocauit ad Leonem magnum: per quem & ipse fuit restitutus in sedem suam. Ita quoque Athanasius in sedem suam restituitur in Asia per Ecclesiæ Romanæ Pontificem: quẽ & multis in locis appellat uniuersalis Ecclesiæ Episcopũ: ita enim scribit: Domino sancto & apostolici culminis uenerando Marco sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis, atque uniuersalis Eccle. Papæ, Athan. & uniuersi Aegyptiorum Episcopi. Item Chry. Constantinopo. Episcopus appellauit ad Innoc. Papam: & restitutus est per eundem Eccl. Rom. Episcopum. Quid referam de Hieronymo? de Ambrosio? deq; innumeris alijs, tum doctißimis, tum sanctißimis patribus & Episcopis? qui semper confeßi haud dubie sunt Romanum Episcopum ante latum esse omnibus alijs Episcopis in catholica & uniuersali Ecclesia particulares Ecclesias regentibus, & pascentibus. Ex his perspicuum & exploratum habemus Romanam ecclesiam esse ueram sanctam & catholicam Ecclesiam: ad quam super anxijs & ambiguis in rebus quotiescunq; ratio fidei uentilatur, oporteat confugere.

In epistola ad Gelium & Felicem.

Ad Marcũ Romanæ Ecclesiæ Episcopum.

Primatus Romani Pontificis probatur.

CVm de Romanæ Ecclesiæ primatu, quantũ par erat dixerimus, de primatu Romani Pontificis aliqua etiã breuiter perstringamus. cũ autẽ plurimi de ea re copiose tractauerint, ego perpendã & examinabo locum, qui est apud Ioannem Euangelistã: in quo sine dubio astruitur & confirmatur primatus Petri: et cõsequẽter eorũ omnium, qui legitima serie Petro succedunt. Cum dominus noster Iesus Christus omniũ Episcoporũ & pastorũ Princeps mandasset Petro ter, ut nõ modo oues, sed etiã agnos pasceret: tunc illi nõ simplicẽ prouinciã & modũ pascẽdi iniunxit: nõ illi præscripsit, ut duntaxat oues & agnos ad pascua duceret: sed etiã ut regeret. Legimus enim apud Ioannẽ, cuius Euangeliũ Græce scriptũ est, de pascẽdis agnis dominum præcepisse, & dixisse: βόσκε τὰ ἀρνιά μου: idest pasce agnos meos: quo præcepto Christus uoluit, ut Petrus agnos pasceret: quibus innocentes & paruuli, qui lacte opus habent intelliguntur, præsertim catechumeni, & adhuc in fide nouitij. Deinde subiunxit etiã de regendis & gubernandis ouibus cũ authoritate quadã: ποίμαινε τὰ πρόβατά μου: idest rege, moderare, guberna oues meas. Postremo uero & tertio loco iußit Petro, iã contristato & dolẽti, ut quemadmodũ agnos pasceret, & ad pascua ducẽdos eße mandauerat, ita etiã oues ad pascua duceret: propterea dixit, βόσκε τὰ πρόβατά μου: idest pasce oues meas. Et quẽadmodũ apud Hebræos etiã Reges, quales erãt Dauid, Cyrus, & reliqui principes multi, Pastores dicti sunt, ita & Græci regẽ ut ipsum Agamẽnonẽ uocant ποιμένα λαῶν: idest regẽ populorũ: ποιμαίνειν autẽ idem esse

Ioan. 21.

Cap. 21.

quòd regere etiam aliæ sacræ scripturæ docēt: At qui legimus ex Michea in Euangelio Matthei: & tu Bethleē terra Iuda nequaq̄ minima es in principibus Iuda: ex te.n. exibit ἡγεμόνος ὅστις ποιμαίνει τὸν λαόν μου idest dux qui regat aut gubernaturus sit populum meum. Et Paulus Ephesiis loquēs dixit, Episcopos positos esse ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ: idest ad regendū & gubernandū Ecclesiā Dei. Si totus hic Ioannis locus diligēter cōsideretur, facilè apparebit non sine mysterio, cū loqueretur Christus de agnis, qui solo pabulo indigēt, usum fuisse uerbo pascēdi: cū uero loqueretur de ouibus, quæ nō solū indigent pabulo, uerū etiā regimine, usum fuisse utroq; uerbo, & regendi & pascendi: cū uero peculiariter Petro hæc ipsa dixerit, manifestum est præcipuā regendi & pascēdi authoritatem datam fuiße Petro: ac his omnibus, qui Petro legitime succedunt: quibus duobus uerbis, pascendi & regendi plenaria potestas intelligitur & comprehenditur. Mich. 5. Matth. 2.

Non possum abstinere hoc in loco à recitando Florentini Concilij decreto: Definimus, ait, sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in uniuersum orbem tenere primatum: & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & uerum Christi uicarium, totiusq; Ecclesiæ caput: & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere: & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi uniuersalem Ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam eße: quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorū, & in sacris Canonibus continetur. Hæc Florētinum Concilium.

Quomodo in solo Papa sit plenaria potestas.

ITaque uolo in præsentia pios lectores monere, plenariam potestatem eo duntaxat in Papa esse, qui Petro legitime succedit, quod solus potest sibi casus reseruare quotcunque opus fuerit, atque in casibus certis & definitis omnes alios ministros Ecclesiæ suspendere ab authoritate absoluendi: quod etiam solus potest pœnitentes datis plenarijs indulgentijs, à culpa & à pœna, ut exposuimus in libro de indulgentijs, absoluere: optimo quoque iure dicitur Papam summam & plenariam potestatem habere inter omnes Ecclesiæ ministros: quod solus potest generale Concilium congregare, quodq; supra œcumenicum Concilium solus est: ad illud nimirum & conuocandum, & approbandum, & aliò etiam si quidem oportet transferendum, ut disputabimus cum loquemur de Concilijs: mox etiam quatenus potest reges, & principes omnes christianorum, & populos, & collegia tanquam pater omnium, ubi Ecclesiæ regimen id postulauerit, in ordinem redigere: lites eorum cōponere: separare ab Ecclesia pertinaces, & ex leges: quatenus inquam solus potest corona imperatoria Cæsarem tanquam filium suum ornare, ac ei gladium accingere pro defendenda christiana rep. præterea quòd ipse integrum habet Episcopos, & alios Ecclesiæ proceres, & ministros instituere: institutosque ab officio deponere, aut suspendere ad tempus: atque ita ista de causa, illis beneficia ecclesiastica, quæ in primis pro alendis ministris Ecclesiæ à maioribus nostris delegata fuerunt, pro iure suo distribuere: haud quaquam enim conuenit, ut alius, nimirum Papa, instituat Episcopos & reliquos præpositos & pastores, alij uero,

nēpè Diocesis beneficia distribuāt: dein postea eò Papa summam habet & plenariam potestatem, quod liceat ei manus imponere omnibus initiādis ordinibus ecclesiasticis: quo illi iure ualeant sacramenta pijs & fidelibus hominibus conferre, aut eos reijcere à sacramentis, qui publice se indignos faciunt, uel excommunicando, uel interdicendo, uel suspendendo uel faciendo aliud aliquid tale: amplius quòd illius officium est, ambiguos & obscuros sensus sanctarum scripturarum interpretari, aut curare ut à peritissimis & optimis uiris elucidentur, atque illustrentur, ut reddantur consciētiæ fidelium trāquilliores: Cum ergo aliqua oritur quæstio in Ecclesia, aut circa fidei articulos, aut circa scripturas sanctas, uel sanè quo pacto intelligi debeant, uel sint necne canonicè: tum pertinet ad Papam iudicare, quid sentiendum sit: quomodo intelligi debeat articulus fidei, qui uenit in controuersiam: ut olim de Spiritusancto, an procederet à solo patre quiescens in filio, ut Ecclesia Græca imaginabatur: an à patre filioq; procederet, ut Ecclesia Romana declarauit: tum inquam debet Papa iudicare, an scriptura illa, quæ in dubium cadit, sit canonica, & authentica: debet quoq; illius uerum & genuinum sensum aperire: Quo modo uero Papa in tali ac tanto negocio sit iudex, & quomodo iudicium suum à Concilij generalis iudicio differat, porrò explicabimus. Neque aduersariorum nostrorum illud argumentum, quod fortissimum & quasi rupem quandam inexpugnabilem opinantur esse, ullius momenti est. Augustinus, aiunt, & sancti patres quoties uel pugnant uel docent, ad sacras literas ceu prima principia ueritatis recurrunt: & sua uel obscura, uel infirma, illarum luce ac firmi

tate illustrant & confirment: quo exemplo utique docent uerba diuina esse apertiora, & certiora omnium hominũ uerbis: utpotè quod ipsa non per hominum uerba, sed contra potius hominum uerba per ipsa declarantur, probantur, aperiuntur, & firmantur: nisi enim ea apertiora et certiora ducerent, ridicule sua obscura per obscuriora Dei probare præsumant: cum & Aristoteles, & uniuersas naturæ sensus monstrent, quòd ignota per notiora, & obscura per manifesta demonstrari oporteat. Ad hoc inquam argumẽtum respondeo: Aduersarij nostri uocabula, quæ habẽt signi ficata multo diuersißima, confundunt, perinde ac si essent Synonima. Admittendum sine dubio est, Euangelium, & omnes diuinas scripturas, cum sint à Deo, esse longe certiores, multoq; minus in se dubias, quam doctorum & sanctorum patrum commentarios, glossemata, enarrationes, et scholia: haudquaquam enim fieri potest, ut in eis aliqua falsitas aut aliquis etiam minimus error insit: tamen orthodoxorum patrum commentarij & expositiones, ac ipsius declarationes Ecclesiæ multo sunt, notiores, dilucidiores, clariores, magisq; tum perspicuæ, tum euidentes: propterea cũ à nobis aliquid nostrũ confirmandum est, illud per scripturas diuinas facimus: cum uero scripturarũ obscuritatem ac difficultatem, quæ maxima est, ut innumerabiles propemodum hæretici suis ingenijs confisi turpiter aberrauerint, quod exploratius est. quàm ut probatione indigeat: cum in quã nodos perplexißimos, & ferè inexplicabiles quæstiones pro malignitate impiorum sæpe occurrentes nobis uolemus aperire ac dilucidare, tum ad commentarios ad glossemata, ad scholia, & ad enarrationes orthodoxorum pa-

trũ, atque ad Ecclesiæ Romanæ declarationẽ recurrimus, agnita quidem ingeniorum nostrorum imbecillitate. Tunc uero sanè intelligimus, & quid sibi uelint scripturæ, et quæ habendæ sint pro canonicis, et quid nobis credendum sit, et quid præstandum, & quid cauendum. Denique, ut summatim dicam, plenaria potestas eo in Papa est, quod eius cura & solicitudo longe lateq; porrigitur ad omnes uniuersalis Ecclesiæ populos pascendos, & regendos: ut ab eo tãquam à primo & supremo in Ecclesia pastore, Episcopo, & ministro alij omnes pendeant: quod uehementer pertinet ad Hierarchiam & ordinem Ecclesiæ.

Quibus titulis decoretur Episcopus Romanus.

Romanus igitur Episcopus totius Ecclesiæ caput est: non quòd per illum ita promerentem, gratiam suam Deus in membra Ecclesiæ transfundat: sic.n. solus Christus caput est: uerũ potius, quòd sit ea potestate à Deo sibi commissa, qua ipsius interest uniuersalem Ecclesiam regere ac moderari: est inquam caput, id est Coriphæus & princeps omnium Episcoporum, & ministrorum in sancta, et catholica Ecclesia. Est Romanus Episcopus primus & summus Pontifex, non absolute quidem. Sic.n. solus Christus est primus & summus Pontifex: at solum in ministerio quatenus comparatur cum alijs Episcopis, et Pontificibus: quibus creditæ sunt particulares Ecclesiæ. Est Romanus Episcopus omniũ fidelium Papa; id est sacerdos, aut magis πάππας: atqui πάππας accipitur pro patre siue pro eo qui puerũ alit: Iuuenalis, Timidus prægustet pocula pappas. Et quidem nomen est uenerationis à Syracusis tractum. Est inquam Episcopus Romanus Pappas: hoc est

pater alumnusq; omnium fidelium, & nutritius: non quòd ab eo regeneremur in utero sponsæ Ecclesiæ, aut educemur & nutriamur: sic enim solus Christus est omnium Papas: Sed quia regimur ab eo et pascimur quasi à patre, quasiq; ab alumno & nutritio nostro: utpotè qui uicem gerit ueri patris uerique alumni & nutritij nostri. Est Romanus Episcopus beatißimus & sanctißimus: non quòd ei beatitu-

Cap. 3. Cap. 1. do suprema, & suprema sanctitas à Deo cõmunicetur: sic enim solus Christus, cui datus est Spirituſſanctus, non ad mensuram, & de plenitudine cuius non omnes accepimus, ut Ioannes inquit, est beatißimus & sanctißimus. Verum quia officio suo & munere quo fungitur canonice, illum refert, qui summa sanctitate, summaq; beatitudine fruitur sedens ad dexteram patris Dei: Episcopum Romanum proni adoramus, & pedes eius supplices osculamur: non quod ipse aliquid in se habeat numinis, cui talis cultus & reuerẽtia debeatur: sic enim solus Deus adorandus est: Verũ quia Vicarius Christi est: qui licet uerus homo sit, uerus tamen etiam Deus est. Neque obijciatur nobis, quod Petrus mini-

Act. 10. me tulit, se adorari à Cornelio centurione dicens. Surge, & ego ipse homo sum. Atqui temporibus illis ita faciendum erat: nequando nouis fidelibus undique in religionem christianam confluentibus, aliqui præsertim idiotæ ac simplices in execrandã & abominabilem idololatriam prolaberẽtur: eo quidem tempore nondũ erant nota uniuersis prima Euãgelicæ doctrinæ tyrocinia & rudimẽta, præsertimq; altißimũ & recõditißimũ mysteriũ de obiecto seu termino adorationis. Qua de re nos cumulate differemus libro sequẽti, qui tertius erit de Ecclesia, de cultu nimirũ Dei et Sãctorũ

Est Romana Ecclesia catholica, id est uniuersalis: non quod Romana diocesis longe lateq; diffundatur per totum Christianarum nationum orbem: non enim se porrigit extēditue ultra suos limites: sed uniuersalis eo dicitur, quod in eius Episcopo authoritas summa est, & summa & plenaria potestas, qua regitur uniuersalis Ecclesia. Episcopus Romanus uocatur spōsus Ecclesiæ: nō quod ex mutuis ipsius & Ecclesiæ spiritualibus et mysticis complexibus generētur filij Dei: ita enim solus Christus est sponsus Ecclesiæ: omnes autem quotquot in gratia Dei sunt, ut Ioannes Baptista inquit, amici sunt sponsi: Verum Papa eo uocatur spōsus Ecclesiæ, quod uicariā habeat spōsi authoritatē, et potestatem, pro pascenda et regēda Ecclesia. Episcopus Romanus denique petra et fundamentū est, super quod Christus ædificauit Ecclesiā suā: nō quod tale fundamentū sit, ut eo sublato Ecclesiā ruere oporteat: tale quidē fundamētum solus Christus est, ut Paulus docet: Fundamētum, inquit, aliud nemo potest ponere, præter id quod positū est, quod est Christus Iesus: sed quia regimen et cura gubernādæ uniuersalis Ecclesiæ innititur Pontifici Romano: à cuius nutu pēdent alij omnes Episcopi in suis particularibus Ecclesijs moderandis. Neque uideatur absurda esse cuiquam huiusmodi nomēclatura quod nimirū nuncupemus Romanum Episcopum Ecclesiæ petram et fundamentū in eū sensum quē dixi: quādoquidem Apostoli uocantur sanctæ ciuitatis Hierusalem duodecim fundamēta. In hunc modū Augustinus exposuit uerba illa, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: quemadmodū legit Romana ecclesia in cathedra sancti Petri: cuius uerba in mediū profero. Institutio, inquit, solenni-

Ioan. 3.

1. Cor. 3.

Apoc. 2.

tatis hodiernæ à seniori bus nostris Cathedræ nomen accepit, ideo quod primus Apostolorum Petrus hodie Episcopatus Cathedrã suscepiße referatur: recte igitur Ecclesiæ natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarũ salute suscepit, dicẽte domino, tu es Petrus: et super hanc petrã ædificabo Ecclesiã meã. Petrum itaque Ecclesiæ fundamẽtum nominauit: et ideo digne hoc fundamentum Ecclesia colit, supra quod ecclesiastici ædificij altitudo consurgit: unde conuenientur psalmus, qui lectus est, dicit: Exaltent eum in Ecclesia plebis: & in Cathedra seniorum laudent eum. Bene ergo eum Deus in Ecclesia exaltari præcepit: quia dignum est, ut fundamentum hoc in Ecclesia honoretur, per quod cœlum ascenditur. Hactenus Augustinus. Quo uero magis illustrentur, confirmentur, & stabiliantur, quæ diximus: audiamus æquo animo aduersariorũ nostrorum argumenta: illisque sigillatim respondeamus.

Romanum Episcopum non Petro, sed Paulo succedere: & Petrum fuisse nunquam Romæ.

PRimum argumentum: Certo scripturæ sacræ testimonio probari & conuinci potest, Romanos Episcopos magis esse, quantum ad prouinciam & gentem pertinet, successores Pauli, quam Petri: præsertim in Episcopali sede Romana: Porrò etiam, quod mirabilius uidebitur, per scripturam conuinci & probari non potest Romanos Episcopos beati Petri successores esse propter sedis aut prouinciæ determinationem: Sed propter hanc causam eos potius, qui sederũt aut sedẽt in Episcopali Antiochena sede quam Romanos, beato Petro succedere. Quòd primo loco diximus, eo probatur, quòd quamuis Paulus uniuersaliter

missus fuerit ad omnes gentes & nationes: quemadmodum reliqui omnes Apostoli: in Actis enim ait Christus de Paulo: Vas electionis est iste mihi: ut portet nomen meum coràm gentibus, & regibus, & filijs Israel. tamen particularius fuit Apostolus gentium, ut Petrus etiam particularius fuit Iudæorum Apostolus: tam ex diuina reuelatione, per comunem Apostolorum ordinationem: inquit enim Paulus: cum uidisset Iacobus, Petrus, & Ioannes, quod creditũ est mihi Euãgeliũ præputij: sicut Petro circuncisionis &c. Item Paulo in stupore mentis eius dictum est: Vade quoniã in nationes longe mittam te. Rursus in eodem libro Lucas ait: Et sic uenimus Romam. Vbi etiam loquens Paulus cũ Iudæis, qui erant Romæ. Notum, ait, ergo sit uobis quoniã gentibus missum est hoc salutare Dei: & ipsi audient. Mãsit autem Paulus biennio toto in suo conductu: & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum prædicans regnum Dei. Paulus quoque idem testatur in epistola ad Romanos: Vobis, ait, dico gentibus, quandiu quidem ego sum Apostolus gentium, ministerium meum honorificabo: Si quo modo ad æmulationem prouocem carnem meam: Et in epistola ad Galatas ait: Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui uidebantur columnæ esse, dextras mihi dederunt, & Barnabæ, societatis: Vt uos in gentes, ipsi autem in circuncisionẽ &c. Postremo idem legitur in utraque ad Timotheum epistola. Cum igitur per scripturam sacram euidenter constet, Paulum fuisse Romæ biennio: & ibidem suscepisse omnes gentiles, qui conuertebantur: constat ipsum eo particulariter fuisse Romanum Episcopum, quod ibidem pastoris officium exercuit: authoritatem quidem huius faciẽ-

Act.9. Gal.2. Act.22. Cap.28. Cap.11. Cap.2. Tim.2. Tim.1.

3

di habens, à Christo, tum ex diuina reuelatione, tum ex consensu & electione aliorum Apostolorum. Praeterea de beato Petro, in quo alterum huius argumenti propositum facile apparebit, non potest ullo modo probari & conuinci per scripturã sacrã, illum fuisse Romanum Episcopum: Imo, quod mirabilius est, illum Romae aliquando fuisse probari nõ potest: magna profecto admiratione dignum est: si, quẽadmodum narrat uulgata quaedam Ecclesiastica legẽda sanctorum, beatus Petrus adierit Romam, priusquam Paulus eò proficisceretur & ibidem uerbum Dei praedicaret: et captus in uinculis detineretur: ac deinde Paulus in aduẽtu suo Romam unà cum Petro tantum pugnauerit, totq; habuerit conflictus aduersus Simonem magum, & contra Imperatores, & eorum ministros: ac postremo iuxta illam eandẽ historiam decapitati ambo propter confeßionem christi dormierint in domino: atque ita Christo Romanam Ecclesiam consecrauerint: magna inquam admiratione dignũ est: Lucam, qui Apostolorum acta diligenter scripsit, qui & unà cum Paulo erat, cum adijt Romam, nullam de Petro mẽtionem fecisse: & ne unum quidem uerbum scripsisse de rebus tanti momenti: Quod autem Petrus illos minime praeiuerit Romam, eo probabile admodũ est: Quod scribitur in Apostolicis actis: Paulum, dum in aduentu suo primum alloqueretur Iudaeos, inter caetera cum uellet aduentus sui ad urbẽ causam reddere, sic dixisse: contradicentibus autem Iudaeis coactus sum appellare Caesarem At illi dixerunt ad eum, nos neque literas accepimus de te a Iudaea: neque ueniens aliquis fratrum nunciauit, aut locutus est de te quid malũ: Rogamus autem a te audire, quae sentis: nã de secta hac notum

Cap. 28.

est

est nobis, quod ubique ei contradicitur. Dicat ergo *ueritatis inquisitor non quærens contendere, si probabile sit alicui, Petrum ad Vrbem profectum esse ante Paulum, & nihil de fide Christi in urbe omnium regina & domina concionatum fuisse: quam fidem, Iudæi loquentes cum Paulo uocabant sectam. Deinde Paulus repræhendendo ipsos incredulitatis, si Petrum cognouisset Romæ aut fuisse aut prædicasse, quomodo non adduxisset eum tanti negotij testem? Qui optimus testis erat resurrectionis Christi, ut dicitur in actis Apostolorum. Præterea cui potest cadere in mentē, quod cum Paulus biennio fuerit Romæ, conuersatione, collatione, contubernio usum cum Petro nūquam esse, et si usus sit, quid est in causa cur diligeetißimus Actorum Apostolicorum scriptor Lucas huius rei nō meminerit? in alijs enim locis minus famigeratis, siquando Paulus inuenit Petrum, nequaquam prætermittit illud recensere: & Romæ inuentum, quæ omnium erat urbium celeberrima, & in qua Petrus Episcopus erat iuxta prædictam historiam ne nominauit quidem? sunt incredibilia hæc. Vnde historia illa siue legenda sanctorum inter apocrypha est reijcienda. Itaque per scripturam sacram indubie credendum est, Paulum fuisse Romanū Episcopum: Quòd si forte quispiam alius unà cum eo fuit Romæ, Paulum tamen ob causas prædictas Romanum & primum in Ecclesia Romana Episcopum fuisse dubitandum est nemini: Petrum uerò in Antiochena ut facile est uidere in epistola ad Galatas.* Cap. 2.

(Marginal note beside "Qui optimus testis…": Cap. 3.)

Romanum Episcopum non Paulo sed Petro succedere: & Petrum fuisse Romæ ac soluitur aduersariorum nostrorum argumentum.

RESpondeo: Episcopi Romani succedunt Petro non Paulo: quemadmodum antea disseruimus. neque per scripturam sacram potest ulla ratione conuinci, seu probari oppositum. ac beatus Petrus fuit Romæ: et fuit Romanus Episcopus: etiam priusquam Paulus Romam proficisceretur: aut eodem sanè tempore: & exercuit potestatē à Christo ei singulariter datam. Quod allatis in medium historijs patet uetustissimorum, qui fuerunt coætanei seu contemporales Apostolis, antea patefecimus: quod & faciemus, cum respondebimus ad quartum aduersariorum nostrorum argumentum. Nec enim potest hoc ipsum alia uia ostendi quàm per historias. Nunc addo etiam conspicuum testimonium Hirenæi, qui Polycarpum discipulum Ioannis Euangelistæ uidit. Is, inquit, Mattheus Hæbræis ipsorum lingua scripturam edidit, cū Petrus & Paulus Romæ euāgelizarent, & fundarent Ecclesiam. Imo & Clemens Petri discipulus recitat, se collocatum in sede Petri fuisse à Petro ipso: cuius uerba in hunc modum recenset: Clementem hunc, Episcopum uobis ordino: cui soli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram trado: propter quod ipsi trado à domino mihi traditam potestatem ligandi & soluendi ut de omnibus quibuscunque decreuerit in terris, hoc decretum sit & in cœlis. Linus autem & Cletus non fuerunt successores Petri: sed tantum adiutores. Quippe cum Ioannes tertius dicat in suo Decreto: Petrus adiutores sibi asciuit Linum & Cletum: non tamen potestatem pontificiam, aut ligandi, aut soluendi, eis normam tradidit: sed successori suo Clementi: qui sedem Apostolicam post eum tenuit, & potestatem pontificalem. Linus enim & Cletus mi

In Epistola ad Iacobum fratrem domini.

niſtrabant exteriora, Petrus aũt uerbo et orationi inſtabat: Quẽadmodũ dixerãt Apoſtoli: nõ eſt æquũ nos miniſtrare menſis, et relinquere uerbũ Dei. Linum aũt & Cletum ex pontificali miniſterio egiſſe aliquid poteſtatiue, nuſquam legitur: ſed quantum præcipiebatur eis à beato Petro. Quòd ſi poſtea ceſſerit & ſucceſſerit eis Clemens: aut quare id fecerit nõ eſt præſentis negocij diſputare: ſatis enim ſuperq; nobis eſt intelligere, beatũ Petrũ & Romæ fuiſſe, & Romanum Epiſcopum. Cæterum nullius momenti ſunt, quæ afferuntur in medium ab aduerſarijs noſtris: Quare ad illa omnia ſigillatim reſpõdeamus. Principio nemini dubiũ eſt, Paulum à Chriſto miſſum eſſe, & reliqui etiã Apoſtoli fuerunt misſi ad prædicandum Euangelium: et ad fundandas Eccleſias per totum terrarum orbem. Itẽ peculiariter misſi fuerunt Paulus ad gentes, et Petrus ad Iudæos, et quilibet Apoſtolus ad certa loca: ne qua oriretur confuſio in Euãgelij prædicatione: inque fundãdis Ecclesijs. Vnde Paulus ad Romanos inquit: ſic autem prædicaui Euangelium hoc, nõ ubi nominatus eſt Chriſtus: ne ſuper alienum fundamentũ ædificarem. Deinde prædicauit Romæ biennio Paulus: & Romæ ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de domino Ieſu Chriſto cum omni fiducia ſine prohibitione. Mox Paulus æqualis fuit Petro, quantum ad miniſterium pertinet, & ad Apoſtolatum, & ad ſacerdotium, aut maior etiam ſolicitudine ac meritis: quandoquidem ipſe ait: laboraui abundantius illis omnibus. Libenter inquam dono hæc omnia. Quid tum? num ſequi oportet, ergo Paulus fuit maior Petro, aut æqualis ptãte iuriſdictionis? ergo Paulo ſuccedunt

Act. 6.

Cap. 15.

Act. 28.

1. Cor. 15.

Episcopi Romani? ergo Petrus nō fuit Romæ? hmōi consequentiæ admodū pueriles, uanæ, & friuolæ sunt. De prima dicam suo loco: ad secundam, cur eadem ratione Corinthij, Ephesii, Galatæ, Philippenses, & alij tales Episcopi non dicuntur particulariter succedere Paulo? Ad tertiā, hoc opus, hic labor est. Primum nulla est dignum admiratione, quod beatus Lucas tot relatu pulcherrima, quæ in ea uulgata sanctorum legenda, & in alijs quoque celeberrimis historijs habentur, omiserit: non enim dedita opera id fecisse putandus est: uerum necessitate aliqua potius: qui enim diligentissime Apostolorum acta; etiam minima quæque scripsit, illa quoq; sine dubio scripsisset exactissime, quæ contigerunt, postquam Paulus aduenit Romam: sed forte fortuna cū ad illa peruenit, quæ recensentur capite ultimo, uel morte, uel infirmitate, uel casu alio impeditus absoluit librum cōstringens acta duorum annorum in hæc paucula uerba: Mansit autem biennio toto in suo conductu: & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de domino Iesu Christo, cum omni fiducia sine prohibitione. Aut si casus nullus attulit impedimentum, ego similiter dixero: magna esse admiratione dignū, quod Lucas, qui tanto labore tantaq; diligentia utilitati publicæ studebat, nullas Pauli conciones de regno Dei, & de domino Iesu Christo exarauerit: quemadmodum fecerat habita occasione in superioribus capitibus. Credendum est enim relatu dignissima & multo præstantissima concionatum esse Paulum in urbe omnium prima: & eo magis, quod Epistolam omnium doctissimam ad Romanos iam antea dederat. Quod uero Paulus cum Iudæis loquens, & sui aduentus

causam reddens inquit, contradicẽtibus Iudæis coactus sum appellare Cæsarem: Quodue dicunt Iudæi, nos neque literas accepimus de te à Iudæa: neque ueniens aliquis fratrum nunciauit, aut loquutus est de te quid malum: rogamus autẽ à te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis, quòd ubique ei contradicitur. Quòd inquam Paulus in hunc modum loquitur: Quodq; ita Iudæi respondent: id absentiã Petri minime arguit. sed aiunt aduersarij nostri: Cur Petrus non allegabatur testis à Paulo? Mox quare, si Petrus in ipsa Vrbe præfuerat, non prædicauit? Si autem prædicauit, quid est in causa cur Iudæi rogabant audire à Paulo, quid sentiret de religione christiana, quasi nihil audissent unquam? postremo cur eam uocabant sectam? respondeo: Iudæos, quibus cum loquebatur Paulus, rem Christianã ignorasse, non conuincit Petrum in Vrbe ante Pauli aduentum nunquam fuisse. At fuit ne Petrus in silentio perpetuo? obmutuit ne quantisper fuit Romæ? minime inquam gẽtium. Imo prædicauit Euangelium strenuißime. Quare igitur Iudæi Christianam religionem appellantes sectam de illa Paulum ita percunctantur, quasi nihil antea prorsus audiuissent? Ego quoque ab aduersarijs peto, cur nesciebant ij Iudæi mysteria fidei, cum prius ea tam copiose, tam diserte, denique tam clare illis Paulus exeruisset, priusquam Romam proficisceretur, per Epistolam ad Romanos? nondum Cap. 5. enim Romæ fuerat, cum illam scripsit epistolam: in ea quidem ait: desidero uidere uos: ut aliquod impartiar uobis donum spirituale ad confirmandos uos: idest ut simul capiam consolationem in uobis per eam quæ inuicem est fidem uestram atque meam. nolo autem uos ignorare fratres, quòd

ſæpe propoſui uenire ad uos, & prohibitus ſum uſque adhuc, ut aliquem fructum habeam, ſicut & in cæteris gentibus. Cum deſiderat aliquod ſpirituale donum Romanis impartire, atque habere aliquem fructum in Romanis. Sicut & in cæteris gentibus, quibus prædicauerat: ſine dubio innuit, ſe nondum annunciaſſe Romanis Euangelium. porrò
Cap.15. in eadem etiam epiſtola inquit: ita ut ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti: ſi uſque ad Illyricum, ergo Romam nondum uenerat: quæ citra Illyricum eſt longo maris terrarumq; ſpatio. Quid ergo dicendum? Quod inquam Iudæi, quibus cum ea uerba fecit Paulus, haudquaquam erant fideles, non ex eorum numero qui crediderant in Chriſtum: Qui à Paulo receperant epiſtolam, qui & audierant Petrum docentem ſecreto: nec enim Romæ adhuc prædicabatur omnibus indiſcriminatim & in propatulo Euangelium: minime igitur mirum cuiquam debet uideri, ſi tales Iudæi planè ignorabant myſteria fidei, ſi & Petrum audierant nunquam. Sed quare Paulus accerſiuit hos Iudæos? Quomodo & illi uocati ad eum acceſſerunt, cum & ipſe cathena circundaretur & illi non eſſent fideles, at potius fideles odio haberent, & execrarentur? Reſpondeo: cum quis accuſatus minori magiſtratui non poteſt ob inimicorum ſuorum uiolentiam ſe iuxta leges defendere, poteſt ad ſublimiorem magiſtratum prouocare: ad quem ubi ſe obtulerit, debent etiam ipſius aduerſarij præſtò eſſe: ut cauſam exponant: qua cognita per iudices reus aut damnetur: aut iuſtificetur, ac dimittatur liber. Itaque Paulus coràm Feſto propter uim
Act.25. Iudæorum coactus eſt Cæſarem appellare. Vnde, cum Ro-

mam uenisset, nullique apparerent accusatores ex Iudæa, qui Cæsari exponerent causam: qua cognita ipse aut damnaretur: aut iustificaretur, & dimitteretur liber. Hac de causa Paulus accersiuit Iudæos, qui erant in Vrbe, non christianos, quorum plurimi commorabantur Romæ, artifices, mercatores, & quouis alio modo negociatores: sed Iudæos primates, ac fortè illos etiam, qui nuncij apud Cæsarem pro Iudæa erant: idq; non in eum finem ut illis Euangelium prædicaret: sed ut ab eis intelligeret num ex Iudæa recepissent literas à principibus sacerdotum & senioribus Iudæorum: Num inquam aliquod haberent mandatum de causa sua Cæsari exponenda: propterea illi dixerunt, se nihil à Iudæa literarum super causam Pauli accepisse: imo de Paulo nihil mali audisse à fratribus, id est à christianis: quos uocant fratres, non quòd eos pro fratribus suis haberent, sed quòd uulgo dicebantur omnes fratres quotquot erant initiati Christo: ut nunc ij soli nominantur fratres, qui degunt in monasterijs. Cum ergo tales Iudæi non essent Christo initiati, neque ullum cum Christianis haberent commercium, quid mirum? si dixerũt, rogamus à te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis, quod ubique ei contradicitur. Eos uero Paulus uocat fratres, cum ait: ego uiri fratres &c. Non quòd essent christiani; sed quoniam erant Iudæi: quos etiam in epistola ad Romanos appellat carnem suam. Si quomodo, inquit, ad æmulationem prouocem carnem meam: & saluos faciam ex illis &c. At si Petrus communi omnium Apostolorum consensu et diuina reuelatione, debuit Iudæis prædicare, ut Paulus debuit prædicare gentibus, quõ potuit fieri ut esset Romæ? Respondeo:

Cap. 2. Gal. 2.

facta est illa ordinatio, non ut perpetue duraret: sed duntaxat ad tempus. alioqui Petrus nõ fuisset in Antiochena ciuitate Episcopus. At si fuit Episcopus Antiochenus, ergo nõ fuit romanus episcopus. respondeo: Petrus fuit uniuersalis ecclesiæ episcopus, ut probabo infra. Sed Antiochiæ fuit electus particularis episcopus ad tempus Deo ita uolente ob urgentem necessitatem. Porrò uenit romam ubi fundauit ecclesiam unà cum Paulo: ut Hirenæus testatur, ac multi

24.q.1.cap. rogamus. *ti alij antiquissimi authores. Vnde plane inquit Marcellus papa: licet prima sedes petri fuerit apud Antiochiam, postea iubente domino Romam translata est. Si autem Paulus eos recipiebat, qui conuertebantur ad Christum: non sequi necessarium est, Paulum fuisse primum episcopum in Vrbe aut Petro æqualem potestate iurisdictionis: quanquam fuit ei par sacerdotio & Apostolatu.*

Non debere pastores ecclesiæ præferre seipsos alijs christianis hominibus.

Philipp.2. Rom.12. *SEcundum argumentum: Paulus docet, ut per humanitatem enim, siue per humilitatem, alium quisque se prestantiorem existimet. rursus, honore, ait, inuicem prœuenientes. ergo contrarij sunt paulinæ doctrinæ quicunque alijs præferri uolunt. Imo etiam Christo dicenti, qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur.*

Luc.14.

Pastores ecclesiæ optimo iure esse, & denominari prælatos, ac soluitur aduersariorum nostrorum argumentum.

1.Cor.4. 1.Cor.5. *REspondeo: Paulus hauddubie se agnoscit prælatum esse: cum ait: tanquam non uenturus sim ad uos, inflati sunt quidam &c. Et cum iubet fornicarium excõmu-*

nicari, & omnes publicos peccatores. Imo in tota priori epistola ad corinthios: cum ritus instituit ab omnibus in ecclesia corinthiaca obseruandos. & cum inquit? tertia hac uice uenio &c. Et cum ad Titum ait: huius rei gratia reliqui te in creta, ut ea quæ desunt corrigas: & constituas per ciuitates presbyteros: sicut & ego disposui tibi. Sed quid oportet diutius laborare, in colligendis certis locis ex paulo? cum nullis fere in epistolis non agnoscat, & dicat se prælatum esse illorum, ad quos scribit? itaque potest bifariam considerari Episcopus: primo quatenus persona quædam est particularis: atque isto modo frater omnium fidelium est: æqualis omnibus. Ita Paulus Timotheum uocat fratrem suum, & alios. Deinde quatenus minister Ecclesiæ est: hoc uero modo est omnium pater, omnibus antelatus, & præpositus. Ita Paulus uocat se corinthiorum patrem, & aliorum. Ita inquit, obedite præpositis uestris. Papa igitur, ut Paulus, ut Clemens, ut Adrianus, ut alius quilibet, non præfert se alijs fidelibus: uerùm potius iuxta doctrinam Apostolorum ingenue fatetur et credit quampluri mos in Ecclesia Dei esse, qui se multo præstãtiores haud dubie sint. quantum uero ad ministerium attinet, certo sit ac indubie se primum & maximum omnium christianorum hominum esse, & qui aliter sentit, aut docet. optimum Christianæ rei publicæ statum perturbat, ac è diametro pugnat cum Apostolorum doctrina. Imo, si aduersariorum nostrorum argumentum esset alicuius momenti, non solum demoliretur summi Pontificis & pastorum aliorum prælationem, sed omnium etiam Episcoporum: Imo & omnium principum, & magistratuum præfecturam & dignitatem

2. Cor. 13. Cap. 1.

Heb. 13.

obscuraret & aboleret: quod uehementer perniciosum & periculosum est.

Ab Ecclesia Romana siue a Romano Pontifice non pendere totam Ecclesiam.

Tertium argumentum: potest Romanus *populus cum tota sua dioecesi aboleri, ut omninò efficiatur inhabitabilis ea tota regio:* Ecclesia *uero catholica minime potest deficere.* Romana *igitur* Ecclesia, & Romanus *Episcopus non est, unde tota* Ecclesia *pendet.*

Ab Ecclesia Romana siue a Romano Pontifice totam Ecclesiam pendere, ac soluitur aduersariorum nostrorum argumentum.

Luc. 22. *Respondeo: Christus rogauit pro* Petro, *ut ipsius fides nunquam deficiat. quod tribus modis potest intelligi:* Primo, *Quod ita rogauerit, ut fides nunquam defutura sit ab* Ecclesiæ *uniuersalis* Episcopo: *nec à persona* Petri: *nec à persona cuiusuis alterius* Pontificis: *qui* Petro *legitima ordinatione succedat.* Secundo, *Quod fides à propria sede aut dioecesi nunquam deficiat, quam* Petrus *gubernandam et pascendā peculiariter suscepit.* Tertio, *Quod fides nunquā deficiat à generali cathedra, à sede, ab uniuersali* Ecclesia, *& à cunctis ouibus commissis* Petro *usque ad nouissimum diem.* Primo *noluit dominus polliceri sic donū perseuerantiæ, aut* Petro, *aut cuiuis alteri, ut a fide nunquā laberetur in incrudelitatem: alioqui omnes, qui* Petro *legitime succedunt proculdubio essent electi & prædestinati: ac eorum nemo damnaretur.* Deinde Petrus *etiam post orationem illam* Christi, *ad tempus fuit incredulus: quemadmodum & reliqui* Apostoli: Marcus *enim* Euangelista *inquit*

Cap. 16.

recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum: & duritiam cordis: quia ijs, qui uiderant eum resurexisse, non crediderunt. Illi enim Angelorũ sanctarumq; mulierum testimonia de resurrectione Christi reputauerunt somnia esse ac deliramenta. Non negauerim tamen Petrum (quanquam in eo adhuc residebãt aliquæ imperfectiones, ut uidere est in epistola ad Galatas, et in actis Apostolorum post acceptum Spiritumsanctũ in igneis linguis) non defecisse a fide: Verum enimuero eximium istud rarumq; priuilegium comune habuit cũ reliquis Apostolis: imo cũ omnibus, qui proculdubio in finẽ credituri erant in Christum: pro quibus omnibus orauit Christus apud Ioannem. Præterea quamuis propter excellentes promißiones Christi haud dubie credam, Petrum non defecisse tandẽ a fide: tamen hoc ipsum de omnibus Petri successoribus non crediderim. Deinde concedo Romanam urbem, cum uniuersa illa regione posse uastari, & prorsus deleri, aut pios et fideles quosque inde profligari una cum Papa uel ab infidelibus, uel ab hæreticis, uel ab alijs, ut sunt pro beneplacito uoluntatis diuinæ rerum uicißitudines. Quid uero futurum sit, nouit Deus qui solus rerum omnium futurarum est præscius. Itaque tertio sensui tanquam infallibili, quem aperuimus, debent quicunque uolunt esse christiani, proculdubio et firmiter assentire: quandoquidem ait Christus: uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Et rursus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: et portæ inferi nõ præualebunt aduersus eam. Vnde sequi necessarium est, Christum permansurum cum Episcopatu, & Ecclesia, & sede, & cathedra Petri, quocunque in loco

Cap.2.
Cap.10.
Cap.17.
Math. 28.
Math.16.

eam esse contigerit usque ad consummationem seculi: quod tamen sequi non oportet de Episcopatibus, Ecclesijs, sedibus, & cathedris aliorum Apostolorum, utpotè quæ iam defecerunt multos ab hinc annos à fide. Quemadmodum ergo sedes Romani Imperatoris aliò translata est: nec tamen propterea desinit Romanum Imperium esse: ita quoque si transferatur alium in locum Petri & successorum eius cathedra, non tamen futura sine primatu est unquam ante consummationem seculi.

Non fuisse in primitiua Ecclesia nisi duos ordines, quippe sacerdotium & diaconatum.

QVartum argumentum: Pauli tempore sufficiebant Ecclesiæ duo clericorum ordines: nempè sacerdotum & diaconorum. Nec tempore Apostolorum fuit ulla distinctio, Patriarcharum, Episcoporum, sed abunde sufficiebant scripturarum sacrarum testimonio presbyteri & diaconi. postea uero Cæsarea superbia inuenit alios gradus.

De ordinibus Ecclesiasticis, qui fuerunt in primitiua Ecclesia. Et soluitur aduersariorum nostrorum argumentum.

REspondeo: quod in hoc argumento dicitur, fuit articulus Ioannis Viglephi iam olim explosus & condemnatus ab orthodoxis patribus in Concilio Constantiensi: idq; optimo iure: nam decretum Apostolorum in Canone ita legimus. Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aleæ aut ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus autem, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur. Ex his uerbis facilè

Dis.35.cap. Episcopus & di vi. de hone.cle.c. erapula. &

patefcit, fuiſſe à temporibus Apoſtolorum in Eccleſia uarios ordines. Deinde Hieronymus teſtatur, Paulum miſiſſe epiſtolam ad Colloſſenſes per Tychicum diaconum, & Oneſimum accolitum, & epiſtolam etiam ad Theſſalonicenſes priorem ait per Tychicum diaconum, & Oneſimũ accolitum miſſam eſſe. præterea Dionyſius Areopagita meminit, de ſcriptoribus, de oſtiarijs, de lectoribus, deq́; alijs clericis: nam inquit, miniſtrorum officio ſanctarum ſcripturarum lectio ſuo ordine recitatur. Et paucis interiectis, ſubiungit: porrò miniſtrorum alij quidem pro clauſis templi foribus aſtant: alij proprij aliquid muneris agunt. Quod uero aliqui negant, hunc fuiſſe illum Dionyſium quẽ Paulus domino Ieſu lucratus eſt, nihil moror: id ſatis fuerit in præſenti loco ſcire, hunc Dionyſium uetuſtiſſimum in Eccleſia eſſe. Deinde Clemens Papa, qui ſine dubio ætate Apoſtolorum fuit, imo poſt cuius martyrium aliquod ſuperuixerunt Apoſtoli, quemadmodum in Canone habemus, audire, inquit, Epiſcopum attentius oportet: ab Epiſcopo accipere doctrinam fidei: monimenta autem uitæ à preſbyteris inquirere: à diaconis uero ordinem diſciplinæ Eccleſiaſticæ. In decreto etiam eiuſdem Clementis, quem Romanum pontificem ordinauit Petrus, manifeſte habetur: ipſum feciſſe ordinationes duas per menſem Decembrem: preſbyteros decem: diaconos duos: Epiſcopos per diuerſa loca quindecim. Linus uero Clementem præceſſit in adminiſtratione pontificatus Romani, quod ex cronicis perſpicuum eſt, quãuis Clemens à Petro ipſo ut diximus ordinatus fuerit pontifex Romanus. Quare autem Linus præceſſerit Clementem ordinatum à Petro alio in loco dicendum eſt: in decreto

c. clerici in prologo ſuper Epiſtolam ad Colloin. 1. ad Te. epiſtolas, et in prologo ſuper epiſtolã ad Teſſ. de Eccleſiaſtica hier. Cap. 3.

Diſ. 25. cap. audire.

Ioannes Bachonus in 4. Sent. libr. q. 10. prologi Artic. 3.

inquam Lini *habetur, ipsum fecisse ordinationes duas, in quibus ordinauit* Episcopos *quindecim: presbyteros decem & octo.* Anacletus *etiam, qui successit* Clementi, *fuit* Romanus Pontifex, *dum adhuc nonnulli* Apostoli *uiuerent: in cuius decreto est: quod fecit presbyteros quinque, diaconos tres,* Episcopos *sex.* Item Euaristus Anacleti *successor fuit* Romanus Pontifex, *dum esset adhuc superstes* Ioannes Euangelista: *in cuius decreto extat: quod fecit presbyteros, atque diaconos undecim:* Episcopos *quinque.* Ex his *ergo conspicuum est, iam inde à temporibus* Apostolorum Episcopos *differre à sacerdotibus aut presbyteris. Amplius in* Canone ait idem Clemens Petri & Pauli *discipulus: in illis ciuitatibus, in quibus apud ethnicos primi* Flamines, *atque primi legis doctores erant,* Episcopos, *primates, uel* Patriarchas, *beatus* Petrus *iussit poni: in illis autem, in quibus dudum apud prædictos ethnicos erant eorum Archiflamines, quos tamen minores tenebant quam memoratos primates,* Archiepiscopos *institui præcepit: in reliquis uero singulis ciuitatibus singulos & non plures* Episcopos *constitui præcepit: qui ipsorum uocabulo tantum partirentur, & subdit: quoniam nec inter* Apostolos *par fuit institutio, sed unus præfuit omnibus. Si ergo tales institutiones fuerunt iussu* Petri, *quomodo* Cæsarea *superbia inuenit hos gradus? his omnibus præcipuis authoribus consentit* Ignatius *martyr* Ioannis Apostoli *discipulus, qui quidem minores ordines unà cum maioribus, qui sunt hodie in* Ecclesia, *omnes ferme ad unum recenset nominatim. Saluto, inquit, sanctum presbyterum uestrum, saluto sanctos diaconos, saluto subdiaconos,* Lectores, Cãtores, Ostiarios, Laborãtes, *exor*

Dist. 80. ca. In illis ciuitatibus.

In Epist. ex Philip. ad Antiochen.

cistas, atque confessores, saluto custodes sanctarum portarum: Diaconissas quæ sunt in Christo, saluto susceptrices Christi uirgines, quas ego nutriui in domino Iesu, saluto pudicissimas uirgines· saluto plebem domini à minimo usque ad maximum., & omnes sorores meas in domino. Postremò uetustißima illa Cõcilia, quæ totus christianus orbis magno consensu recepit, uarios ordines & gradus non solum maiores, uerum etiam minores semper fuiße in Ecclesia probant: ut Laudicense Calcedonense quartum, Tholetanum primũ, Tholetanum quartum, Bracharense primum. Quod si forte aliqui abusus irrepserunt, neminem sanæ mentis credo esse, qui laudet abusus: ac non potius desideret per sapientes & prudentes pastores Ecclesiæ restitui aliquando ad primæuum statum Ecclesiam. Ego uero hic nolim defendere abusus: aut eos corrigere: sed uelim ab aduersariorum calumnijs, gradus, ordines, & ministeria Ecclesiæ uendicare. Age uero aliqua etiam de Cardinalibus breuiter dicamus.

De Cardinalibus.

QVando fieri non potest, ut unus & solus Papa uniuersis Ecclesiæ obeundis negocijs ad plenum sufficiat, optimo iure additi fuerunt ei Cardinales in auxilium tanquam Senatores Ecclesiæ: qui nunquam recedentes à summi Pont. latere, nisi aliò necessitate aliqua uocentur, semper illi, quod ad Ecclesiæ regimen pertinet, sanis consilijs opitulentur. Cardinales autem fuerunt instituti à Christo: non tamen sub tali nomine ut Cardinales dicerentur. In primitiua enim Ecclesia presbyteri Ecclesiæ Romanæ uocabantur.

Statum Cardinalium esse duplicem.

STatus autem Cardinalium duplex est: unus quidem primæuus, cuius titulum & principalem dignitatem in collegatis Ecclesijs Romanæ curiæ obtinent: uel sunt curati, ut uocant, parochialium Ecclesiarum eiusdem curiæ. Iuxta hunc primum statum nominantur Cardinales, idest principales & primarij: quod nomen peculiariter eis minime conueniebat: quoniam erant quāplurimæ Ecclesiæ, quæ talibus gaudebant priuilegijs, ut antistites suos appellarent Cardinales: ut Rauennatum Ecclesia, & aliæ. Officium in hoc statu primum erat, pœnitentes audire illosq́; absoluere, & Euangelium docere, & baptizare, & sacramenta omnia fidelibus communicare. Deinde status alter, de quo proprie loquimur Cardinaliū, quāuis institutus fuerit a Christo, ut mox dicemus, tamē cœpit uenerabilior esse magnoq́; in honore haberi eò tempore, quo magnus Constantinus Imperium Occidētis Ecclesiæ Romanæ tradidit: in qua magnificum etiam Senatum uoluit esse: decreuit enim ut in tanta republica Senatores non tantum honore ac dignitate, sed etiam uestibus ornarētur purpureis: unde Cardinales merito dicti sunt ab aliquibus patres purpurati. Senatorium quidem statum humanæ reipublicæ, qui primus omnium est, non modo repræsentant, sed etiam re uera tenent. Vt probe dicit Innocentius. In hoc statù secundo eorum officium est prudenter consulere Pontifici maximo, & illum adiuuare in his præcipue, quæ ad regendam Ecclèsiam pertinent.

Duodecim conclusiones, quibus tota de Cardinalibus materia explicatur.

QVo planius & absolutius tota hæc materia de Cardinalibus intelligatur, libet subijcere aliquot memoratu dignissimas conclusiones, & eas breuiter & sigillatim confirmare.

Prima conclusio: Status Apostolorum, status Cardinalium est: Apostolis enim succedunt Cardinales. Quod sanè, ut probè capiatur, annotandum est, tribus modis considerari Apostolos. Primo quidem ut fuerunt cum Christo, quatenus ue raro ab eius latere discedebant. Vt ille ĩquit, uos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum: ut edatis, & bibatis, super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Secundo, ut postquam in cœlum ascenderat Christus, Petro iam uices gerenti domini nostri Iesu Christi tanquam uniuersalis Ecclesiæ pastori astiterunt. Tertio, ut iuxta mandatum illud Christi, euntes in uniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, a Petro discedentes, Petriq; ipsius authoritate fulti àc nitentes, singulas prouincias singuli acceperunt in sortem prædicationis, & a Petro uel immediate, uel mediate facti fuerunt Episcopi, & certorum locorum certam habuerunt iurisdictionem. Si primo, aut secundo modo Apostoli considerentur, status Cardinalium statum eò refert Apostolorum, quod assistunt Romano Pontifici, qui sanè Vicarius Christi, Petriq; successor legitimus est: tanquam eius primarij assessores, & consultores prudẽtissimi, & cooperatores, & denique ut Bonifacius octauus ait, executione sacerdotalis officij coadiutores. Porrò si tertio modo cõsiderentur Apostoli, proprie succedunt eis Epi-

Luc. 22.

Marc. 16.

Lib. 6. cap. fundamenta

Dif.21.cap. In nouo testamento. Dif.68.cap. quorum uices.

ſcopi, & illo modo ſtatum Apoſtolorum ſtatus refert Epiſcoporum, qui præſunt ſinguli ſingulis ciuitatibus, aut prouincijs. Nam eorum alij ſunt Epiſcopi, alij Archiepiſcopi, alij Patriarchæ, alij Metropolitani.

Secunda concluſio: Apoſtoli prius fuerunt Cardinales, quam eſſent Epiſcopi: & prius Cardinalitium exercuerũt munus, quam officium Epiſcopale obirent, prius enim quã Chriſtus in cœlum aſcendiſſet Apoſtoli fuerunt, munusq́; obierunt Cardinalitiũ: nuſquam diſcedentes à latere Chriſti: ac Paulo poſt aſcenſionem à latere Petri nequaquam abeuntes, quo tempore nondum paſtores, nondum Epiſcopi erant: nondum ullam habebant iuriſdictionẽ. Solus enim Petrus officium paſtorale, ac poteſtatem aſſecutus eſt Eccleſiaſticæ iuriſdictionis immediate à Chriſto, quemadmodum infra loco ſuo dicemus.

Tertia concluſio: Apoſtoli prius Cardinales orbis fuerunt quam urbis: ueluti Petrus fuit prius orbis & uniuerſalis Eccleſiæ Papa, quam Epiſcopus Romanæ urbis peculiariter eſſet. Ac propterea in inueſtitura papatus dicitur. Papæ, Inueſtio te de Papatu Roma. ut præſis urbi & orbi: quo nimirum eiuſmodi ſignificetur diſtinctio præſidentiæ. Cardinales autem Pontifici aßiſtunt in utraque præſidentia tum urbis tum orbis tanquam eius peculiares coadiutores, & tanquam Senatores, Conſules Patritijq́; urbis.

Dif.96.cap. conſtãtinus.

Quarta concluſio. Cardinales, quantum ad Cardinalitiam ſpectat dignitatem, Apoſtolicum duntaxat retinent ſtatum: Papa uero tum Apoſtolicum tum paſtoralem retinet: ac propterea non immerito connumerat ſe inter Cardinales quemadmodum inquit Archidiaconus. Status igitur apo

Dif. 22.ca. ſacroſancta

ſtolicus in quo ſunt Cardinales, diſtinguitur à ſtatu paſtorali. Et quamuis omnes Apoſtoli præter Iudam qui crepuit medius, fuerint paſtores, tamen prius fuerunt, ut diximus, in Apoſtolico ſtatu, quàm in paſtorali.

Quinta concluſio: Quemadmodum in ordine hierarchico Apoſtolorum cœtui, ordo ſuccedit Epiſcoporum, quatenus illi fuerunt Epiſcopi: ita Cardinalium ſtatus ordoq; ſumma ueneratione ſummaq; reuerentia dignus, Apoſtolorum ſuccedit ſtatui, ut illi proprie fuerunt Apoſtoli, utq; aſtiterunt Chriſto & Petro, antequam ad certas prouincias facti Epiſcopi & paſtores mitterentur.

Sexta concluſio: Cardinalium authoritas & poteſtas haudquaquam limitata eſt: neque unam tantum ciuitatem uel prouinciam reſpicit, ut Epiſcopalis authoritas & poteſtas, ſed uniuerſum chriſtianorum orbem, ut Papalis, reſpicit: quemadmodum ait Gregorius, alij prælati ſunt aſſumpti in partem ſollicitudinis: iſti uero in adiutorium totius gubernationis, totius orbis. Ac ideò myſtice Romani Pontificis mẽbra et pars corporis ipſius Papæ uocantur: cũque à Papa in aliquam prouinciam mittũur, propterea dicũtur legati a latere: quaſi a latere diuellantur ſummi Pontificis. 2.q.6.ca.decreto. circa finem.

Septima concluſio: Cum perpetua obligatio, qua homines ad ea facienda, quæ ſunt perfectionis, ultro aſtringũtur, in ſtatu perfectionis homines conſtituat: proculdubio Cardinales Papæ aſſiſtentes in regimine uniuerſalis Eccleſiæ, ſunt in ſtatu perfectionis. Obligant enim ſe ad perpetuo defendendam una cum ſummo Pontifice Chriſti Eccleſiam uſque ad effuſionem ſanguinis fideliter & pro uirili ſua: quòd ut palam fiat, probeq; ſignificetur, præſtitis cer-

tis iuramentis, rubro galero adhibitis certis solennitatibus authoritate summi Pontificis ornatur. Porrò sunt Cardinales tanto sublimius in statu perfectionis, quam Episcopi: quanto eorum potestas latius & longius extenditur.

Octaua conclusio: Quanquam tempore Apostolorum & Christi non erat in usu nomen Cardinalitius: ut neq; papatus nomen: tamē res ipsa, nimirum Cardinalatus gradus et status, erat ex institutiōe Christi: ueluti exeruimus Paulo ante. Sicut nomen christianorum tempore Christi nondum erat: aliquanto enim postquam in cœlum ascenderat, fideles cœperunt cognominari Antiochiæ à Christo christiani. Itidem crescente mirum in modum Ecclesia & fidelium multitudine, crescebant etiam tituli & honores: ac dignitatibus Ecclesiasticis congrua imponebantur nomina, ut Patriarcharum, primatum Archiepiscoporum, & aliorum nomina. Quando uero nomen Cardinalatus cœperit esse in Ecclesia, uariæ sunt opiniones; alij enim existimant id fuisse tempore Pōtiani Papæ, alij tempore Marcelli, alij tempore Syluestri Nihil autem refert nos laborare, aut anxios & solicitos esse de nominibus, cum de rebus nulla sit dubitatio.

Nona conclusio: Quamuis Petrus ad certas ciuitates atque ad certas prouincias Apostolos, factos Episcopos, miserit, cum omni etiam potestate tāquam legatos à latere: non tamen solus mansit: uerum aliquos instituit Cardinales, quā quam eis minime imposuit nomen Cardinalatus, qui sibi coadiutores præsto essent, quique lateri suo nunquam non assisterent in iudicio maiorum causarum, atq; in Ecclesiæ uniuersalis regimine: quales erant Linus, Cletus, & Clemens:

qui Petro in Papatu legitime successerunt. Ita quoque alij summi Pontifices creduntur sibi aliquos ad huiusmodi officium assumpsisse. Vnde Linus, qui Petro immediate successit duas fecit ordinationes: quippe undecim Episcopos & presbyteros decem & octo instituit. Deinde sequens Cletus quinque & uiginti constituit titulos. Anacletus etiam qui successit Clementi, septem Cardinales diaconos ordinauit. Atque alij similiter fecisse leguntur.

Decima conclusio: Quemadmodum Cardinales in Apostolica dignitate succedunt Apostolis: ita quoque in authoritate aßistendi Papæ, illiq; in gubernanda uniuersali Ecclesia cooperandi. Nihil autem prorsus lædit, neque hoc ipsum improbat, quod aduersarij nostri afferunt, Beatum Marcellum circiter annos domini ducētos nonaginta quatuor, Cardinalatus aut Cardinalium titulos quinque & uiginti instituisse in Romana urbe propter baptisma, et cymiteria, ut nimirum sepelirent martyres, & propter pœnitentes, & propter eos, qui ex gentibus conuertebantur ad Christum. Hoc inquam non probat simplicibus sacerdotibus, et cōmunibus presbyteris Cardinales minime superiores & sublimiores esse: quippe cum beatus Marcellus non eos fecerit in illum præcipue usum. At cum innumera esset martyrum multitudo pro domino nostro Iesu Christo morientium, & propemodum infiniti essent pagani atque infideles ad christianam religionem certatim properantes, consentaneum fuit ea ætate, ac maxime conueniens Cardinalitiæ dignitati, ut illud miræ pietatis officium ante omnes facerent. Vnde uehementer laudatur Euticianus Papa, quod propria manu sepeliuerit ter mille duos & quadraginta martyres.

Aut fortè illi, huiusmodi erant Cardinales, qui ad primum Cardinalium statum pertinerent.

Vndecima conclusio: Tam etsi gradus aut ordo Episcoporum, quem Isidorus in Patriarchas, primates, Archiepiscopos, & Episcopos distribuit, maior & dignior sit Cardinalibus presbyteris & diaconis (in statu quidem Cardinalium triplex ordo seu gradus est, Episcoporum, & presbyterorum, & diaconorum) excellentia & sublimitate ordinis, (Episcopatus quidem ordo sacramentalis est non distinctus à sacerdotio intensiue ac essentialiter, sed accidentaliter & extensiue: ut porrò explicabimus: ac in eum sensum Dionysius ait Episcopatum esse ordinem sublimiorem) tamen administrationis eminentia, qua Romano pontifici assistunt in regenda uniuersali Ecclesia: & in maioribus definiendis causis, & quatenus pars corporis Papæ sunt: Cardinales multo sunt maiores & digniores Episcopis: modo illi etiam non sint Cardinales. Ita Petrus, alijq; Romani Pontifices nequaquam præstant Episcopis & sacerdotibus potestate ordinis: quibus tamen sublimitate amplitudineq; administrationis longo interuallo antecellunt. Ac de presbyteris, & archipresbyteris, de diaconis, & archidiaconis, de Episcopis, & Archiepiscopis, idem sentiendum est. Hoc etiam modo intelligitur, quod ait Augustinus: quanquam Episcopus sit maior, ordine, Augustinus tamen Hierónymo minor est. Nimirum administratione, & dignitate: quandoquidem Hieronymus fuit presbyter Cardinalis.

Dis. 21. cap. Cleros.

2. q. 7. cap. puto.

Dis. 25. cap. perlectis. 2. q. 7. c. quanquam.

Duodecima conclusio: Cum Papa mortem obierit: aut desierit Papa esse uel propter quidem hæresim uel pro-

pter Apostasiam: tum facultas alium Papam eligendi est in solis Cardinalibus, etiam si œcumenicum & generale Concilium extaret: quandoquidem soli Cardinales, ut paulò ante dixi membra sunt, ac pars mystica Pontificij corporis: œcumenicum uero & generale Concilium non est ullo modo membrum aut pars corporis Pontificij, sed catholicam & uniuersalem Ecclesiam repræsentat, ad quam sane cum eligere Papam non spectet, neque id spectare ad Cõcilium potest. Quod uero ab aduersarijs nostris obijcitur, ius eligendi Pontificem datum Imperatori sub Adriano & Leone, ut in decretis facilè est uidere: id minime hanc expugnat conclusionem: propterea quòd Ludouicus Imperator eam restituit potestatem: quod etiam Ottho fecit: quemadmodum legitur in decretis. Deinde si aliquando usuuenit, ut cum Cardinalibus aliqui alij conuenerint ad eligendum Papam: id eò factum esse intelligamus, quod cum persecutionibus Ecclesia obrueretur, soli Cardinales Papam eligere non possent: aut propter iustißimas alias causas. Quibus deficientibus causis operæpretium est eligi Pontificem à solis Cardinalibus: quandoquidem ij soli constituunt Pontificium corpus, quod etiam Papa deficiente superstes est.

Dis.63.cap. Adrianus et c.in Synodo Dis. 63. ca. Ego Ludouicus &.ca. tibi.& cap. sacrorum.

Presbyterum & Episcopum in primitiua Ecclesia eundem fuisse: ac Synonima esse nomen presbyteri, & nomen Episcopi.

QVintum argumentum: Hæc nomina presbyter et Episcopus fuerunt synonima in primitiua Ecclesia: quãquam pro diuersis proprietatibus eidem sunt imposita: nam ab ætate presbyter nomen impositum est, qua-

si senior: Episcopus uero à dignitate seu cura super alios quasi superintendens. Vnde Hieronymus in *quadam epistola, quæ inscribi solet, quomodo presbyter & diaconus differant, ait: presbyter, & Episcopus, aliud ætatis, aliud di*

Ad Euādrū presbyter. *gnitatis est nomen.* Vnde & ad Titum, & ad Timotheum *de ordinatione* Episcopi, & Diaconi *fit mentio: nulla uero*

Philip.1. *de presbyteris: utpote quòd in Episcopo continetur presbyter.* Hoc etiā *patet manifeste per Apostolum, qui inquit: omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis. Sacerdotes haud aliter nominauit, quā Episcopos: indubium uero est plures Episcopos in una ciuitate non fuisse, nisi quatenus erant plures sacerdotes.* Et *ad Titū dixit: huius rei gratia reliqui te in Creta: ut ea quæ*

Cap.1. *desunt corrigas & constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego tibi constitui: siquis sine crimine est.* Et ilico *subnectit qualis constituendorum presbyterorum uita esse debeat oportet enim, inquit, Episcopum sine crimine esse: sicut* Dei *dispensatorem &c.* Ecce *quod constituendum presbyterum uocat* Episcopum. Et *in actis Apostolorum sermonem fa-*

Cap.20. *cieris* Paulus *ad presbyteros unius* Ephesinæ Ecclesiæ, *attēdite, inquit, uobis & uniuerso gregi: in quo uos* Spiritusā*ctus posuit* Episcopos *regere* Ecclesiam Dei, *quam acquisiuit sanguine suo. In una & sola* Ecclesia *plures* Episcopos *alloquitur: quod fieri non posset, nisi plures adessent presbyteri aut sacerdotes: quos omnes eò indiscriminatim uocat*

1.Tim.4. Episcopos, *ut reuocet eis in memoriam, quod superinten-*
1.Petri.5. *dere ac uigilare in administratione populi obstringantur.*
1.Ioan.1.
3.Ioan.1. *Vocabat uero seipsum presbyterum & seniorem.* Quod *etiam* Petrus, & Ioannes *faciebant.*

Semper fuisse differentiam inter Episcopum, & sacerdotem, seu presbyterum. Ac soluitur aduersariorum nostrorum argumentum.

RESpondeo: Augustinus putat eam sententiam hæreticam esse atque Arrianam. quod nimirum Episcopus nihil differat à presbytero. Arriani quidem, ait, asserebant presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni. Ac proinde nobis declarandum est, quomodo intelligi debeant in medium prolatæ ab aduersarijs nostris authoritates. Nemini dubium est, in primitiua Ecclesia, et diu quidem post mißionem Spiritussancti, quicunque sacerdotes erant fuisse pariter Episcopos, & quicunque erant Episcopi fuisse etiam presbyteros aut sacerdotes. At propterea sequi non oportet, differentiam nullam inter sacerdotium & Episcopatum fuisse, quantum ad sacramentalem attinet potestatem: nec Episcopum ex gradu Episcopali habere potestatem nullam conferendi sacros ordines, & confirmandi: præter eam quā sacerdos habet ex gradu sacerdotali. Vnde si nullus esset Diaconus, qui simul etiam sacerdos non esset, quēadmodum potest euenire, neque sacerdos aliquis nisi etiam Diaconus esset, distinctio inter ordinem sacerdotij & diaconatus ordinem adhuc esset, & sacerdos haberet sacramentalem ex gradu sacerdotali potestatem: quam Diaconus ex gradu minime haberet diaconatus. Porrò satis superq; aucto numero sacerdotum pro scandalis & dißidijs euitandis tollendisq;, Apostoli ordinauerunt, ut quemadmodum Apostolus unus præerat alijs, ita quoque presbyter aut sacerdos unus, qui esset Episcopus, alijs presbyteris aut sacerdotibus non iam Episcopis, legitime præficeretur:

In libro de hæresibus Cap. 53.

In epistola ad Titum. *quod planè testatur Hieronymus dicens: antequam Diaboli instinctu dissidia in religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, cõmuni presbyterorum Concilio Ecclesiæ gubernabantur, & sic post quam unus quisque, quos baptizabat, putabat esse suos non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris præponeretur, & schismatum semina tollerentur. Cum* 1. Cor. 1. *ergo post illud Corinthiorum schisma, de quo Paulus meminit, diu superstites fuerint in Ecclesia Apostoli, ambigendum non est, decretum illud de uno & solo Episcopo sacerdotibus non iam Episcopis anteferendo, latum esse ab Apostolis, & promulgatum in singulis Ecclesijs: imo facile est hoc ipsum in Canonibus Apostolicis uidere: in quo libro di-* Cap. 28. *citur Presbyteri & Diaconi præter Episcopũ nihil agere pertentent. Ante igitur illud schisma nulla inter sacerdotiũ & Episcopatum eò apparebat differentia, quod nulli erãt sacerdotes aut presbyteri, qui simul etiam non essent Episcopi. Differentia uero eiusmodi post illud schisma in prõptu fuit omnibus, quandoquidẽ non oẽs presbyteri fuerunt Episcopi: at unus in ciuitate una fuit Episcopus omnibus quidem sacerdotibus præfectus. Quoniã porrò cõfunduntur hæc nomina in scripturis diuinis, uidelicet Episcopus, et presbyter, ut unum pro altero sit uicissim in usu: notandum est hæc nomina quantum ad rem significatam pertinet, non confundi: aliam enim rem significat Episcopus, aliam presbyter, quandoquidem alia res est Episcopatus, alia presbyterium. At si quantum ad ethimologiam aut interpretationem spectat, ea nomina considerentur, aliquando confunduntur, Episcopus enim est non modo superintendens, uerum*

etiam senior, & presbyter non solum est senior, at quoque superintendens est. Ita Paulus ad Philippenses ait: Paulus. et Thimotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis cum Episcopis: Vbi cum in una ciuitate non queat esse nisi unus Episcopus, haud dubie per Episcopos intelligit presbyteros, qui non sunt, quantum ad rem Episcopi, sed quantum ad interpretationem, debent enim & ipsi superintendentes esse: cum præsertim fuerint animarum curatores. Deinde ad Titum scribens Episcopos, uocat presbyteros, nam & illos conuenit seniores esse: huius, ait, rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros. Philip. 1.

Octo conclusiones, quibus plane explicatur, num inter sacramentales ordines connumerare oportet Episcopatum.

AGe uero aliquot proferamus & confirmemus de gradu Episcopali conclusiones, ut probe intelligamus nunquid Episcopatus connumerandus sit inter sacramentales ordines. Hæc enim dubitatio est maxima, præcipue inter Canonistas & Theologos. Quibus etiam conclusionibus perspicuum & exploratum fiet, Episcopatum haud dubie a sacerdotio distingui & omnino differre.

Prima conclusio: Gradus Episcopalis haudquaquam sacramentalis ordo est a sacerdotio distinctus: nam si ab illo distingueretur, aut eo inferior esset: quod erroneum & absurdum dictu est, quandoquidem nihil inferius & uilius id præsupponit quod superius ac præcellētius sit: Episcopatus autem sacerdotium præsupponit: cum nemo Episcopus cō

ſecretur, niſi prius fuerit ſacerdos. Non ergo Epiſcopa*tus inferior eſt ſacerdotio. Aut quidem ſuperior & præſtantior eſſet, quod etiam minime eſſe poteſt. Ordo enim ſacramentalis eò prior, dignior, & ſublimior eſt, quo excellentiorem actum habet: ſacerdotij uero actus longe præſtat actui* Epiſcopatus *quatenus* Epiſcopatus *à ſacerdotio diſtinguitur: quippe cum ſacerdotij actus ſit conſecrare uerũ corpus, & uerum ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti: actus uero ipſius* Epiſcopatus *ordinare et conſecrare homines, quod ſi* Epiſcopi *etiam ſacramentum* Eucharistiæ *conficiunt, id non ut* Epiſcopi *faciunt, ſed ut ſacerdotes.* Epiſcopatus *igitur, ut* Epiſcopatus, *nequaquam eſt ordo ſacramẽtalis.* Accedit, *quod ſi* Epiſcopatus *ſacramentum eſſet, iam non tantum ſeptem, ſed octo ſacramenta cogeremur ponere: aut octo quidem ſacramentales ordines.*

Secunda concluſio: Epiſcopatus, *ut* Epiſcopatus, *minime eſt dignior ſacerdotio, quantum ad poteſtatem ordinis pertinet: tametſi dignior eſt quantum ad poteſtatem iuriſdictionis, regiminis atque adminiſtrationis.* Quemadmodum *neque* Cardinales *antecellunt ſacerdotibus, aut* Epiſcopis *poteſtate ordinis: quanquam eis antecellunt eminentia & ſublimitate adminiſtrationis: qua* Romano Pontifici *aßiſiunt in regendis & moderandis catholicæ, atque uniuerſalis* Eccleſiæ *habenis, & in maioribus definiendis cauſis: imo ne* Petrus *quidem fuit maior alijs* Apoſtolis *poteſtate ordinis, quibus tamen poteſtate iuriſdictionis fuit longe maior.* Idem *quoque ſentiendum eſt de* Archipreſbyteris, *&* Preſbyteris: *de* Archiepiſcopis, *&* Epiſcopis, *de* Archidiaconis *&* Diaconis.

2.q.7.cap. puto.
Diſ.25.cap. perlectis.

Tertia conclusio: Episcopi sunt in statu perfectionis: in quo sacerdotes haudquaquam sunt. Nam Episcopi obligant se, adhibitis congruis solennitatibus, ad ea perpetuo facienda, quae sunt perfectionis: cũ pastorale officium assumunt: ut Paulus ait, certa certamen bonae fidei: apprehende uitam aeternam, in qua uocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus. Nempe in tua ordinatione: ut glossa eo in loco habet. Quod etiam in Episcoporum professione adhibeatur solennitas quaedam consecrationis, colligitur ex Paulo dicente: resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum. Quod glossa exponit de gratia Episcopali. Sacerdotes uero, cum alicubi animarum curam suscipiunt, id absque ulla faciunt solenni benedictione: unde tunc nullum statum proprie suscipiũt. At officium simpliciter eis committitur. Itaque sacerdotes non sunt in statu perfectionis. Regulares autẽ in statu perfectionis eò sunt, quod non sine caerimonijs solennibus perpetua se obligatione astringunt ad ea praestanda, quae ad statum perfectionis attinet. Caeterum Episcopi sunt in statu perfectionis, idest perfectionem requirentẽ: cum quis enim assumitur ad Episcopatum debet iam perfectus esse: quoniam oportet eum esse aliorum doctorem & magistrum. At regulares in statu perfectionis sunt, idest ad perfectionem dirigente. Nec enim regulares efficimur, quia sumus perfecti: sed ut perficiamur.

2.q.7.cap. quanquam.

1.Tim.ul.

2.Tim.1.

Quarta conclusio: Gradus Episcopalis, & sacerdotiũ, est una eademq; potestas: à qua profluunt multi actus: ut cõficere Eucharistiam: absoluere poenitentes: ordinare, & cõsecrare homines: atque huiusmodi alij complures. At corpũ

actuum alij sine iurisdictione sunt, ut conficere Eucharistiã alij uero non sine iurisdictione, uel quidem in foro conscientiæ, ut absoluere: uel in foro iudiciali, ut ordinare & consecrare homines: pascere, & regere, & moderari Ecclesiã Dei. Potest igitur simplex sacerdos absque ulla iurisdictione, Missam celebrare: non tamen absoluere potest, absque iurisdictione illa quæ ad forum pertinet conscientiæ: Quod si altera quoque accedat iurisdictio, non per simplicem commissionem, at per solennem, ut fieri solet, consecrationem: tum erit Episcopus, & integrum habebit ordinare & consecrare homines, & alia præstare quæ ad Episcopos attinent. Hic uero potestatem iurisdictionis intelligo potestatẽ ordinis præsupponentem. Itaque potestas Episcopalis a sacerdotali potestate in actu primo non distinguitur: sed tantum in actu secundo. Vnde si aliquis simplex sacerdos ex mandato & commissione Romani Pontificis in aliquo certo casu ordinaret, & consecraret homines: illi uere ordinati, & consecrati essent: quamuis eiusmodi sacerdos haudquaquam esset Episcopus. Papa uero committere nequit alicui nõ sacerdoti, etiam si diaconus sit, ut absoluat quenquã, aut liget: multo minus, ut initiet quenquam sacerdotio: quẽadmodum habetur in Canone. Itaque talis potestas in actu primo est sacerdotij potestas, etiam sine ulla iurisdictione: in secundo aũt actu, est sacerdotij potestas, eo duntaxat modo, quem aperuimus. Quo circa Episcopatus nequaquam est ordo sacramentalis a sacerdotio differens: neque ulla est forma eiusdem ordinis intensior: at sola extensio quidem est ad alios actus: qui proprie sacerdoti congruerent, nisi ipse per non communionem iurisdictiõis prohiberetur: quæ

Dis. 65. ca. peruenit.

prohibitio tollitur per communicationem iurisdictionis, uel sanè in foro conscientiæ, uel in foro iudiciali, ut diximus.

Quinta conclusio: In Episcopis ea, quæ sunt ordinis, distinguntur ab ijs, quæ sunt iurisdictionis. Nam quæ sunt ordinis, aliud nihil sunt: quàm quæ assequuntur, aut recipiunt ex ordine sacerdotali, & ex eiusdem ordinis charactere, ut Missam celebrare, confessiones audire, ac huiusmodi alia.

Sexta conclusio: Cum efficitur quis Episcopus, in eo forma nulla indelebilis, aut character nullus imprimitur: qui tamen imprimitur, cum initiatur sacerdotio. Propterea Episcopus haud dubie potest deponi simpliciter: ita quidem, ut si depositus tentaret facere quæ spectant ad Episcopos, ut initiare aliquem sacris ordinibus, nihil prorsus faceret. Sacerdos autem depositus, si tentaret consecrare corpus & sanguinem Christi, uere consecraret: sed tamen peccaret mortaliter, quippe cum faceret contra mandatum Ecclesiæ. Sin uero ille idem tentaret absoluere aliquem, nihil prorsus faceret: utpote quod omni iurisdictione caret. Ex quo manifestum profecto est, potestatem ordinis haudquaquam tolli posse: quoniam est character & forma indelebilis: potestatem uero iurisdictionis eo tolli posse, quod nullus per eã character imprimitur.

Septima conclusio: Quamuis per Episcopatum nullus imprimatur character: Episcopi tamen, cum Episcopi efficiuntur, consecrari debent: tum quod Episcopus aliquo modo à sacerdote ipso differt in ordine, ut paulò post explicabimus: tum quod tali consecratione, tanquam solenni cærimonia profitetur statum perfectionis, & perpetua obligatione se astringit ad ea omni cura & studio facienda,

quæ spectant ad eum statum perfectionis, qui homines præsupponit iam perfectos. Quomodo uero huiusmodi perfectio intelligatur, diximus in libro de uotis monasticis.

Octaua conclusio: Episcopus aliter ad sacerdotalem ordinem refertur: aliter ad gradum Episcopatu superiorem. Inter Episcopum enim & sacerdotem est differentia in ordine, haud quidem in ordine, ut sacramentum est: sed in actu ipsius ordinis sacramenti, ac differentia huiusmodi non est in primo, at in secundo actu duntaxat ordinis: propterea quod, ut diximus, ordo habet in Episcopo usum respectu aliquorum actuum: quem in sacerdote minime habet. Sed inter Episcopum & gradum Episcopatu altiorem, quales nimirum sunt Archiepiscopatus, Patriarchatus, Cardinalatus, Papatus, nulla est prorsus differentia nec in ordine, nec in actu ordinis: (nisi forte adhuc non essent Cardinales initiati sacerdotio) at solum in potestate iurisdictionis. Omnem igitur actum ordinis habent Episcopi, quem habet Archiepiscopi, & Patriarchæ & Cardinales presbyteri, & Papa: non omnem tamen actum iurisdictionis. Tanto sanè amplior est iurisdictio in persona, quanto illius gradus amplior est. Quod autem dicimus eo confirmatur, quod Episcopalis gradus requirit consecrationem: ac præter eã, nullam sequentes & præcellentiores gradus aliam requirunt seu postulant consecrationẽ Cuius ratio in prõptu est: quoniam gradus Episcopalis diuersitatem in ordine facit aliquo modo: nempe in actu secundo: non in actu primo, non in charactere, nõ in forma indelebili. Nullus uero ulterior & sublimior gradus Episcopatu facit aliquam differentiã in ordine ullo pacto: neque sanè in primo actu ordinis, neque in

que in secundo: at duntaxat in potestate iurisdictionis. Ob hanc igitur causam gradus Episcopalis nouam postulat cõsecrationem: ut nimirum illa ordinis differentia significetur. Gradus autem sublimiores Episcopatu nullam propterea nouam consecrationem postulant, quod nullam afferant ordinis differentiam, sed tantum iurisdictionis: propter quam non adhibenda est consecratio.

Argumenta, quibus Canonistæ probant Episcopatum esse ordinem.

VErum quia permulti doctißimi uiri, præsertim canonistæ, mordicus tenent Episcopatum esse ordinem: propterea faciendum mihi putaui, ut hoc in loco argumenta quibus præcipue nituntur in medium proferam & diluam. Primo decreti authoritatem allegant: quod Episcopatum eiusmodi ordinem esse planè docet, qui distribuatur in Patriarchas, Archiepiscopos, Metropolitanos, & Episcopos. Dionysius etiam, cum tres ordines recenseat, Episcopatum, Sacerdotium, & Diaconatum: satis superq́; idem ostendit. Præterea si ostiarius certum ordinem, & gradum tenet in Ecclesia, cur magis Episcopus nõ teneat? cum Episcopus tum essentialius, tum propinquius respiciat corpus domini nostri Iesu Christi? Non enim ostiarius immediate respicit Eucharistiam, nisi per domum circa quam immediate actum suum exercet. Deinde tota sacramenti nouæ legis definitio Episcopatui quadrat: est enim signum sensibile efficiens quod figurat: in unctione sanè certis uerbis facta in capite signatur efficiturq́; potestas Episcopalis: nempè ordinandi & consecrandi: quæ soli congruit Episcopo. Hæc uero ipsa, quæ dicunt etiam confirmant, quia electus

Dist. 21. c. 2. Cleros.
De ecclesia. hierar. c. 5.

Papa, si Episcopus nõ sit, consecratur: sin Episcopus sit; minime oportet eum consecrari: quod nequaquam obseruaretur, si Episcopatus nõ esset certus ordo in Ecclesia. Deniq; inter ea, quæ sunt ordinis, et ea quæ sunt iurisdictionis, hæc potißimum differentia est, quòd ea, quæ sunt ordinis, immediate sint à Christo: ea uero, quæ sunt iurisdictionis, à Papa deriuentur & proueniant: solus enim Papa iurisdictionem habet immediate à Christo, propterea que dicitur esse fons omnis iurisdictionis in Papa. Idcirco Papa nequit sacros ordines tollere à quoquam: nec enim sunt ab eo: & characterem formãque indelebilem imprimunt. Sed omnẽ tamen à quouis potest iurisdictionem tollere: quandoquidẽ & ab eo profluit, et nullũ imprimit characterẽ. Cũ igitur Papa nõ queat ab Episcopo q̃libet degradato auferre potestatẽ ordinãdi: q̃uis poßit auferre ptãtẽ excõicãdi: quæ est iurisdictionis: manifestũ ẽ Episcopatũ ordinẽ esse: quo ĩprimitur character, quẽadmodũ alijs ẽt sacris ordinibus.

Soluuntur canonistarum argumenta: quibus probare conati sunt, Episcopatum esse ordinem.

Respondeo: citatis authoritatibus, adductisq; in mediũ rationibus probant quidem Episcopatum esse ordinem, sed talem, qui à sacerdotio distinguatur, esse ordinem, minime probant: alioqui plures essent in Ecclesia ordines, quàm septem: quod absurdißimum est: quandoquidẽ orthodoxi patres nunquam non docuerunt, tradiderunt q; septem duntaxat ordines sacramentales: quorum tres præcellentiores proprie sacros uocauerunt: quibus impeditur contrahendum matrimonium, & iam contractum dirimitur: quatuor autem minores nõ uocauerunt sacros quibus

neque impeditur contrahendũ matrimoniũ: neq; dirimitur iam contractũ. Eò uero non uocauerũt sacros, quod sine dubio careãt usu rei sacræ. Nam si considerarentur, iuxta rationẽ sacramẽti; haud dubiè sacri uocarentur. Ad propositũ redeo. Quanquã Episcopatus ordo est nequaquã distinctus à sacerdotio: tñ ut a sacerdotio distinguitur, nullus ordo est sacramẽtalis imprimẽs characterem, ac ideò falsum est, depositũ & degradatũ Episcopũ ordinare & cõsecrare posse. Imo si tẽtaret consecrare, nihil prorsus faceret. Vnde si depositus & degradatus Episcopus denuo reponẽdus esset in gradũ suũ, iterũ consecrandus esset. Quare autem consecrẽtur Episcopi, si tali cõsecratione imprimatur nullus character, iã diximus. Porrò falsum est, definitionẽ sacramẽti ordinis quadrare Episcopatui. Non enim ut illi opinantur, ordinis pfecta definitio est hæc, ptãs spiritualis ad aliquẽ actũ in Ecclesiastica hierarchia exercendũ. Sed hæc potius, ordo sacramẽtũ, est eminens gradus ĩ Ecclesia ad aliquẽ actu cõgrue dispõnẽs circa Eucharistiã: nobilissimus quidẽ actus is ẽ ĩ Ecclesia Dei qui fit circa naturale ꝗ corpus dñi Deiq; nostri Iesu Christi ac ꝓpterea definiẽdus ẽ ordo sacer p huiusmodi actũ: nõ ãt p eũ q fit circa mysticũ corpus qđ ẽ Ecclesia. quo uero pacto sacri ordines referãt ad Eucharistiã, ꝗ plurimi doctores theologi demõstrãt.

Duos tantum ordines, quippe sacerdotij, & diaconatus, fuisse in primitiua Ecclesia.

SExtũ argumẽtũ: In Vrbani Papæ decreto dicitur quod et plurimi asseuerãt doctores catholici: solos ordines sacerdotij et diaconatus primitiuã Ecclesiã habuisse: ac deinde ꝓcedẽte tpe Ecclesiã instituisse ordines inferiores.

Quomodo fuerint in Ecclesia minores ordines. Ac soluitur aduersariorum nostrorum argumentum.

RESpondeo: habuit quidem primitiua Ecclesia ordines inferiores, ut probaui antea: non eos tamen habuit tã quam sacramentales & sacramentaliter datos sub signis sensibilibus, & certis & solennibus ritibus ac cærimonijs: quemadmodum habuit postea. Deinde responderi potest ecclesiam instituiße illos post ætatem apostolorum, non absolute: cum essent iam instituti, uerum potius in eum usum, ut ad superiores ordines conscenderet nemo: nisi rite susceptis prius ordinibus minoribus: quod nequaquam fiebat in primitiua Ecclesia. Ad talia uero facienda ecclesiam habere potestatem, sic breuiter confirmamus. Multo post datam legem, & institutas diuinas ordinationes per Mosen in populo israelitico, Dauid Rex & Propheta, quo diuinũ cultum redderet ampliorem, flatu spiritussancti alios ordines inuenit, ac superaddidit, ut ordines cantorum, Nati-
Ioan. 1. neorum, de quorum ordine, ut placet nonnullis, fuit is Nathanael, de quo ait Christus: Ecce uerus Israelita, in quo dolus non est, & ordinem etiam Ianitorum, quem nos uocamus ostiariorum. Si hoc fecit Dauid, quis negauerit tantundem esse authoritatis in Ecclesia? Denique sentiebat forsan Vrbanus in sancta scriptura non legi, quod ecclesia primitiua plures habuerit ordines, quàm sacerdotium & diaconatum, in sacerdotio quidem episcopatum includens. Sed quod postea minores ordines, et maiores ipsa Ecclesia promulgauerit. Nec enim instituta omnia facta olim ab apostolis mandato domini Deiq; nostri continentur in scriptu-

ra sacra, ut alijs in locis cumulatißime probaui.

Potestatem ecclesiasticam nõ fuisse datã soli Petro, sed omnibus Apostolis ęqualiter.

SEptimum argumentum: Cum Christus Apostolis suis daret potestatem conficiendi sacramentum corporis & sanguinis sui: hoc, ait, est enim corpus meum, quod pro uobis datur. Hoc facite in meam commemorationem, id est hoc faciendi potestatem habete. Nõ dixit uerba hæc magis ad Petrum, quàm ad alios: Non dixit enim fac tu o Petre, alijsq; Apostolis idem faciendi potestatem tribue: sed in plurali numero dixit: facite, ac omnibus quidem indiscriminatim. Idem quoque sentiẽdũ est de potestate clauium, siue his eisdem uerbis tradita fuerit Apostolis: siue alijs. aut eodẽ, aut alio tempore, ut his uerbis: Sicut misit me pater, & ego mitto uos. Accipite Spiritumsanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Dixit ergo Christus: mitto uos sicut pater me misit. Nec dicit Petro aut alteri apostolo singulariter, mitto te, & tu alios mitte. Neque dicitur eodem in loco insufflauit Christus ei: sed eis dicitur, nõ uni per alterum. Neque dixit Christus ad Petrum, accipe Spiritusanctum: quẽ tu alijs tribue postea, sed accipite ait sine ullo discrimine loquens cum omnibus. Porrò apud Mattheum Christus ait Apostolis, Euntes docete omnes gentes. Non dixit Petro, Vade: atque alios mitte: sed omnibus euntes &c. Ne quis uero putaret, aliquem Apostolum anteferendum esse alijs potestate, hunc errorem tollit Paulus, ac præsertim de Petro de quo fortasse leuius potuisset error incidere, propterea quòd multa ei singulariter dicta fuerant à Christo.

Luc. 22.

Ioan. 20.

Cap. 28.

Galat. 2. Mihi enim ait, qui uidebantur esse aliquid nihil contulerunt: Sed contra, cum uidissent quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circuncisionis: qui enim operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est, & mihi inter gentes. Et cum cognouissent gratiã, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui uidebantur columnæ esse, dexteram dederunt mihi, & Barnabæ societatis, &c. Qui ergo fuit operatus Petro in Apostolatũ, operatus fuit & Paulo: hic autem fuit Christus: ergo Paulus huiusmodi officium à Petro non suscepit: ergo nec cæteri Apostoli. Vbi etiam glossa, quam uocant secundum Augustinum, idem planius exprimens ait: Illi qui uidebantur esse aliquid scilicet Petrus, & alij, qui fuerunt cum domino, nihil contulerunt; idest nihil addiderunt mihi: in quo patet, quod non illis inferior sum, qui à domino adeò perfectus sum, ut nihil esset, quod in collatione meæ perfectioni adderent. Item subiunxit glossa: cum uidissent, quòd Euangeliũ præputij creditũ est mihi ut fideli ita principaliter sicut et Petro Euangelium circuncisionis &c. Paulus ergo missus fuit à Christo, non à Petro: quemadmodum ipse testatur di-

Galat. 1. cens: Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrem &c. Ibiq; Ambrosius inquit: Paulus Apostolus non electus uel missus ab hominibus, scilicet ab Anania, ut quidam dicebant: uel ab alijs, ut quidã ab Apostolis electi & missi fuerunt. Et Augustinus ait, cæteri Apostoli uidebantur esse maiores, qua priores: iste minimus, quia nouissimus: sed inde apparet dignior quia priores cõstituti sunt p Christũ adhuc ex parte hominem, idest mortalem: nouissimus uero Paulus

per Christum iam totũ Deum, idest oĩ ex parte ĩmortalẽ, & Deum patrem, qui hoc fecit per filium. Atque ut aperiret cur dixerit, neque per hominem, subdit: qui suscitauit eũ à mortuis, & ita dignius constituit me per immortalem Christum, quam alios per mortalem. Hoc etiã Paulus confirmans eodem in loco ait: notum enim uobis facio Euangelium fratres, quod euangelizatum est à me, quod non est secundum hominem, neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Vbi Augustinus inquit: notum enim uobis facio Euãgeliũ fratres: quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem docentem me, & uere non est ab homine, neque enim accepi illud, neque didici ab homine, ut homo me eligeret ad euangelizandum, uel mihi iniungeret, neque didici ab homine docente me, sed per reuelationem Iesu Christi. Et in posteriore ad Corinthios Epistola inquit Paulus. Existimo nihil me minorem fuisse à magnis Apostolis. Nullam ergò potestatem habuit Petrus à Deo in Apostolos alios exercẽdam, neque illos in sacerdotali officio instituendi, neque segregandi eos, atque ad prædicandum mittendi. Hoc tamen potest aliquouis modo concedi: nempè fuisse Petrum alijs priorem Apostolis ætate, uel etiam fortè officio ad tempus, uel Apostolorum electione, ac proinde illum reuerebantur magnoq; in honore habebant. Deinde nusquam inuenimus apud sanctarum scripturarum authores, Petrum in reliquos Apostolos usum esse aliqua potestate, at potius æqualitate. Nõ enim propria authoritate determinauit eã, quæ dubia erant circa Euãgelij prædicationem. Sed tales communi omnium Apostolorum consensu fiebant delibera-

Cap. 11.

Cap.15. tiones. Vnde, ut in actis Apostolorum legitur, dissensione orta inter prædicatores Euangelij, an oporteret circuncidere fideles incircuncisos, quibusdã affirmantibus, & Paulo ac Barnaba reclamantibus, conuenerunt Apostoli, & seniores, ut diligenter uiderent de uerbo hoc. Super quo locuti sunt Petrus & Iacobus, non oportere, quorum sententiæ seniores & reliqui Apostoli consẽserũt. Dicitur enim eodem capite aliquanto inferius: tunc placuit Apostolis, & senioribus, cum omni Ecclesia, eligere uiros, & mittere Antiochiam &c. Scribentes per manus eorum. Modus uero scribendi conformis fuit modo deliberandi, talis inquam fuit: Apostoli, & seniores fratres iis qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex gentibus salutem &c. Mox etiam: placuit ergo nobis collectis in unum eligere uiros, & mittere ad uos &c. Rursus paulo post, uisum est Spirituisancto, et nobis nihil ultra uobis imponere oneris. Deliberauit ergo, dubium determinauit, elegit, & scripsit fidelium doctorum congregatio, & hac authoritate ualidum fuit sic determinatum, ac mandatum. Apostolorũ enim congregatio maioris authoritatis fuit, quam solus Petrus, aut quiuis alius Apostolus. Vnde legimus à congregatione

Acto.8. Apostolorum missum fuisse Petrum in Samariã: sic enim ait Lucas: cum autem audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria uerbum Dei, miserũt ad eos Petrum & Ioannem. Nunquam ergo Petrus in reliquos Apostolos exercuit potestatem, sed omnibus æqualis fuit.

Mat.23. Vnde Christus ait: nolite uocari rabbi: unus est enim magister Christus: omnes autem uos fratres estis, idest æquales, Dixit omnes, excipiendo neminem. Quæ sententia planè

confirmatur cum dicat Paulus: ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium: quòd prædico in gentibus. Vbi Augustinus inquit, & non didici ab illis, tanquam maioribus, à Petro scilicet, nec alijs principalioribus Apostolorum, de quibus infrà dicetur, sed contuli cum eis tanquam amicis & paribus. Idem quoque Paulus eodem in loco ait: cum autem uenisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti &c. Vbi Hieronymus inquit, ipsi nihil mihi contulerunt, sed ego contuli Petro. Ac deinde subiungit: ego restiti ei tanquam par: hoc enim non auderet facere, nisi sciret se non imparem fore. Sed quid pluribus uerbis opus est? Paulus inquit, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis Iacobus, Petrus, & Ioannes, ut nos in gentes, ipsi autem in circuncisionem &c. Dextras ait societatis, ergo & æqualitatis. Gala. 2.

Petrum superiorem esse omnibus aliis prælatis Ecclesiæ. Ac soluitur aduersariorum nostrorum argumentum.

Respondeo: non omnia scripserunt Apostoli, quæ nos oportebat scire, confiteri, et obseruare. Haud enim toto pectore in hoc studium ante omnia incubuerunt, ut nobis traderent historiam de Christo, deq; Apostolis, & discipulis eius, aut ad particulares Ecclesias ea scribebant, quæ apud illas in controuersiam ueniebant: cum ipsi alijs negocijs, uel etiam compedibus & cathenis propter Euangelium præpediti non haberent integrum huiusmodi Ecclesias inuisere. Tamen interim significabant per easdem epistolas, aut se præter illa quæ scribebãt, alia ordinauisse, aut ordinaturos, aut alia docuisse, aut docturos, cum præ-

sto essent. Subinde alia nuntijs, tabellarijsq;, uel referenda, uel facienda, commisisse: quemadmodum crebro in paulinis Epistolis uidemus. Itaque non omnia quæ tum credenda, tũ obseruanda sunt in uniuersali Ecclesia probari queũt per Apostolorum scripturas. Vnde satis superq; facimus, cum longam & perpetuam successionem & consuetudinẽ Ecclesiæ ad nos iam inde ab Apostolis emanantem, cũ testimonia patrum antiquorum, cum historias, & chronica denique allegamus: nec enim superest alia uia, qua tutò procedamus in rerum uetustarum iudicijs. Quando igitur eorum sanctißimorum patrum, qui contemporanei fuerunt Apostolis conspicuo testimonio probauimus antea: Petrum fuisse oĩbus antelatum, & iurisdictionis potestatem exercuisse: id facere satis debet aduersarijs nostris pro confirmando primatu Petri, ac Romani pontificis.

Quadruplicem esse paritatem, seu æqualitatem, & quomodo sint pares, aut æquales, ministri Ecclesiæ inter se.

AT, reclamãt aduersarij nostri, scripturæ sacræ planẽ ostendunt omnino pares & æquales inter se Apostolos fuisse. Respondeo: Paritas aut æqualitas potest quatuor modis intelligi. Aut enim est meritorum & sanctitatis paritas, aut sacerdotij, aut ministerij, ac dignitatis Episcopalis, aut omnino iurisdictionis. Primum igitur quoniam pro omnibus hominibus sanctificandis, & cum patre suo Deo reconciliandis mortuus est Christus, nulla personarum acceptio est apud Deum, nulli sunt certi gradus hominum alijs excellentiores, nullæ sunt nationes, quæ præferre se alijs nationibus queant. Sic enim Petrus conciona-

Acto. 10.

tur In ueritate comperio, quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam acceptus est illi: uerbum quod misit Deus filijs Israel annuntians pacem per Iesum Christum: hic est omnium dominus. Deinde sacerdotij æqualitate omnes qui sacris ordinibus legitime initiantur, fiunt pares in conficiendo sacramento corporis & sanguinis Christi, inque alijs rebus quæ ad claues ordinis pertinent, et ad non cohibitiuã iurisdictionem, quod sanè accipiendum est, non quantum ad usum uel actum secundum clauium, sed quantum spectat ad ipsam potestatem siue actum primum. In actu enim secundo aut usu clauium sunt impares, & inæquales, ut supra cũ de clauibus tractaremus, abunde fuit explicatum à nobis. Tertio, Episcopi omnes inter se pares sunt quantum pertinet ad officium conferendi sacros ordines, & confirmandorum fidelium, & breuiter pascendarum ouiũ Christi: quæ ipsorum curæ et uigilantiæ committuntur. Apostoli etiam paritate ministerij aut apostolatus, ĩter se procuIdubio erãt æquales. Omnes quidem a Christo indiscriminatim fuerũt missi ad prædicandam fidem, ad testificandum Euangelium ad fundandas Ecclesias in Christo, ad ea postremò facienda quæ expedirẽt, ut lõge lateq; in omni terrarũ orbe dilataretur sancta et catholica Ecclesia. Omnes etiã pares fuerunt æqualitate sacerdotij et Episcopatus. Postremò dignitate præsidẽtiæ, primatus, & iurisdictionis, præpositus est Petrus alijs Apostolis, ita Episcopis omnibus totius mũdi qui succedunt Apostolis præponitur Episcopus Romanus, qui Petro succedit. Quomodo autem Concilium subijciatur Papæ, quomodoue Papa Concilio subijciatur, paulo infer-

rius cumulate differemus. Neque id Petri contrarium est primatui, quod ipsum unà cum Ioanne miserunt Apostoli ad Samaritanos: non enim fuit missus Petrus cum Ioanne ab aliis Apostolis tanquam is qui haberet uniuersale regimen Ecclesiæ, sed tanquam instructor, doctor, & magister nempè ut Samaritanos doceret. Hoc modo Cornelius accer
Acto. 10. siuit Petrum, num ideò Cornelius fuit maior Petro? Imo cum in Samariam aliqui profecturi essent in causa præcipui momenti conueniebat, ut ea maxima prouincia maximo Apostolo commiteretur omnium consensu.

De Variis donis communicatis Petro.

ANnotatione uerò dignum est, Petrum dona quædam personalia habuisse, ut meritum, sanctimoniam uitæ, constantiam fidei, charitatem, scripturarum intelligentiam, & huiusmodi alia, quæ data erant illi peculiariter. Quantum ad talia pertinet, minime antelatus fuit omnibus, at contra, illi potius præferabantur aliqui ut forte Paulus, de quo ipse inquit Petrus, sicut et charißimus frater no
1. petri. 3. ster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit uobis.
Gal. 2. Paulus etiam ait de Petro, Iacobo, & Ioanne: mihi, qui uidebãtur esse aliquid, nihil cõtulerunt, sed contrà, cũ uidißẽt quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circuncisionis &c. Quibus etiam ex uerbis collige quantum ad prædicandum Euangelium, & ad fundandas Ecclesias attinet, Paulum fuisse Petro superiorem in gentibus, at in Iudeorum Ecclesia Petrum fuisse Paulo superiorem: idq; non ordinatione Christi, sed Apostolorum, non tamen sine uoluntate Christi, ne confusio ulla in prædicatione oriretur, sed magis omnia cum decoro & ordine fierent,

huiusmodi tamen erat illa ordinatio, ut & Petrus gentibus prædicaret, & Paulus Iudæis, siquando illud postularet negocium Euãgelij, nam uterq; inuẽitur utrũque fecisse. Præterea dona quædam habuit Petrus Ecclesiæ data, idest cathedræ, aut sedi, aut pontificali officio, ut habere claues super uniuersam terram, superq; uniuersum Christi ouile: ac tale priuilegium concessum dignitati proculdubio transit in successores. Quemadmodum igitur Ecclesiæ Romanæ pontifex Petró succedit, non in donis quidem personalibus, sed in cathedra, & regimine, & potestate, ita quoque succedit in priuilegijs datis cathedræ, aut sedi, & primatui Petri. Vtile fuerit hæc in memoria tenere, atque habere in promptu ad recte percipiendas complures tum sanctarum scripturarum, tum orthodoxorum patrum sententias. Denique Petrum non modo primatum habuisse, uerum etiam illum extra omnem controuersiam exercuisse, cum responderem ad quartum paulo ante argumentum, probaui testimonijs eorum, qui familiariter cum Apostolis conuersati sunt, ac præcipue Clementis, qui Petri & Pauli discipulus fuit, cuius testimonium extat in Canone. Dis. 80. c. in illis ciuitatibus.

Petrum habuisse a Christo immediate pastoralem dignitatem, alios autem Apostolos per Petrũ.

CAeterum ut magis magisq; perspicua fiat hæc tota difficultas, plane ostendamus, Petrum solum à Christo immediate consecutum fuisse pontificiam seu Episcopalem dignitatem: alios uero Apostolos à Christo per ipsum Petrum institutos, ordinatos, & factos omnino esse põtifices aut Episcopos. Omnes quidem Apostoli fuerunt indiscriminatim facti Apostoli & sacerdotes immediatè à

Christo, non tamen pontifices aut Episcopi.

Ante mortē Christi non oportuisse ut aut aliquis pōtifex aut Episcopus in Ecclesia Dei esset. Sed post eius mortem & resurrectionem.

PRincipio nullum esse pontificem aut Episcopum in Ecclesia oportuit ante mortem domini nostri Iesu Christi, qui regeret ac moderaretur habenas militantis Ecclesiæ: illam sanè gubernabat Christus, quantisper uiuebat in corpore mortis huius, nec ullo indigebat Vicario pastore. At postquam in triumphantem Ecclesiam abijt Christus nobis paraturus locum quos moriens & à mortuis resurgens è faucibus mortis eripuit, necesse fuit aliquem esse in Ecclesia, qui uices domini nostri Iesu Christi gerēs et premere, & laxas sciret dare iussus habenas. Quamuis enim ille sit nobiscum usque ad consummationem seculi spiritualiter, tamen oportet aliquem esse, qui sua corporali præsentia regat Ecclesiam: nec enim solo spiritu quemadmodum Angeli, sed spiritu et corpore constamus. Itaq; fecit Petrū Ecclesiæ pastorem & principem & Episcopum, quando post resurrectionem dixit ei: priusquam in cœlum ascenderet, pasce oues meas &c. Quem locum nos antea explicauimus. Quod autem Christus niminem ordinauerit pontificem aut Episcopum ante mortem et resurrectionem suā, ac Petrum solum ordinauerit postquam per gloriā patris ad inmortalem uitā reuocatus fuit, confirmari potest multorum patrum orthodoxorum testimonijs. Hieronym. quidem inquit, potestatem & Ecclesiæ ædificationem super Petro in futuro promissam, non in præsenti datam eße. Et Chrysostomus ait, credenda erat Petro populorum immu-

Super illud Matt. 16. tu es Petrus

Super illud

mera multitudo Vbi credenda est, futuri temporis. Et Ambrosius fidelior, inquit, factus est Petrus postquam fidem se perdidisse defleuit. Atque ideò maiorem gratiam adinuenit quàm amisit. Tanquam enim bonus pastor tuendum gregē accepit. Cum autem quod Ambrosius dicit, post mortem & resurrectionem contigerit, manifestum proculdubio est propositum nostrum. Idem quoque testatur Gregorius dicens, considerandum nobis est, cur omnipotens eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ uocem pertimescere, & seipsum negare permisit, quod nimirū actum magnæ pietatis dispensatione cognoscimus, ut is qui futurus erat pastor Ecclesiæ in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset.

Luc. 22. facta est contentio inter eos.
Dis. 50. c. fidelior.
In homo. domini cœre. surr. et habetur dis. 50. c. cūsiderandū.

Quomodo intelligantur patrum sententiæ, quibus dicunt Petrum fuisse ante mortem Christi Episcopum.

SI uero dicat Anacletus, ipsi Petro pontificatus primo datus est, dicēte domino, tu es Petrus &c. Deinde Chrysostomus super illud facta est contentio inter eos, ait, traditæ erant Petro claues regni cœlorum. Et idem super illud Matthæi, super hanc petram, hic erigit, inquit, eius sensum, & eum pastorem facit Deinde Rabanus dicit super illud, tibi dabo claues: Petrus specialiter claues regni cœlorum, & principatum iudiciariæ potestatis accipit. Si plures inquam orthodoxi patres, & sapientißimi doctores, uideātur innuere, Petrum factum esse pastorem, ac pontificem, aut Episcopum ante mortem Christi, omnes intelligendi sunt, quod loquantur non de communicatione, sed tantum de promißione pontificatus aut episcopatus, et iudicia-

Dis. 21. ca. in nouo.
Luc. 22. cap. 16.
Mat. 16.

riæ potestatis, neque moueat quenquam, quod illi uerbis utantur præteriti temporis: id enim faciunt more Prophetarum, ut significent diuinæ promißionis certitudinem atque immutabilitatem.

Nullum Apostolum præter Petrum factum esse a Christo immediate Pastorem aut Episcopum, sed omnes a Petro.

Ostendimus Petrum fuisse consecutum à domino nostro Iesu Christo immediate pontificiam & episcopalem dignitatem post mortem & resurrectionem ipsius Christi. Iam exeramus & probemus alios Apostolos haudquaquam esse factos Episcopos & pastores immediate à Christo, sed per iam pontificem Petrum. Primum quidem fieri non potest, ut Apostoli ante cœnam extremã, qua cœnauerunt cum Christo, fuerint Episcopi, quandoquidem ante illam cœnam erant nequaquam sacerdotes: assumpti enim fuerunt ad sacerdotium in ultima cœna. Præterea minime facti sunt Episcopi & pastores à Christo in ea sacratißima cœna, cum eis dixit, hoc facite in meam commemorationem, quamuis per ea uerba instituti, ac ordinati fuerint sacerdotes: amplius enim per consecratoria uerba minime fit, quàm ipsa uerba significent, nisi propter concomitantiam, et inseparabilem, aut accessoriam uerborum significationem: potestas uero Episcopalis & pontificia, nec est concomitans nec accessoria ullo pacto ad sacerdotalem ordinem, ac uerba illa quidem non indicant nisi purum & nudum actum sacerdotalem, qui nimirum est in facultate simplicis cuiusuis sacerdotis: nempè corpus & sanguinẽ Christi consecrare, quod insinuat dicens, hoc facite, nempè quod

Luc. 22.

feci ego

feci ego in euchariſtia, nimirum corpus et ſanguinem meũ ſub ſpeciebus panis & uini eſſe. Deinde Chriſtus minimè fecit, ut Apoſtoli eſſent Epiſcopi et paſtores Eccleſiæ poſt reſurrectionem ſuam, cum dixit eis, *accipite Spiritumſan. quorũ remiſeritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta ſunt.* Quippe cum uerba illa dicuntur ab Epiſcopis, dum ordinant ſimplicem quemlibet ſacerdotem quo uidelicet ubi poteſtatem ſuper uerum & naturale corpus & ſanguinẽ Chriſti acceperit in traditione calicis cũ pane et uino, ꝑ uerba illa ſibi dicta, *accipite poteſtatẽ &c.* poteſtatem quoque per hæc ipſa uerba ſine dubio accipiat ſuper corpus myſticum Chriſti in foro quidẽ ſecretiſsimo conſciẽtiæ. Quæ profecto eſt dũtaxat habitualis nõ actualis poteſtas, aut poteſtas in actu primo, non in actu ſecundo. Non enim poſſunt omnes indiſcriminatim ſacerdotes abſoluere, quippe cum neutiquam omnes habeant ſubditos. qua de re ſupra diximus. Præterea ſi Apoſtoli oẽs abſque diſcrimine per hæc, aut alia uerba inſtituti ordinatiq; fuiſſent Epiſcopi et paſtores, nõ ergo Petrus fuiſſet prius alijs ſed ſimul cum alijs inſtitutus ordinatusq; põtifex aut Epiſcopus & paſtor, quod abſurdum et erroneum eſſe planè oſtendimus, quod etiam repugnat Anacleto dicenti, Petro primo pontificatus in Eccleſia Chriſti datus eſt.

Ioan. 20.

Diſ. 27. ca. in nouo.

Omnes Apoſtolos fuiſſe a Petro inſtitutos ordinatosque paſtores, aut Epiſcopos.

POſtquam, ut puto, uidimus aperte, neminem, præter Petrum, inſtitutum ordinatumq; immediate a Chriſto pontificem, Epiſcopum, & paſtorem: deinceps uideamus alios omnes inſtitutos ordinatosq; fuiſſe Epiſcopos

uel immediate uel mediate a Petro. Anacletus inquit. porrò Hierosolymitanorum primus Archiepiscopus beatus Iacobus, Alphæi filius, a Petro, et Iacobo Zebedæo, et Ioãne ordinatus est Apostolus, & sanè de hoc Iacobo Alphæi, quod uera generaliq; ordinatione fuerit a Petro cum alijs duobus Apostolis Zebedæi filijs ordinatus, haud dubie testatur Remigius dicens, Cuius meriti fuerit beatus Iacobus testes sunt Apostoli, qui eum Episcopum Hierosolymitanorum ordinauerunt. Hinc uero sumpta est aliorum in Ecclesia Episcoporum ordinationis forma, ut Anacletus ait eodem in loco, nempe ut Episcopus unus, a tribus Episcopis ordinetur. Deinde Marcellus Papa inquit, ad sedẽ Romanam omnes confugere debent, ut inde accipiant tuitionẽ unde acceperunt consecrationem. Ergo Apostoli consecrati fuerunt a Petro: alioqui non dicerentur alij Episcopi a Romana sede accepisse consecrationem. Præterea Clemẽs uocat Petrum non modo institutorem, magistrum, & principem Apostolorum, uerumetiã ordinatorem, inquit enim: Petrus magister, institutor, & princeps Apostolorum, atque eorum ordinator fuit.

Dis.67. ca. porro.

Super Mat. cap. 4. vbi Apostolorum nomina recitantur.

In Epistola sua prima.

in, 2. epist.

Qualis fuerit progressus in Episcopali ordinatione Apostolorum.

ITaque in episcopali Apostolorum ordinatione huiusmodi fuit processus: solus Petrus immediate a Christo post ipsius Christi resurrectionẽ institutus ordinatusq; fuit Episcopus, aut põtifex, et pastor Ecclesiæ, at post spiritussancti mißionẽ Petrus solus Episcopus Ioãnẽ fecit Episcopum. Deinde Petrus non sine consensu Ioannis fecit Iacobũ Zebedæi Episcopũ, ac porro statuit Petrus, ut dein-

ceps quilibet Episcopus a trib. ordinaretur Episcopis. Vnde ipse cum duobus prædictis Episcopis Iacobum Alphei ordinauit. Quòd si non semper ad unguem obseruata fuit hæc ordinandi forma, id contigit, præsertim in primitiua Ecclesia, propter Episcoporum paucitatem, cum Apostoli essent in uarijs diuersisq; mundi regionibus, & prouincijs dispersi, filij uero Zebedæi a Petro fuerunt eo prius alijs Apostolis ordinati Episcopi, quod erant alijs maiores atque honorabiliores, quandoquidem eos Christus una cum Petro ferme semper alijs prætulerat, ut in transfiguratione, in suscitatione filiæ Archisynagogi, in oratione quam ad patrem effudit in horto, & sæpe alias. Ex quo de filijs duobus Zebedæi Theophilus probe inquit, solum hos intromisit tanquam discipulorum uertices: porrò hac eadem ratione ordinauit Ioannem ante Iacobum, quod enim Ioannes fuerit maior fratre suo Iacobo, quamuis minor natu esset innuit glos. Chry. in Mat. dicens: Marcus quidem ex dignitate ipsos numero collocauit, post duos enim uidelicet Petrum & Ioannem qui apicem Apostalatus tenuerunt, Andream posuit, Mattheus uero non ita. Item Chrysostomus ait, Vides non ex dignitate ipsos numerari: nam mea quidem sententia, Ioannes non solum illis qui post illum numerantur, uerumetiam fratre maior erat. Porrò illud annotatione dignum est, quod Petrum, quantum ad sacerdotium pertinet, non fuerit maior alijs Apostolis, simpliciter enim sunt æquales inter se omnes sacerdotes ratione sacerdotij. Quam quidem æqualitatem ut plane ostenderet Christus, non prius initiauit sacerdotio Petrum, deinde alios, at simul initiauit omnes indiscriminatim sacerdotio in ultima

Dis. 67. ca. Porro.

Super Lu. cap. 6.

Super illud & Andreas frater. c. 10. Super illud Iacob. Zebedæi & Ioan. frater eius.

potestatem.

Ex prædictis nonnullæ soluuntur dubitationes.

EX his, quæ diximus, patet, quomodo Anacletum ex ponere conueniat, cum inquit, in nouo testamento post Christum a Petro sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo pontificatus in Ecclesia Christi datus est. Exponitur inquam, sacerdotalis, idest pontificalis: quemadmodum sacerdos aliquando exponitur pro Episcopo: sed tunc minimè agitur de simplici sacerdote. Præterea constat, ubicunque dicitur, uel in scripturis, uel in orthodoxorum patrum libris, Apostolos ordinatos esse a domino nostro Iesu Christo Episcopos, illud nō immediate, sed mediate, ac per alios tanquam per ministros suos, qui iurisdictionem habuerint a Petro, accipiendum eße. Denique perspicuum est, omnē ecclesiasticam iurisdictionem, tum in foro conscientiæ, quantum ad actum secundum, quantumq; ad executionem pertinet, tum in foro iudiciali, simpliciter communicatam soli Petro esse immediate a Christo. Deinde a Petro fluxisse in alios, qui sunt ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei, quod autem dicimus de Petro, intelligendum est etiam de legitimis Petri successoribus, hoc est de Romanis pontificibus. Item, quod de alijs Apostolis dicimus, qui ordinati fuerunt Episcopi & pastores Ecclesiæ, quique iurisdictionem Petri authoritate habuerunt, similiter intelligēdum est de Apostolorum successoribus canonicis et legitimis. Quod uero Papa dicatur alicubi Vicarius Petri, id nō arguit Papā nō immediate a Christo, sed a Petro, dignitatem habere pontificiam: Petrus enim cum esset Vicarius

Dist.21. ca. in nouo.

De consec. dist.1.c. solēnitates.

Dist.63. ca. Ego Ludouicus.

Christi, non potuit aliũ sibi Vicarium subrogare. Itaque Papa eò Vicarius Petri nonnunquam dicitur, aut quòd ei legitime succedat, aut quòd Vicariam gerat potestatem, quam Petrus olim gessit.

Extra de offic. Vic. cap. Clericos.

Variæ aduersariorum nostrorum opiniones recitantur, a quo sit pontificia dignitas.

CAeterum aduersarij nostri uehementer hoc in loco uociferantur & reclamant. Eorum enim alij contendũt pontificiam dignitatem ab Apostolis dependere, non immediate a Christo, quippe cum Anacletus de Petro loquens dicat: cæteri uero Apostoli cum eo pari consortio honorem & potestatem acceperunt: ipsumq́; principem esse uoluerunt. Alij a Concilijs pontificatum esse primatumq́; Romæ. Episcopi eò asseuerant quòd Hieronymus dicat: olim idem erat presbyter, qui & Episcopus, & antequam Diaboli instinctu studia uel schismata in religione fierent, & diceretur in populis: ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ: communi presbyterorum Concilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam autem unusquisque eos, quos baptizauerat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris superponeretur, & schismatum semina tollerentur: ac paulo post, sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit esse subiectos, ita ipsi nouerint, se magis consuetudine, quàm dispensationis dominicæ ueritate, presbyteris esse maiores: et in cõmuni debere Ecclesiã regere. Alij papalē excellētiam Constãtino acceptã referunt, quandoquidē Syluester Papa inquit, Cõstantinus Imperator quarta die sui baptismi priuilegiũ Romanæ Ecclesiæ põtifici con

Dis. 21. cap. in nouo.

Dis. 95. cap. olim.

Dis. 96. cap. Constantinus.

tulit,ut in toto orbe pōtifices uel ſacerdotes ita hunc caput habeāt,ſicut iudices regē. Et paulo poſt, Decernētes ſancimus,ut principatū teneat tā ſuper quatuor ſedes, Alexādrinā, Antiochenā, Hieroſolymitanā, Conſtantinopolitanam, quàm etiam ſuper omnes in uniuerſo orbe terrarum Eccleſias Dei, & Pontifex, qui per tempora ipſius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ extiterit, celſior & princeps cunctis ſacerdotibus, & totius mundi, exiſtat, & eius iudicio, quæ ad cultum Dei, uel fidem chriſtianorum, uel ſtabilitatem procuranda fuerint, diſponantur. Alij malunt pontificatum eſſe a Cardinalibus pontificem eligentibus. Gradus enim uidetur ab ijs eſſe, qui hominem aliquem prouehunt ad eiuſmodi gradum, imo ne poteſt quidem Papa exercere illa, quæ ad Papam ſpectant, niſi prius ungatur, & coronetur. Denique alij aſſeuerant poteſtatem quidem pontificis a Chriſto immediate profluere, ſed poteſtatis uſum ab Eccleſia.

Reijciuntur aduerſariorum noſtrorum iam recitatæ opiniones.

SEd falluntur etiam atque etiam aduerſarij noſtri, primum ſanè, cum duplex ſit uoluntas, una quidem antecedens, ordinans, & diſponens. Altera conſequens, obediens, & acceptans diſpoſitionem. prima uoluntate Chriſtus uoluit. Apoſtoli autem altera uoluntate uoluerūt Petrum eſſe principem, quantum ad pontificiam authoritatem & dignitatem pertinet, qui tamen in ſacerdotio pari conſortio honorem & poteſtatem acceperant, ut quatenus ſacerdos alijs minime antecelleret: ſed quatenus Pontifex, Epiſcopus, & Paſtor. Ac iſta quidem eſt Anacleti ſententia. Deinde non poteſt Romani Pontificis prima-

est non modo potestatem, uerum etiam potestatis usum a Christo esse immediate: ac propterea necessarium est fateri, Papam subijci duntaxat Deo, & domino nostro Iesu Christo: quãdoquidem ab eo solo pendet. Et quidem ex his nemo est qui non facillime uideat, summi pontificis iurisdictionem & potestatem à Deo tantum posse tum augeri, tum minui: idq; non solum quantum ad primum actum pertinet, uerum etiam quantum ad secundum actum: qui proculdubio est ipse potestatis usus.

Opinio quorundam catholicorum putantium vsum pontificiæ potestatis a generali Concilio pendere.

NOnnulli qui habentur & sunt catholici, arbitrantur potestatem quidem pontificiam, & a nullis unquam posse hominibus de medio tolli, aut ulla ex parte imminui: sed posse tamen existimant Concilium generale huiusmodi potestatis amplitudinem facere aliquanto angustiorem, quantum spectat ad usum: imo sic eam restringere, ac suspendere, ut non queat ullo modo Papa exercere potestatem suam: nisi quatenus decreta & constitutiones generales Concilij sibi ante oculos proposuerit, a quibus ne latum quidem unguem licebit summo Pontifici discedere.

Refellitur iam recitata opinio.

SEd ij uehementer decipiuntur: cum enim potestate iurisdictionis Papa sit maior Concilio, quandoquidem Papæ data est plenitudo potestatis immediate ab ipso Deo, & præter Papam nemini: Quomodo fieri potest, ut concilium eum liget, aut eius usum potestatis impediat,

a quo ſine dubio pendet? Cum igitur Papa diuino iure uniuerſali præſit Eccleſiæ: nemo eſt cuiuslibet aut ſtatus, aut conditionis, ubiuis nationum chriſtianarum, qui non teneatur ei prorſus obedire. Vnde Gregorius probè inquit: peccatum paganitatis incurrit quiſquis, dum chriſtianum ſe eſſe aſſerit, ſedi apoſtolicæ obedire contemnit. Et Gratianus ait: obedientiam inferiores ex ordine ſuperioribus debent. Summo enim pontifici ea debetur ab omnibus, obedientia ut nulli liceat ei comunicare, cui pro actibus ſuis inimicus ipſe extiterit: nec in Eccleſia eſſe poterit, qui eius cathedram deſerit. Deinde conſtat ex his nulla ſtatuta, nulla decreta, nullas ordinationes, etiamſi a Concilijs emanarent, ualiditatem habere, niſi poteſtate confirmentur ſummi pontificis: a quo ubi confirmata fuerint, omnes fideles haudę dubie tenentur illis obtemperare.

Dis. 81, cap. ſequi ſunt.

Quomodo intelligatur, poteſtatem eccleſiaſticam datam eſſe vniuerſali Eccleſiæ.

Porrò quoniam aduerſarij noſtri contendunt, omnem eccleſiaſticam poteſtatem non Petro, ſed Eccleſiæ datã eſſe: uerbaq; omnia dicta, uel Petro, uel cæteris Apoſtolis, a Chriſto in hoc propoſitum omnino referenda eſſe ad catholicam & uniuerſalem Eccleſiam, operæpretium eſt animaduertere, quod aiunt illi, datas hauddubie claues omnemq; poteſtatem uniuerſali Eccleſiæ: id poſſe trifariã capi: Atque ita primo quidem, ut ſint communicatæ ſingulis Eccleſiæ membris diuiſim. Et ſanè hoc modo Valdenſes intelligebant. Sed eorum impia hæreſis iam olim condemnata eſt ab orthodoxis patribus. Deinde ſic intelligi poteſt, ut ſimul & coniunctim datæ ſint omnibus Eccleſiæ

membris: quemadmodum in republica, siue in senatu ciuilis potestas in omnibus simul patricijs & senatoribus est. Nos uero loco suo plane ostendimus hunc sensum erroneũ & absurdum uehementer esse. Denique ita sumitur, ut nec singulis, nec omnibus, nec coniunctim, nec diuisim, Ecclesiæ membris datæ sint: uerum duntaxat certis definitisq; personis, iuxta certam definitamq; mensuram, & uni omnium supremo, nempe Romano pontifici, iuxta plenitudinem potestatis. Ac isto modo intelligi debent omnes catholici, & pij auctores, cum interdum aiunt, dominum nostrum Iesum Christum dedisse claues, & ecclesiasticam omnem potestatem uniuersali Ecclesiæ. Quotquot uero pertinaciter huic sensui repugnant impij, & hæretici sunt. Præterea satis superq; falluntur aduersarij nostri, cum existimant dicta omnia uerba in hoc propositum, uel Petro, uel cæteris Apostolis, referenda esse ad uniuersalem Ecclesiam, ad membraq; ipsius Ecclesiæ, aut singula, aut omnia: idq; aut coniunctim, aut diuisim. Christus enim permulta dixit tum Petro, tum alijs Apostolis: quæ nec fidelium uniuersitati, nec singulis membris Ecclesiæ congruunt. Vt uerba illa, beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi. Et illa, tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et illa, Simon Ioãnis pasce oues meas &c. Ecclesia nimirum est grex, non pastor. Et ne illa, quidem Apostolis omnibus, dicta, referri queunt ad uniuersalem Ecclesiam: Vos, estis sal terræ. Nã probe inquit Hieronymus: sal dicuntur Apostoli, quia per illos uniuersum hominum conditur genus. Neque illa: amen dico uobis, uos qui secuti estis me, in regeneratione, cum se-

Matth. 16. Luc. 22. Ioan. ult. Matth. 5. Matth. 19

Vniuersalis autem nec etiã Romanus pontifex appellatur.

Quamuis Papa non sit uniuersalis Episcopus aut pastor, tamen est ipsius vniuersalis Ecclesiæ pastor aut Episcopus. Ac soluitur aduersariorum nostrorum argumentum.

Respondeo: loco illo, quem aduersarij nostri allegant, ait Gregorius: cura totius Ecclesiæ, & principatus Petro committitur, & tamen uniuersalis pastor non appellatur: quibus uerbis tametsi uetat Romanum pastorem, dici pastorem uniuersalem, ei tamen fatetur Ecclesiæ totius curam esse commissam. Quare planè intelligendum est, aliud esse dici pastorem uniuersalem, aliud uniuersalis Ecclesiæ pastorem: atqui sententia Gregorij est: ut is uniuersalis pastor sit, qui solus pastor aut Episcopus æternus est: ita quidem ut cæteri sint eius Vicarij, & rectores Ecclesiarum, non æterni, sed temporarij, nimirum quantisper degunt in Ecclesia militante. Solus Christus igitur uniuersalis pastor est: quemadmodum canit Ecclesia in præfatione Apostolorum dicens, te domine suppliciter exorare, ut gregem tuum pastor æterne non deseras: sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, ut ijsdem rectoribus gubernetur, quos operis tui uicarios eisdem contulisti præesse pastores. Deinde is catholicæ atque uniuersalis Ecclesiæ pastor, qui tamen ipse nequaquam est uniuersalis, hoc est æternus pastor, intelligitur qui habenas totius Ecclesiæ moderatur uicaria potestate: tanquam minister & seruus seruorum Dei, atque isto modo in parti-

cularibus Ecclesiis particulares Episcopi sunt: in uniuersali tamen Ecclesia unus Episcopus est, a quo pendent reliqui. Vt paucis me expediam, Papa est universalis pastor universitate quidem Ecclesiæ, non durationis uniuersitate. Christus autem solus utraque uniuersitate uniuersalis pastor est. Deinde Concilium Carthaginense tertium, & similiter Aphricanum, cauit humilitatis causa, ut primæ sedis Episcopus non uocaretur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos: sed primæ sedis Episcopus. Ita quoque humilitatis causa uocat se Papa, cum sit maximus Pontifex, seruum seruorum Dei. Præterea citata illa Concilia, ut quod res est magis aperiamus, non de primatu Romani pontificis loquuntur: Sed tantum de patriarchali sede, ut Gloss. in Gratianum indicat: in illis quidem Concilijs deliberatum fuit ab Aphricanis Episcopis, ut primates eorum quales erant Episcopus Carthaginensis, & Numidiæ, & Mauritaniæ, atque alij, minime gloriosos titulos, & iurisdictionem sibi arrogarent. Et uerba illa uniuersalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur: haud quaquam sunt uerba Cociliorum, sed Gratiani: quod, cum aduersarij nostri minime animaduerterint, errauerunt. Deinde quamuis Gregorius, & Pelagius etiam Papa uniuersalitatis nomen ac titulum recusauerint: non tamen propterea (ut aliter quoque soluamus argumentum) recusauerunt Ecclesiæ Romanæ primatum, quod in eorum scriptis manifestißimum est: uerum negauerunt posse quemquam ita Episcopum esse uniuersalem, ut peculiaris etiam rector & gubernator esset uniuscuiusque particularis Ecclesiæ. Nam alioqui frustra eßent, præter unum illum uniuersa-

Dis. 99. ca. primæ sedis.

lem Episcopum alij omnes Episcopi. quod omnino pugnat cum institutione Christi, qui uoluit ut Apostoli omnes forent Episcopi, & Petrum eorum caput, & principem. Ita quidem ut Episcopi omnes a Romano penderēt Episcopo.

Quatuor difficillimæ aduersariorum nostrorum quæstiones.

QVoniam aduersarij nostri uehementer dissentiunt a nobis in negotio de potestate Conciliorum & Papæ: idcirco quanta potero breuitate ad quatuor difficillimas aduersariorum quæstiones respondebo. Quarum prima est: quis habeat ius conuocandi generale Conciliū. Secunda, qui debeant esse in generali Concilio iudices. Tertia, utrum generale Concilium sit supra Papā. Quarta, utrum generale Concilium legitime cōgregatum, Papa sine ipsius Concilij consensu aut dissoluere, aut transferre, aut prorogare ad tempus aliud authoritate sua poßit.

Ad primam quæstionem: penes Papam esse ius conuocandi generale Concilium.

MInistri Ecclesiæ, ut supra ostendimus, potestatem habent ecclesiasticam, ut claues, & iurisdictionem: ergo etiam ius conuocandi generale Conciliū est penes ipsos. Quoniam uero sparsim in remotißimis prouincijs commorantur: neque agere possunt de uocandis in Concilium patribus: nam hoc esset propemodum agere ipsum Concilium, ac si omnium indiscriminatim esset hoc munus, quis eorum alios excitaret? aut quis referret in consultationem, esset necne celebrandum Concilium? an non id singulis uarsaretur in animo? hoc totius Ecclesiæ, aut ministrorum omnium est officium. Quid igitur ego faciam?

nunquid soli mihi uendicabo quòd uniuersorum est? itaque, ne sim audacior quam par est, aliorum sententiam expectabo. Atque ita nullum unquam celebraretur Concilium. Propterea inquam necessarium fuit, ut ius conuocandi generale Concilium esset penes aliquem unum qui supremus est in Ecclesia minister. quem uocamus Papam & summū Pontificem: cuius primatum iam antea confirmauimus. Ac ne fortè fortuna usu ueniat aliquoties, ut is uel ignoranter uel per ignorantiam aliquid in moderanda christiana republica efficiat, ut inquam planè sciat temporum opportunitates, quibus uocandi sint patres ex quibuscunque orbis christiani regionibus ad Concilium generale, in locum tantæ rei gerendæ utilem & commodum, probe additi sunt ei cōsultores tanquam reipublicæ christianæ senatores: Qui optimis de causis appellati sunt Cardinales: de quibus tractatum fuit a nobis antea. Quæ in præsentia dicimus confirmantur Damasi authoritate: qui quidem ait: Nam ut nostris, Synodum sine eius, uidelicet Romanæ sedis, authoritatè fieri non est catholicum: nec Episcopus nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica uocatione congregata, diffinite damnari potest. neque ulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta apostolica authoritate. hæc Damasus: Cæterum hanc potestatem congregandi generale Concilium esse in Papa solo patres Nicænæ Synodi planè ostendunt, cōmuni quidem consensu decernentes ut generalia Concilia non liceret sine Romano Pontifice unquā celebrare: quemadmodum ex Athanasij epistola constat, quam ad Felicem Romanum Pontificem scripsit. Galla quoque Theodosij Augusti mater ad filium scripsit: legatos Romani

In epistola ad Stephanum, & ad concilium Aphricæ.

tos Romani

tos Romani Pontificis in Concilijs præsidere iuxta synodi Nicænæ definitiones. Hoc Marcellus etiam Papa et martyr confirmat, atq; ordinatum ac traditum esse ab Apostolis & eorum successoribus, ut sine Apostolicæ sedis authoritate Concilium congregare liceat nemini. Vnde ille idē ad Maxentium Imperatorem, quem etiam tyrannum uocauit, scripsit: ei minime licitum esse authoritate propria Concilia congregare. Deinde Pelagius secundus in epistola sua idem fatetur, ac præterea quidem authoritate Petri Principis Apostolorum iubet irrita esse omnia, quæ in Cōstantinopolitana Synodo absque authoritate sua congregata fierent. In Synodo contra Symmachum Papam congregata iussu Theodorici auditum est, Concilium sine Papæ authoritate congregari non posse: quippe cum patres illi congregati statuerunt ad Papam, quamuis etiam esset accusatus, pertinere, illam Synodum congregare, atque authoritate sua, ne irrita esset, illam probare. Mileuitanum Concilium authoritate Innocentij primi quemadmodum ex illius quidem scriptis ad ipsum Concilium missis patet congregatum fuit. Valentinianus & Marcianus Augusti ad Leonem scripserunt, eum rogauerunt, ut ipsius authoritate magna Synodus Calcedonensis celebraretur. Argumenta quæ fieri solent ab aduersarijs nostris nullo propemodum negotio diluuntur.

In regis Innocē. ad cōcil. Mileui.

In Epistola eorum ad Leonem.

Soluuntur aduersariorum nostrorum argumenta quibus probare nituntur, ius conuocandi generale Concilium non esse penes Romanum Pontificem.

Matth. 7.

PRimum argumentum: Christus reliquit Ecclesiæ

mandatum cauendi a Pseudoprophetis: ergo & simul dedit Ecclesiæ toti conuocandi generale Concilium: in quo ueritate dilucidata uincuntur falsi doctores: & uicti pertinaces ab Ecclesia dirimuntur. Sed Ecclesia constat ex laicis, & clericis simul: ius igitur conuocandi generale Concilium, non solum est penes clericos uerum etiam penes laicos. Respondeo, Officium & munus docendi est duntaxat ministrorum Ecclesiæ; solis enim ministris dicitur: prædicate Euangelium. Et docete omnes gentes. Hoc uero idem Paulus in epistolis ad Timotheum, & ad Titum manifestissime ostendit. & in priore ad Corinthios epistola, cum esset minister, ait, uæ mihi si non Euangelizauero: si enim uolens hoc ago, mercedem habeo: sin autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Christus igitur mandatum Ecclesiæ toti reliquit cauendi a Pseudoprophetis: non omnibus tamen Ecclesiæ membris eodem modo: sed Episcopis, ut uel sanam doctrinam prædicent, uel mittant synceros prædicatores, ut ea quæ desunt corrigant, & constituant per ciuitates presbyteros. Laicis uero, ut audiant uerbum Euangelij a ueris Euangelistis: alioqui si docerent, iam essent ministri: quod nemini licet, nisi per manuum impositionem presbyteri. Male igitur aduersarij nostri colligunt ex uerbis Christi argumentum suum, fieri tamen potest aliquoties, ut ij, quorum interest ad generale Concilium proficisci contumaces, & rebelles sint: ac nolint summo Pontifici obtemperare: aut quia seditiosi sunt ac hæreticis prauitatibus corrupti: aut ob quaslibet rationes alias. tum Papa tanquam is penes quem est ius conuocandi generale Concilium integrum habet committere

Marc. 16. Matt. 28.

Cap. 9.

Ad Tit. 1.

orus & prouinciam conuocandi Concilium imperatori: qui, cum patronus Concilij sit, protector & conseruator, cumq; diuina institutione gladium gerat, potest facinorosos contumaces, schismaticos, seditiosos, hæreticos, aut punire, aut cogere illos, ut accersiti appareant in Concilio. Papa inquam potest honestis de causis tanto in negotio auxilium petere a iustis Regibus, a sanctis principibus, a magistratibus incontaminatis, ab orthodoxis Rebuspublicis, ut eorum fauore inuitis hæreticis, & perniciosissimis uiris dissipentur conciliabula, & eorum auxilio sacrosanctũ celebretur Concilium. Sic legitur Constantinus Cæsar conuocasse Nicænum Concilium: sic Thæodosius Ephesinum instituisse: sic Constantinus quartus Byzantij Concilium celebrasse: sic alia, atque alia Concilia fuisse coacta iussu Cæsarum latet neminem historiarum studiosum. Et neminem fugit, qui præcipue legerit Isidori librum, in quo gesta Conciliorum accuratissime collegit. Primum quidem ait: ibi Arrium trecentis decem & octo residentibus Episcopis adesse iubet Constantinus ac de eius propositionibus iudicare (uidelicet Episcopos) Item sancta & magna, inquit, & uenerabilis Synodus, quæ secundum gratias Dei ex decreto pijssimorum Imperatorum Valentini, & Marciani congregata est. Amplius anno, uero, ait, orthodoxi, atque gloriosi, & uera clementiæ dignitate præcipui Recessiunchi regis, Cum omnes nos diuinæ ordinatio uoluntatis eiusdem principis serenissimo iussu in Basilica sanctorum Apostolorum ad sacrum Synodi coegisset aggregari conuentũ. Porrò multis alijs in locis hoc idem facile est uidere apud eundem Isi-

Cap. cui titulus incipit, præfatio, Nicæni concilij Cap. cui titulus incipit cõcilium. 630. episcoporũ Cap. cui titulus explicit cõciliũ Thole. 7. incipit. 8. Cap. cui titulus concil. Thole. 11. explicit incipit. 12. &c. cui tit. explicit cõci. Bracharen. 1. incipit secũdũ

dorum. Et in Epistola etiam Leonis Papæ Romani ad Synodum Ephesinam. Et in epistola eiusdem Leonis ad Theodosium Imperatorem. et in epistola Leonis Episcopi Marciano Augusto, quæ incipit, poposceram. Et in Epistola ad Marcianum Episcopum, cuius initium est, multa mihi in omnibus. Et compluribus denique alijs in locis narratur, Concilia fuisse a principibus congregata. quod semper intelligi debet factum eße authoritate summi Pontificis.

Secundum argumentum: Tempore Apostolorum ius conuocandi generale Concilium nulli erat priuatum: ergo neque debet nunc alicui esse priuatum. Antecedens proba-
Cap. 15. tur bifariam. Primum legitur in actis Apostolorum, quod conuocatio totius Ecclesiæ consensu facta fuerit. Deinde cum esset celebranda Synodus super quæstione circuncisionis, Ecclesia statuit, non unus, aut alter ut Paulus, & Barnabas: & quidem cum illi proficiscerentur Hierosolymã ad Apostolos & presbyteros causa celebrandi Concilij. Respondeo: cum tempestate illa, qua Apostoli conuenerunt, quemadmodum Lucas narrat in actis Apostolorum, Ecclesia non esset in admodum remotis prouincijs, potuit consensu omnium celebrari Synodus: nec tamen propterea sequitur penes omnes fuisse ius conuocandi generale Concilium. Deinde nego ætate Apostolorum conuocationem totius Ecclesiæ consensu factam aliquando fuisse, sed cum in cœnaculo essent quodam ferè centum uiginti, exurgens Petrus in medio discipulorum dixit: uiri fratres &c. Secundam, quæ habita est pro septem Diaconorum ele-
Acto. 1. ctione tota Ecclesia nunquam uocauit: neque principes, neque laici ulli sed Apostoli, hoc est Petrus cum alijs.

Quemadmodum etiam Papa cum suis consultoribus prudentissimis Cardinalibus eos ad Concilium uocat: quorum sit uel necessaria uel utilis opera. Sic enim legimus: conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: non est æquum &c. Porrò quis tertiam Synodum conuocauerit, quæ habita est propterea quòd surrexerant quidam de hæresi pharisæorum, qui crediderant dicentes: quod oporteat circuncidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi: non explicat historia actorum apostolicorum: Sed tantum ait: conueneruntq; Apostoli & seniores uidere de uerbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: uiri fratres &c. sed quia non potuissent omnes conuenire in locum unum & certum nisi per aliquem uocati fuissent: proculdubio necessarium est confiteri, ius conuocandi alios penes aliquem unum fuisse. Itaque decipiuntur aduersarij nostri putantes conuocationem, totius Ecclesiæ consensu ætate Apostolorum factam esse. Ad rationem alteram qua probare antecedens moliuntur omni studio & conatu, Respondeo: cum Antiochiæ quidam descendentes è Iudæa impie docerent fratres, nisi circuncidamini secundum morem Moisi non potestis saluari: tum Ecclesia non uniuersalis, sed Antiochena, idest congregatio fidelium qui tunc erant Antiochiæ, ut certior fieret de pura & sana doctrina, misit Hierosolymam Paulum, & Barnabam, & quosdam alios tanquam nuntios suos ad Apostolos, & presbyteros, ut eos consulerent super quæstione illa de circuncisione. Hinc autem sequi non potest ius conuocandi generale Concilium esse penes totam, & uniuersalem Ec-

Acto. 6.

Acto. 15.

clesiam: sed magis hoc sequitur: quod siquando in aliqua particulari Ecclesia, uel propter falsos prædicatores, uel propter alias causas oriantur quæstiones circa negotium fidei quæ turbent fidelium conscientias: tum ea particularis Ecclesia debet eo mittere aliquos nuntios, ubi legitimus Petri successor est, cum aliorum Apostolorum successoribus, cum presbyteris, & senioribus, idest cum Cardinalibus: ut eos super eiusmodi consulat quæstione.

Ad secundam quæstionem: quot modis accipiantur iudex & iudiciū: et quomodo Papa sit iudex, & q̄uo alij in generali Concilio.

RESpondeo: Iudex & iudicium æquiuoca, seu multiplicia nomina sunt: nam iudex eum significat imprimis qui discernit aut cognoscit præcipue secundum aliquem habitum, aut intellectum, operatiuum, seu speculatiuum. Similiter iudicium significat cognitionē aut discretionem talium. Sic Geometra est iudex, & probe iudicat de figuris, deq; figurarum accidentibus. Sic medicus est iudex & probe iudicat de sanis deq; infirmis. Sic phisiologi de naturalibus rebus. Sic morales philosophi de cauendis, & agendis. Sic theologi de diuinis. Omnis denique sciens & eruditus in aliqua disciplina & facultate, uel reuelata quidē ab ipso Deo, uel ab homine inuenta, sic est iudex et probe iudicat de scibilibus rebus, deq; operabilibus ad se pertinentibus. Iudex uero isto modo in caussa religionis bifariam sumitur: alius enim talis est, ut recte ualeat consulere, non tamen definire. Porrò alius talis est, ut non solum consulere integrum habeat, uerum etiam definire. Præterea dicitur hoc nomen iudex de quocunque ho-

mine cui a Principe data sit facultas, aut potestas cognoscẽdi, examinandi, arbitrandi, determinandi, diffiniendi, condemnandi, aut denique absoluendi in caussis forensibus tũ ecclesiasticis, tum ciuilibus. talis iudex erat Timotheus, ad quem Paulus in hunc modum scribit: aduersus presbyterũ accusationem noli recipere nisi sub duobus, aut tribus testibus: peccantem coràm omnibus argue: ut & cæteri timorem habeant. testor coràm Deo & domino Iesu Christo, & electis angelis, ut hæc custodias sine præiudicio nihil faciens in alteram partem declinando. Similiter quæ a tali iudice, aut adhibetur cura & diligentia in probe cognoscendis causis aut fertur sententia uocari debet iudicium. Postremò is iudex est qui potestatem a nemine, præter Deum, habet: a quoue aliorum iudicum omnium pendet fluitq́; iurisdictio: ut nullum examen, decretum nullum, nulla ordinatio, & denique sententia nulla firma ualida & rata sit: nisi aliquo modo ab illius pendeat iudicio & potestate: aut nisi ab illo confirmetur: talis iudex in causis præcipue, ad religionem spectantibus omnino est Papa. His prænotatis ad quæstionem respondeo: Iudices in Concilio generali iuxta primam atque alteram significationem si quidem consulere ac pariter definire habeant, debent esse præfecti Ecclesiarum: cum enim eorum officium sit alios docere, ipsorum quoque interest iudicare, quæ sint pugnantia cum Euangelio, quæ utilia sint, quæ necessaria Ecclesiæ, quæ toleranda, quæ abolenda, & huiusmodi alia. Sin minus definire habeant, sed tantum consulere, his duobus modis possunt iudices esse doctissimi quique uiri Theologi, aut Iureconsulti: Mox principes 1. Tim. 5.

qui ſunt magis potentes, cum arma teneant, quā docti, proprie non ſunt iudices in concilio: ſed Concilij ſunt defenſores, & pacis, & tranquillitatis conſeruatores: præſto inquam ſunt Concilio: atque in eo ſedent etiam, ſi oporteat cū armatis militibus: ut ſeditiones cohibeant: ſiquando peßimi homines legitimis, & ueris miniſtris potentiores ut eorum mos eſt, in Concilio tragœdiam aliquam excitarent: aut quouis modo perturbarent rerum ordinem. ſic Conſtantinus decem & ſeptem Epiſcopos nolentes parere cognitioni & iudicio Nicæni Concilij ablegauit. Sic Theodoſius celebrato Epheſino Concilio Neſtorium pertinacē in exilium proſcripſit. Denique ſolus Papa eſt iudex quantum ad tertiam ſignificationem pertinet, uel per ſeipſum uel per legatos ſuos. Propterea Nicænum Concilium in epiſtola, quam miſit ad Syluestrum Papam, ait: quiquid autem conſtituimus in Concilio Nicæno precamur ueſtri oris conſortio cōfirmetur. Aduerſariorum autem noſtrorum argumenta facile diſſoluuntur.

Soluuntur aduerſariorum noſtrorum argumenta, quibus contendunt ſummum iudicium non eſſe in Concilio generali penes Romanum Pontificem: & ſolos clericos non eſſe Concilij membra.

Math. 18. *PRimum argumentum: Chriſtus noluit ſummum iudicium eſſe clericorum, ſed totius Eccleſiæ: Cum ait: dic Eccleſiæ. Non ait dic tantum clericis: Sed ait, dic Eccleſiæ: ergo non ſpectat iudicare, ſeu iudices eſſe in generali Concilio ad ſolos clericos, aut ad certam aliquam perſonam ſed ad Concilium ipſum, quod uniuerſalem repreſen-*

tat Ecclesiam: cum enim retulisset Christus: dic Ecclesiæ et si non audierit Ecclesiam sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, illico subiunxit pluraliter: quæcunque ligaueritis super terram &c. Respondeo: falsum est antecedens: neque uerba illa, dic Ecclesiæ faciunt ad propositum de generali Concilio. Nam Christus eo in loco de fraterna correctione agit, docens tandem quòd si quispiam eò temeritatis ueniat, ut Ecclesiam nolit audire, hunc habēdum esse pro ethnico: idest non solum pro excommunicato, uerum etiam pro homine qui omnino sit alienus a Christo: Quoniā uero sana & recta eius loci cognitio plurimum spectat ad potestatem ecclesiasticam fulciendam, queso locum illum diligenter examinemus: quod ut commodius faciamus, pauca de excommunicatione prius dicenda sunt: cum enim de illa multi multos ediderint libros ea nos duntaxat pertractabimus, in quibus nobis certamen est cum aduersarijs nostris.

Confutantur absurdæ opiniones de eo, penes quem sit ius aut potestas excommunicandi.

Nobiscum fatentur communi consensu aduersarij nostri, excomunicationem institutam fuisse a Christo: cum apud Mattheum dixit: dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Cap. 18. Nonnulli autem aduersariorum nostrorum, putant ius aut potestatem excommunicandi esse tantum penes generale Concilium. Nonnulli uero penes totam particularem Ecclesiam, in qua degit is, qui excomunicandus est. utriq; sunt in opinione sua: propterea quod inquit Christus: dic Ecclesiæ. Sed utrique falluntur: & magnopere sunt repræhendendi. Primi sanè, quoniam scelerosi ac nepharij homines

quam paucißimi & quam rarissime excommunicaren-
1.Cor.15. *tur.* Deinde quoniam Paulus *sine generali Concilio excom*
2.Tim.1. 1.Cor.16. *municauit Corinthium, qui rem habuerat cum nouerca sua:* Himeneum, & Alexandrum. *Ac idem absq; gene-*
Galat.1. *rali Concilio inquit: siquis non amat dominum* Iesum Chri*stum sit anathema, maranatha.* Et *rursus: licet nos aut* An*gelus de cœlo* Euangelizet *uobis præter id quod* Euange
Epist.2. *lizauimus uobis anathema sit. &* Ioannes *ait* Siquis *uenit ad uos: & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum: nec aue ei dixeritis: qui enim dixerit ei aue, communicat eius operibus malignis.* Alteri *quoq; repræhendẽdi sunt: si quidem uera esset illorum opinio & sententia, oporteret ut ad excommunicandum quemlibet conuenirent idiotæ, pueri, mulierculæ, infantes, denique promiscua marium & fœminarum omnium multitudo:* Quippe *cum ea pertineat ad* Ecclesiam *non minus quam doctißimi & prudentißimi quique, quòd si permitteretur, hui quanta esset rerum confusio?*

Penes quos vere sit poteſtas excommunicandi.

NOs *autem cum sanioris animi patribus hauddubie asserimus & docemus, legitimum ius excommunicandi esse penes ministros* Ecclesiæ, *qui iurisdictione funguntur ecclesiastica, aut penes eos, quibus committitur a pontificibus, et alijs proceribus* Ecclesiæ *potestas excommunicandi.* Opinionem *& sententiam hanc sine dubio ueram esse eo liquet, quod nusquam in* Apostolorum *scriptis legimus quenquam ab* Ecclesia *excommunicatum fuisse: multos autem excommunicauerunt* Apostoli: *quemadmodum ex* Paulo *ante recitatis grauißimis scripturæ locis*

perspicuum est. Neque *uerba illa, dic* Ecclesiæ, *faciunt pro aduersarijs nostris, neque prioris epistolæ ad Corinthios quintum caput. Sed omnia pro nobis uehementer oppugnant & expugnant aduersarios nostros, quæ in duobus illis capitibus continentur. Quòd ut palam fiat, primum exponamus ea quæ* Mattheus *de excommunicatione habet: dein postea quintum caput prioris epistolæ ad* Corinthios.

Exponitur locus Matthei de excommunicatione.

D*Ominus noster Iesus Christus daturus potestatem aut iurisdictionem ecclesiasticam discipulis suis, qua uere possent impios & scelestissimos homines excommunicare, etiam si prius fuissent charissimi tanquam oculi, & pedes, & manus corpori suo, iuxta illud quòd paulo ante dixerat: uæ mundo a scandalis: necesse est enim ut ueniant scandala: ueruntamen uæ homini illi, per quem scandalum uenit. Si autem manus tua, uel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te: bonum est tibi ad uitam ingredi debilem, uel claudum, potius quàm duas manus, uel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, bonum est tibi unum oculum habentem in uitam intrare potius, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis &c. Vbi per manus, & pedes abscindendos: perq; ipsos eruendos oculos, qui reliquo sunt corpori offendiculo: intelligit Christus eos excommunicandos esse, & ab Ecclesia eijciendos, qui simplices ac paruulos, idest puros & synceros homines offendunt seu scandalizant; quales sunt publici peccatores, ut*

hæretici, schismatici, stupratores, idolatræ, ac huiusmodi alij, qui sunt in Ecclesia quasi purulenta membra, quæ totum corpus facilè queunt corrumpere, nisi per excommunicationem abscindantur, quæ mucro & gladius uocatur episcopalis. Christus inquam daturus potestatem excommunicandi ministris & discipulis suis, qui postea moderaturi essent Ecclesiæ gubernacula commonefecit eos imprimis, atque admonuit de recta forma, & legitimo procedendi ordine accuratißime obseruando ab ijs, qui habent aliquem excommunicare. Si peccauerit in te, ait, frater tuus: uade, & corripe eum inter te & ipsum solum: tu qui pascis oues meas, tu qui minister es Ecclesiæ meæ, cum uideris uel ex teipso, uel ex aliorum delatione, fratrem tuum, idest unum aliquem ex ijs, qui pertinent ad Ecclesiam, aut Paræciam, quæ tuo ministerio gubernatur: peccare in te, hoc est peccatis suis te offendere, aut pusillos, et fideles cũctos inquinare, aut quouis modo scandalizare: nam eos ratione tui ministerij, non debes tractare aliter quam teipsum atque ita in animo tecum dicere: unus quisque horum est alter ego, tum eorum dolebis doloribus, & eorum uulnera senties cordi tuo inflicta esse, si ergo peccauerit in te frater tuus hoc modo: uade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Sin minus te audierit, adhibe adhuc unum, uel duos, ut in ore duorum, uel trium testium stet omne uerbum. Hic libet aduersarios nostros compellare, quomodo precor si, ut uos imaginamini, uerba hæc dirigit ad totam Ecclesiam, dixisset: primum quidem, inter te & ipsum solum? deinde quomodo mentionem de duobus uel tribus testibus fecisset? si

tota quidem Ecclesia facit huiusmodi monitionem & correptionem, quid uocare duos aut tres testes oportet? an non adest tota fidelium multitudo? uerba igitur hæc non diriguntur ad Ecclesiam: sed ad ministrum & pastorem Ecclesiæ. Porrò sequitur, quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Quidam exponunt, dic Ecclesiæ, idest generali concilio: alij, dic Ecclesiæ, idest Paræciæ: in qua is degit, qui peccauit in te. Vtrique sic enarrantes hæc uerba decipiuntur falso putantes authoritatem excommunicandi esse penes Ecclesiam, ut planè ostendimus. Mox alij sic interpretantur, dic Ecclesiæ, idest, dic Prælato. Ii rectè quidem sentiunt quandoquidem fatentur nobiscum potestatem excommunicandi esse penes Prælatum. Ego tamen sic uerba illa expono: si non audierit eos, dic Ecclesiæ: idest, cum agnoueris talem, quem tanto studio tantaq; diligentia admonuisti, pertinacem esse, utpote qui neque te solum clam admonentem, neque coram testibus uelit audire: tum dic Ecclesiæ, hoc est inuulga & publica pertinaciam & obstinationem huiusmodi, ut non modo per te sit excommunicatus, qui Prælatus es: uerum etiam ut Ecclesia tota, quæ tibi commissa est, habeat illum pro excommunicato, & tanquam uerè excommunicatum caueat. Hic sensus nihil habet perplexi, & genuinus est meo iudicio. Amplius inquit, si autē Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus: idest si perrexerit adhuc esse ita præfractus, et capitosus, ut postquam toti Ecclesiæ promulgatum est, ipsum excommunicatum esse, non audiat Ecclesiam uocantem, & monentem eum ad resipiscentiam, quodq; ab omnibus caueatur, propterea non pudefiat, non confundatur, non eru-

bescat, non excrucietur in interitum carnis, non pili denique faciat excommunicationem: tum sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, id est eum relinque iudicio Dei, *non minus quam si esset infidelis, & nihil ad te prorsus attineret.* Alioqui (*supplendum est enim*) *si resipisceret, illum deberes* Ecclesiæ *reconciliare.* Sicut *reconciliatus fuit stuprator nouercæ suæ: cum ille a* Paulo *excommunicatus*
2.Cor.2. *resipuisset.* Postremo Christus *non* Ecclesiæ, *sed discipulis suis, quibus cum loquebatur: per eosque proceribus Ecclesiæ omnibus futuris in posterum, dedit ius excommunicandi, & excommunicatos reconciliandi, subijciens.* Amen *dico uobis quæcunque alligaueritis super terram erunt ligata & in cœlo.* Et *quæcunque solueritis super terram erũt soluta & in cœlo.* Cæterum *hæc uerba omnia domini.* Si *peccauerit in te frater tuus, &c. quæ nunc exposuimus, referenda esse ad* Prælatum, *ostendit* Romana Ecclesia, *quæ, ut facile est uidere tum in* Missali, *tum in* Breuiario, *quæ hæc uerba, quæ apud* Mattheum *non habentur, addit:* Respiciens Iesus *discipulos suos dixit* Simoni Petro *si peccauerit in te &c.* Deinceps *ad quintum caput prioris ad* Corinthios *epistolæ ueniam.*

Enarratur quintum caput prioris epistolæ ad Corinthios, de excommunicatione.

OMnino *inter uos auditur, inquit* Paulus, *fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes nominatur, ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Et *uos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio uestrum, qui hoc opus fecit.* Ego *quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui ut præsens,*

eum qui ſic operatus eſt: in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis uobis & meo ſpiritu, cum uirtute domini noſtri Ieſu Chriſti tradi Sathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſaluus ſit in die domini noſtri Ieſu. Non eſt bona gloriatio ueſtra. Neſcitis quòd modicum fermentum totam maſſam corrumpit? expurgate uetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi. Mox in eodem capite ſubiungit: ſcripſi uobis non commiſceri, ſi is qui frater (ideſt Chriſtianus) nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi ne cibum quidem ſumere. Quid enim mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare? nonne de ijs, qui intus ſunt uos iudicatis? nam eos qui foris ſunt, dominus iudicabit. Auferte malum ex uobis ipſis. Hactenus Paulus.

Ex hoc paulino textu colligitur tota ratio excommunicationis. Primo peccatum & ſcelus fornicatoris qui ſtuprum cum nouerca ſua committebat, manifeſtum erat: unde ſcandalizabat & magnopere offendebat Eccleſiam, præcipueq; ſimplicium conſcientias, quare in Paulum etiã peccabat, qui mala in ſe patiebatur cunctorum fidelium. Quis infirmatur, ait ille, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? Secundo, Eccleſia Corinthiaca non execrabatur flagitioſum illud peccatum, non lugebat, non afficiebatur dolore, non anxia erat, non ſolicita, non procurabat, ut per ueram excommunicationem tolleretur de medio ſui a miniſtris & paſtoribus ſuis. Imo ne tanta de re quidem certiorem Paulum faciebat Apoſtolum ſuum. Ex quo repræhendit eam uehementer, planè oſtendẽs, Eccleſiam aut Parætiam debere ſolicitam eſſe, &

2. Cor. 11.

procurare apud suos Prælatos, ut excommunicentur nepharij homines. Tertio, non accusata indictaq; causa Paulus tanquam uerus iudex profert sententiam excommunicationis in stupratorem, non propria quidem aut humana authoritate, sed in nomine domini Iesu Christi, a quo talis authoritas data est proceribus Ecclesiæ, committitq; ipsi Corinthiorum Ecclesiæ, ut eum fornicatorem a se omnino excludant, & separent a cœtu suo: prorsusq; illum caueant. Quarto, excommunicando non tradit in interitum spiritus, sed carnis. Qui sané carnis interitus est uerecundia, pudor, erubescentia, & confusio, dolori ac tristitiæ commista, qua excommunicatus pudefit, & confunditur, & peccata sua deplorat, & ad ueram pœnitentiam redit. Qua fit ut excommunicatio sit medicina quædam spiritus, & saluberrimum anthidotum, quo diligentissime curantur a ministris Ecclesiæ tanquam a spiritualibus medicis languores & egritudines animorum. Quod si excommunicatus nulla ratione possit adduci, ut resipiscat, & pœnitentiam agat: omnino relinquatur iudicio Dei, nisi peccatum illius esset huiusmodi, ut contaminaret Ecclesiam, uel perniciosam doctrinam spargendo, uel faciendo aliud quid eius generis, siue clam, siue in propatulo: tunc enim de medio tollendus est iuxta leges, etiam per brachium seculare, quippe cum sermo talium serpat ut cancer, quemadmodum Paulus ait. Sed reclamant aduersarij nostri: Paulus inquit, hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem deuita, sciens quod subuersus est, qui eiusmodi est. Et delinquit proprio iuditio condemnatus. Deuita inquit, non occide, non mitte in exilium, non in carcerem. Respondeo, cum

Ad Tit. 3.

nasceretur

nasceretur Ecclesia, cum adhuc infantula, & paruula esset, ea pœna sufficiebat, sed cum fuit grandæua, & potens, nequaquam sufficit ea pœna. Deinde Apostolus præscribit Episcopis, quod eos facere oporteat: hæc non dicit magistratibus, ad quos pertinet iuxta leges & sanctiones punire sontes, et omnes qui publicæ tranquillitati sunt perniciosi. Quinto, colligitur quod ea scelera, ob quæ fertur excõmunicatio, paulatim serpunt, inficiuntq; non secus, ac fermentum: donec perdatur totum corpus. Sexto, crimina excommunicatione purganda sunt hæc, Auaritia, fornicatio, rapina, & cætera id genus. Septimo, quod minime pertineat ad ministros Ecclesiæ illos iudicare, aut excommunicare, qui sunt foris, hoc est alieni a christiana religiõe, atq; adeo ab Ecclesia, ut infideles, uerum eos tantum qui profitentur nomen Christianum: alij enim relinquendi sunt diuino iudicio. Octauo, quòd Ecclesia poßit iudicare quantum ad primam, & ad secundam uerbi, iudicare, significantiam pertinet, non quantum ad tertiam: de cuius uerbi significationibus paulò ante differui. Nono, quod auferant Corinthij de medio suæ cõgregationis malum: idest nouercæ suæ illum nepharium stupratorem. Quod nequaquam sic intelligendum est, ut illum excommunicent, sed ut merito iam excommunicatum a conuentu cœtuq; suo repellant, neque illum mutua dignentur cohabitatione.

Pertinere ad ministros Ecclesiæ illos qui excommunicati resipiscunt absoluere & Ecclesiæ reconciliare.

Porrò illud etiam atque etiam scire oportet, quemadmodum sunt partes ministrorum, non autem Ec-

clesiæ aut Paræciæ, temerarios & obstinatos excommunicare: ita quoque ius & facultatem eorundem esse cum Ecclesia reconciliare excommunicatos, aut soluere ab eo excommunicationis uinculo, ubi signis euidentibus & manifestis declarauerint se bono animo resipuisse. Sic Paulus committit Corinthijs, ut stupratorem excommunicatum soluant, ne dolore nimio absorbeatur. Sufficit illi, ait Paulus, qui est eiusmodi obiurgatio hæc quæ fit a pluribus (hoc est, plurimi ex uobis illum obiurgauerunt, cum iuxta mandatum meum, ex uobis illúm abstulistis, & uitastis eius conuersationem, id inquam satis supplicij est homini excommunicato) ita ut econtrario magis donetis, & consolemini: (idest, uos qui peccantem horruistis, ex cœtu uestro iuxta mandatum meum eiecistis, ita econtrario, nunc iuxta mandatum meum illi condonate, illi ueniam date, illi quod uobis fuit offendiculo, remittite uere & ex animo pœnitenti, quin etiam illum satis superq; mœrentem & interitu carnis adflictum consolemini) ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est. Propter qd obsecro uos, ut confirmetis in illum charitatem: idest, quoniam illum charitate, nempé ut mihi præcipienti obediretis a uestra communione procul abegistis: quatenus eum hactenus omnes uno animo uitastis, neque dignati estis eum familiaritate uestra, non colloquio, non osculo, non conuiuio, non salutatione. Quando inquam, ut essetis mihi Apostolo uestro morigeri talia fecistis ex charitate, non ex odio, nec in aliud, quàm ut resipisceret, ac seruaretur: efficite similiter iuxta mandatum meum, ut hic quoque experiatur efficacem in se charitatem uestram, ut ala-

2.Cor.2.

criter & amanter recipiatis correctum, quem mœrentes eieciſtis. Petat aliquis, cur o Paule per literas nobis præcepiſti, ut ſepararemus talem hominem a conuentu noſtro? Ideo, inquit, ſcripſi uobis, ut cognoſcam experimentum ueſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. (hoc in loco ſubintelligere oportet, quo ſententia fiat clarior, obtemperaſtis eijcientes, quem eijci iuſſeram: obtemperabitis & in gratiam recipientes cui uolo uos eſſe reconciliatos.)

Secundum argumentum: Quando Chriſtus dat mandatum cauendi à Pſeudoprophetis, non loquitur ſolis Epiſcopis: ſed toti Eccleſiæ: quæ non poteſt cauere falſos doctores ſi excludatur à Concilijs, & à iudicio. Nemo igitur nō intereſſe debet Concilio tanquam iudex. Reſpondeo: ſi argumentum iſtud alicuius momenti eſſet, oporteret omnes idiotas, uulgares, agricolas, artifices, mulierculas, generali Concilio intereſſe tanquam iudices: nam illi habent cauere à Pſeudoprophetis. quod profecto quam ſit ridiculum uident uel lippi. Dedit dominus uniuerſæ quidem Eccleſiæ mandatum cauendi à Pſeudoprophetis: Sed non, ut ſupra dixi, omnibus æqualiter & eodem pacto, uerum ita clericis, ut doceant: laicis uero, ut clericos audiant: qui ſint legitimi ac ueri miniſtri. Neque ait Chriſtus, illos in Concilio generali uidebitis, conuenietis, alloquimini, agnoſcetis, aut aliud quid tale. Sed ex fructibus eorum, inquit, cognoſcetis eos. Cæterū quia ſimplicibus & idiotis hypocritæ facile imponunt: partes erūt Epiſcoporum, intelligere quales prædicatores in ſua dioceſi, aut in ſua Eccleſia doceant. Quoniam, ut Ioannes inquit multi Antichriſti exierunt in mundum.

Matth. 7.

1. Ioan. 4.

Tertium argumentum: in Apostolicis actis tota multi-
Act.6. tudo discipulorum Synodo legitur affuisse. Respõdeo: mul
titudo seu congregatio illa fuit Synodus particularis. Præ
terea cum Apostoli duodecim uellent Diaconos instituere,
qui ministrarent mensis, & ipsi non probè omnes cogno-
scerent, qui ad tale ministerium obeundum essent idonei, cõ
uocata discipulorum multitudine postulauerunt ab eis non
ut Diaconos instituerent, sed ut synce ro animo, et bona cõ
scientia indicarent & proponerent aliquot maxime ido-
neos, quibus ipsi Apostoli onus imponerent illius ministe-
rij: considerate, aiunt, fratres uiros ex uobis boni testimo-
nij septem plenos Spirituſancto et sapientia, quos cõstitua
mus super hoc opus. Non aiunt instituite: sed considerate,
quos constituamus.

Quartum argumentum: in actis Apostolorum placuit Apostolis, & senioribus, cum tota Ecclesia, ut delectos ex sese uiros mitterent Antiochiam: qui circuncisionis doctoribus habitæ Synodi acta referrent diligenterq; aperirẽt. Respondeo: cum generale Concilium hæresim aliquam dã nauit, potest ad eas Ecclesias, quæ sunt eiusmodi hæresi cõ taminatæ, nuntios mittere, per quos a damnata hæresi iudi cio generalis Concilij tales Ecclesiæ repurgentur. Quid tum propterea?

Quintum argumentum: Apostolus iudicium uniuersæ
Ecclesiæ tribuit dicens: Prophetæ duo aut tres dicant: &
1.Cor.14. cæteri diiudicent. Respondeo: Paulus eo in loco non agit
de Concilio generali: sed Ecclesiam Corinthiacam ad ordi
nem & decorum opportunum & uehementer commodum
religioni componit. Verumeniinuero in Concilio generali

duobus uel tribus Prophetis, id est doctoribus, loquentibus, debent alij considentes in eo cœtu patres diiudicare secundum primam aut alteram iudicij significationem.

Sextum argumentum: potestas ciuilis exequi debet Cõcilij decreta, conscientias ergo debet recte omnino eruditas habere: quocirca non tantum alienis oculis debet uidere: sed suis: & audire, & intelligere controuersias. necessarium igitur est, ut potestas ciuilis in generali Concilio sit. Respondeo: potestas ciuilis non exequi debet Concilij decreta nisi in puniendis rebellibus & contumacibus: cum ad eius auxilium confugiunt ministri Ecclesiæ. Deinde largimur potestatem ciuilem posse in Concilio stare, ut audiat, & discat: non tamen ut iudicium suum adhibeat, nisi ratione illa, quam paulo ante dixi. Est enim potestas ciuilis pars Ecclesiæ ut pie dixit Constantinus Cæsar appellans se comministrum aliorum ex Ecclesia præsentium in Cõcilio Nicæno inquiens: nam & ego tanquam unus ex uobis nunc adsum: non enim negauerim id, de quo gaudeo, me esse comministrum uestrum.

Septimum argumentum: Gerson in definitione generalis Concilij toti Ecclesiæ uidetur cognitionem tribuere: ait enim nulla fideli persona exclusa, quæ audiri requirat. Respondeo: nulla fidelis persona a Concilio generali excluditur, quæ audiri uelit, aut consulendi, aut referendi, aut accusandi, aut discendi, non iudicandi seu definiendi gratia. sic etiam intelligenda sunt Nicolai Papæ uerba, qui, ubi nam, ait, legistis imperatores antecessores uestros synodalibus conuentibus interfuisse? nisi forte in quibusdam, ubi de fide tractatum est: quæ omnium communis: quæ non so- Dis. 96. ca. ubi nam.

lum ad clericos, uerum etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos.

Non posse Concilium sine Papa, neque Papam sine Concilio condere vniuersales Canones.

QVoniam disseruimus generale Concilium, seu patres in generali Concilio esse iudices secundum primam atque alteram significationem iudicis: & Papam esse iudicem secundum quartam significationem: id plane sic intelligi debet: ut neque a patribus sine Papa, neque a Papa sine patribus aliquid pertinens ad fidem & bonos mores, possit iudicari, constitui, decerni, & definiri: cui omnes toto terrarum orbe christiani subesse, ac obedire teneantur. Non quidem patres sine Papa, quia plenitudo potestatis confirmandi omnia statuta, & decreta, & Canones, ita est in Papa, ut sine pontificia confirmatione irrita sint. Non Papa sine patribus, quia Papa errare potest: nã Petrus errauit, ac ideo a Paulo repræhensus fuit. et Marcellinus errauit, qui mandato Cæsaris thurificauit simulacris. Et Liberius Papa fuit Arrianus: et Anastasius fauit Nestorianis. Concilium autem non potest errare: authoritas igitur iudicandi primo atque altero modo est in patribus, ex quibus conficitur generale Concilium, Sed authoritas iudicandi quarto modo est in Papa. Ex his constat Papam, quamuis decretales edat iudicialesq; decisiones, non posse tamen aut contra Canones aliquid iudicare: aut per se Canones cõdere. Sed forte aliquis reclamauerit: legimus Papam restituisse quam plurimos qui damnati fuerant a Concilio, Papa ergo non solum potest iudicare sine Concilio: sed etiam (quod multo maius est) contra deliberationẽ

Gal. 2.

Concilij. Respondeo:non loquimur nūc proprie de iudicialibus & de forensibus causis:sed magis de condendis Canonibus. Deinde Papa neminem iuste a generali Concilio dānatum restituit unquam:at sæpenumero eos legitime restituit:quos iniuste damnauerāt Cōcilia particularia. Ita Nicolaus Papa de Ignatio per Photium damnato in sede Apostolica synodico collecta diligenter cognouisse legitur. Ita Martinus Papa de Pyrrho et Sergio. Et ante illos Iulius Papa de causa inter Eusebium, et Athanasium Alexandrinum. In quocunque igitur Concilio non sit Papa uel per se, uel per legatū,siqui dānentur iniuste,ij queunt optimo iure prouocare ad Papā. Ita de Patriarchis Flauiano,et Ignatio,et alijs Cōstantinopolitanis,et Athanasio Alexandrino legimus, quod appellauerint a synodis pticularibus ad apostolicā sedem. Cū igitur quis damnatus in particulari Concilio ad summum Pontificem,siue ad apostolicā sedem prouocauerit:tū eius damnatio irrita est. Nō sic appellare queunt ad Papam,qui damnantur in Cōcilio generali quasi damnentur iniuste : quandoquidem Papa generali Concilio uel per se, uel per legatos suos præest. Operæpretium est animaduertere tum Papam errare non posse, cum Ecclesiam moderatur iuxta illa decreta,iuxtaq; illos Canones, qui ordinati fuerunt in generali Concilio ab orthodoxis & catholicis patribus:quamuis per se queat errare:ut diximus,quod intelligi debet non solum personaliter , uerum etiā iudicialiter in materia fidei atque in bonis moribus:unde facile est ad concordiam redigere disputātes doctores: quorum alij asseuerant Papam errare posse tū personali, tum iudiciali errore,alij uero id negant. Papa quidē inge-

nio suo confisus & nitens potest errare: at si Canonibus et decretis a Concilijs generalibus factis, adiutorio Spiritussancti & a se uel a prædecessoribus suis cõfirmatis nitatur, minime unquam potest errare iudicialiter.

Quomodo posteriora Cõcilia resciderint aliquãdo priorũ Conciliorum Decreta et Canones.

PRæterea si factum est aliquando, ut posteriora Concilia resciderint ea, quæ fuerant iam olim a prioribus constituta: id sciamus contigisse in cærimonijs, & ritibus: non in dogmatibus. Quippe cum dogmata perpetua sint, & incommutabilia. Ritus autem & cærimoniæ debent accommodari temporibus. Cum enim certis ætatibus fuerint certi ritus, definitæq; cærimoniæ utiles, recte quidem illis ætatibus fuerunt a generalibus Concilijs institutæ. Quoniam uero aliæ ætates, alios ritus aliasq; cærimonias postulabant, idcirco posteriora etiam Concilia nouos ritus nouasq; cærimonias, prioribus quidem abolitis pro Ecclesia bene beateq; gubernanda sanctißime ordinauerunt. Scire tamen oportet, non omnia Spiritumsanctum in omnibus Concilijs aperuisse dogmata: unde aliquando posteriora Concilia emendauerunt aut declarauerunt aliqua nondum in prioribus manifestata, uel reuelata Sic Augustinus ait: plenaria Concilia priora a posterioribus emendari, quando et aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat: & agnoscitur, quod latebat.

De vnico baptismo lib. 1.

Quomodo intelligatur Concilium errare non posse: & quale oporteat Cõciliũ esse, ut nõ erret.

POrrò, cum dicimus, non posse generale Concilium errare: intelligimus id uerum esse, cum fuerit legiti

me congregatum, & confirmatum: quod sane obtingit, quã do & congregatum, & confirmatum est per Papam: penes quem solum est quemadmodum supra diximus, ius congregãdi, et confirmandi generalia Concilia. Dicitur enim in decreto Marcellini Papæ: inspirãte domino sãcti patres constituerunt, ut nulla sancta Synodus fieret præter Romanæ sedis authoritatem. Præterea, cum in eo patres, qui uniuersam Ecclesiam repræsentare habent iuxta Concilinm Constantiense, & alia uetustiora, expectati fuerint. Quãquam uero ad Concilium uocare omnes oportet: non tamẽ ita necessaria est omnium præsentia, ut si uocati nonnulli aut neglexerint uenire, aut quolibet impedimento præpediti uenire integrum non habuerint, dissoluendum propterea sit Concilium. Deinde, cum non secretum, non clandestinum, sed publicum, non uiolentum, non tyrannicum, non coactum sed liberum fuerit: ut cuique sit facultas loquendi: & æquo animo audiantur omnes in causis ad Concilium pertinentibus, opportunam habituros orationem. Vbi ergo loquuti fuerint omnes, tum libere, tum in propatulo, omnesq; in medium audientibus omnibus protulerint sententiam, Non dissentiendo a capite suo Romano Pontifice, a quo tota potestas Concilij pendet, quidquid fuerit concordi sententia definitum a generali Concilio, id tanquam definitum a Deo, ratum & firmum habendum est. Si quidem a Papa confirmatum fuerit. Quod porrò tale non fuerit, conciliabulum potius uocandum est, quam Concilium: cuius definitiones pro nihilo habendæ sunt. Talia fuerunt quam plurima. Tale quidem fuit Ariminense Cõcilium: Quãquam in eo fuisse dicuntur octingenti & triginta Episcopi: Quemadmo-

Autem Episcopos Antiochiæ.

dũ Auguſtino cõtra Felicianũ ſcribẽti de trinitate obiectũ fuit. Nõ enim rite, palã, et libere fuit celebratũ: neq; in ſuis definitionibus fuit cõſtãs, et ſtabile: nẽpe quõ ij, qui fuerũt in Arminẽſi Cõcilio, ſint reuerſi ad fidei Nicænæ ſubſcriptionem, Liberius Papa et occidẽtales Epiſcopi ad Euſtachiũ, & Cyrillũ. Vnde Ambroſius cõtra Maxentium ait: ea facilitate euanuiſſe dictata illius conciliabuli, qua dictata fuere. Et quõ euenerit hoc ipſum, ibidem narrat Ambroſius: atq; ita fuiſſe dictatũ, et ſubſcriptum humana factione, & coactione Conſtantij, abſque libertate indubiũ eſt & clariſſimum ex hiſtorijs. Et quamuis Liberius, qui fuit Papa eo tempore ſectæ Arrianæ ſubſcripſerit iuxta Ariminenſis Concilij definitionẽ, ut ſcribit Auguſtinus cõtra Creſcẽtiũ: et Hieronymus in chronicis: nõ tamen fuit uel per ſe, uel per alios, in eo Concilio. Vnde Damaſus Papa, & cæteri Epiſcopi in Vrbe Roma cõgregati dilectiſſimis fratribus in Illirico conſtitutis. neq; enim præiudicium fieri potuit per numerum Arimini congregatũ quãdo conſtat, cuius ante omnia debebat eos expectare decretum: neque Vincentium, qui tot annis Epiſcopatum inuiolabiliter cuſtodiuerit: neque alios talibus præbuiſſe conſenſum, maxime dum iſti, ſicut prædiximus, qui per conuentionem declinaſſe uidebantur, denuo utentes meliore conſilio hæc ſibi diſplicere teſtati ſunt. Hactenus ex Damaſo. Liberius igitur ab exilio reuocatus Arriano errori, quem Ariminenſe Concilium confirmauerat, ſubſcripſit, eo ductus opera uiolenta Conſtantij Imperatoris. Deinde quamuis altera Synodus Epheſina rite fuerit congregata: quandoquidem Vicarij Leonis Papæ aderant: tamen defe-

In ep. quæ incipit, optabile nobis

In epi. 77.

eit libertas:unde tyrannica fuit & non Concilium: sed conciliabulum.Reclamauerunt sane apostolici Vicarij appellatione interposita:ut in gestis Calcedonensis Concilij uidere est.Imo & patres qui subscripserunt definitionibus illius Synodi fatebantur,se hoc metu corporis fecisse.qua de re Leo Papa ad Theodosium Imperatorem & Pulcherriam Augustam scribit. Similiter Constantiense & Basiliense concilia debent nullam prorsus authoritatem habere,quandoquidem a capite suo Romano Pontifice dissenserunt,ac proinde merito ille abstulit & reuocauit omnem quam illis dederat potestatem,quo pacto uero confirmata fuerint a Martino quinto & a Nicolao quinto,paulo post dicam.

Papam aut Romanã sedẽ iudicare posse a nemine.

Porrò, cum aduersarij nostri Ponti.Romanum reprehendunt: ac uniuersam Ecclesiam Romanam: quòd ordinauerit, Papam, aut sedem, & authoritatem illius a nemine iudicandam esse. Respondeo: tale decretum non heri aut nudiustertius factum esse: cum enim generale Concilium Nicænum in quo fuerunt Episcopi trecentidecem & octo celebraretur: Syluester Papa Conciliũ Romæ congregauit Episcoporum supra centum sex et septuaginta:in quo huiusmodi promulgatum fuit decretum:Nemo iudicabit primam sedem:quoniam omnes a prima sede iustitiam desiderant temperari. Cui decreto non solum Episcopi illi supra centum sex & septuaginta subscripserunt,uerum etiam Constantinus Imperator,& Helena mater Constantini. Habetur etiam in quinto Concilio Romano sub Symacho:a multis antecessoribus nostris synodali-

ter decretũ est,ut oues,quæ pastori cõmissæ sunt, eam nec repræhendere,nisi a recta fide exorbitauerit præsumant: nec ullatenus pro quacunque re alia, nisi pro sua iniustitia accusare audeant. Huius autem quod dicimus causa est, propterea quod in Papa solo est plenitudo ecclesiasticæ potestatis: atque ille solus a Deo immediate habet omnem ecclesiasticam iurisdictionem,per eum quidem in alios pastores Ecclesiæ promanantem. Quod nos loco suo plane ostendimus.Licet huc etiam ad propositum nostrum citare quid Nicolaus Papa olim ad Michaelem Constantinopolitanum Imperatorem super Ignatij Constantinopolitani Patriarchæ depositione scripserit:inter alia quæ summus ille Pontifex in ea semper quidem memorabili epistola tractat:planè ostendit Romanam sedem iudicari posse a nemine:idq; præter alia quæ in medium affert duobus potißimum exemplis demonstrat.Primo Calcedonensis Concilij in quo sancti patres Dioscorum Alexandrinum Antistitem inter cætera idcirco potissimum sine ulla restitutione dannauerunt,quia ponens in cœlum os suus lingua eius transeunte super terram excommunicationem in sanctum Leonem Papam dictauit.secundo exemplo Concilij Romani: in quo habetur sic:Vnde factum est,ut in Concilio Episcoporum,nullus in Marcellinum Papam,qui tempore Diocletiani,et Maximiani,Augustorum Idolis compulsus sacrificauerat.(Sed postea insignis martyr effectus est)sententiam proferre ausus fuerit,dum enim sæpißime omnes dicerent:tuo ore iudica causam tuam,non nostro iudicio.et iterum:noli audiri in nostro iudicio:sed collige in sinu tuo causam tuam:ex te iustificaberis,& ex ore tuo condemna

Dis.21. ca. intantum.

beris. Et *rursus:* Prima *sedes non iudicatur a quoquam.* Praeterea *in illa ipsa uehementer insigni epistola, idem multa disserit de* Romanae *sedis primatu, ac maxima pars epistolae huc tendit, ut plane demonstret, hanc primam esse inter omnes, superq́; omnes potestatem habere, utpote quae sola a domino immediate super* Petrũ *fundata fuerit.* Deinde *absque* Romani Pontificis *authoritate Synodum congregari & celebrari non ualere.* Romanae *porrò* Ecclesiae *non* Nicaenam *neque ullam aliam Synodum aliquod priuilegium contulisse: quae in* Petro *nouerat eam totius potestatis iura omnino & ad plenum meruisse, & cunctarum* Christi *ouium regimen accepisse, cum caeteras episcopatuum cathedras instituerit* Ecclesia Romana. Sed *quia* Gratianus *quam plurimis orthodoxorum patrum sententijs ac testimonijs grauissimis plane ostendit* Romanam *sedem iudicari posse a nemine:* Propterea *hoc labore citandi & colligendi sanctißimorum patrum clarißima testimonia hoc tempore supersedebo.* Dist.22. 11.q.3.

Scripturam sacram in causis fidei non esse iudicẽ.

S*Vnt, qui mordicus teneant, & pro uirili studeant defendere, sacram scripturam in causis fidei & religionis iudicem esse.* Atqui *sunt huiusmodi plane uidentur ignorare differentiam testimonij, & iudicij: sacra quidem scriptura non iudicium, sed testimonium perhibet de* Christo, *deq́; religione, & fide christiana.* Testatur *enim & docet, non iudicat.* Vnde Christus *ait: scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam aeternam habere.* Et *illae sunt, quae testimoniũ perhibẽt.* Sed *satis superq́; antea dißeruimus de authoritate* Ecclesiae, *& scripturae sacrae.* Ioan.5.

Ad tertiam quæſtionem, quomodo generale Concilium ſit ſupra Papam, & quomodo Papa ſit ſupra generale Concilium.

SI quæratur a me, utrum Senatus, aut reſpublica, & uirorum optimorum conuentus in populo, ſit ſupra Regem, aut principem ſuum, dicam, quantum ad conſultationem, & ſcientiam, & notionem rerum, proculdubio eſt ſupra Regem, aut principem ſuum: hoc eſt ſapientiſsimorum hominum multitudo conſultior eſt, maiorisq́; prudentiæ, quam Rex. Et propterea debet Rex negocia, quæ ardua ſunt, quæque ad populos bene beateq́; moderandos pertinent, referre ad Senatum, eumq́; diligenter cõſulere, tamen Rex poteſtate ac iuriſdictione ſine dubio eſt ſupra Senatum. Qua fit, ut omnia decreta Senatus, ac populi, quanquam utilia, commoda, & neceſſaria, omnino ſint, neminem aſtringant, quouſque Rex illa ipſa non confirmauerit authoritate ſua. Itidem quoque ad propoſitam quæſtionem de Papa, & generali Concilio, Reſpondeo: Concilium ſupra Papam eſt, quantum ad ſapientiã, ad prudentiam, & doctrinam ſpectat: ideſt patrum conuentus, uniuerſalisq́; ipſius Eccleſiæ miniſtri ſapientiores, et prudentiores, & doctiores ſunt, quam Papa, tametſi enim multo eſſet eruditiſſimus Papa, etiam cum ſenatoribus, & cõſultoribus ſuis Cardinalibus, tamen citra omnem controuerſiam putandum eſt, in Concilio generali eſſe maiorem & ſapientiam, & prudentiam, & doctrinam, & cum in generali Concilio ſint plures nationum diuerſarum oculi, uident etiam plura, quæ ad Eccleſiæ catholicæ regimen, ac ſtatum faciunt. Verum tamen Papa, quando ſupremus

in tota Ecclesia est, solusq; immediate habet a Christo iurisdictionem ecclesiasticam, ut probauimus antea, etiam supra Concilium est potestate, authoritate, & iurisdictione. Quare debet Papa referre ad Conciliũ generale quæstiones altissimas et ambiguas paßim oriẽtes in Ecclesia. Propterea uero statuta nulla per Cõcilium generale ordinata, quamuis commoda sint, ac utilia, propemodumq; necessaria, (de ijs, quæ sunt ex uerbo Dei, non loquor, ea quidem, cum a Deo sint, obligant omnes homines absque ulla humana determinatione, & confirmatione, quamuis ea declarari oporteat aliquando ab Ecclesia, ut supra diximus:) neminem tamen fidelium astringunt, & obligant, nisi prius accedat Papæ authoritas, qui iure suo illa diligenter a patribus examinata, discußa, iudicata, definita, approbata, confirmet, planeq; rata efficiat. Propterea quæ in Cõstantiensi & Basiliensi Concilijs decreta fuerunt, nullum habent robur authoritatis: præter illa quæ in diplomate Martini quinti & Nicolai quinti pontificia quidem authoritate probata & confirmata sunt, nempe solum spectantia tum ad censuras, tum ad causas beneficiales. Nullam enim de alijs rebus, neque de probatione Cõciliorum fecerunt in bullis suis Romani Pontifices mentionem: quæ uero ad censuras & beneficiales causas pertinerent eo confirmauerunt, ut pacarentur animi hominum, utque pericula conscientiarum tollerentur, quamquam enim in duobus illis Concilijs, multa fuerunt maxime utilia statuta: aliqua tamen erronea etiam et absurda illa ipsa constituerunt duo Concilia: quemadmodum autem Nicolaus ea tantum confirmauit quæ ad beneficiales causas pertinebant, sic Mar-

tinus condemnationem doctrinæ Vigleffi,*et* Ioannis Huß, *&* Hieronymi Pragenſi *confirmauit.*

Quomodo Concilium generale res pertinentes ad religionem examinet et definiat quomodoue illæ eædem a Papa confirmentur.

Illud uero annotandum eſt hoc in loco Papā *non confirmare illa quæ pertinent ad dogmata,neque illa* Conciliū *examinare,iudicare,approbare,& definire,ea quidem ratione,eoq́; conſilio,ut uana ſint niſi approbentur & definiantur* Concilij *generalis calculo , & ſummi* Pontificis *authoritate confirmentur,ſed ea* Concilium *examinat,perpendit,& declarat,huiuſmodi autem declarationem confirmat* Papa *, ut* Nicænum *Concilium declarauit filium eſſe patri conſubſtantialem,& alia multa,illamq́; declarationem confirmauit Syluester* Papa.*Neque igitur , ut ſupra exeruimus* Concilium *poteſt , neque* Papa *, uel nouum ſacramentum inſtituere , uel nouum articulum fidei condere,ſed tum ſacramentum, tum articulum fidei prius occultum,& obſcurum,& incognitum declarare, ſiquidē oporteat,debet,illamque generalis* Concilij *declarationem debet* Papa *omnino confirmare.Cæterum, quæ ad ritus , & ad cærimonias , & ad mores , conſuetudinesq́; uiuendi in ſancta & catholica* Eccleſia *pertinent,*Concilium *generale poteſt non ſolum examinare, & declarare,ſed etiam inſtituere,iudicare,ordinare,decernere, & illa eadem uel approbare uel reijcere & abolere. Similiter* Papa *non ſolū poteſt eorum declarationem factam per* Concilium *generale,ſed ea ipſa etiam,quæ declarata ſunt,inſtituta, decreta,appro*

ta, approbata, uel reiecta & abolita per generalis Concilij iudicium exactißimum authoritate sua confirmare, et omnino rata efficere. Age deinceps argumenta diluamus aduersariorum nostrorum.

Primum argumentum, Concilium errare non potest, Papa uero potest errare. Ergo Concilium est supra Papã. Respondeo.

Quomodo queat aut non queat errare Papa.

PApa errare potest non iudiciali, sed personali tantum errore: proprio quidem iudicio non quatenus Papa, uerum ut particularis doctor & magister deceptus in pronuncianda opinione sua errauit aliquoties: sed iudicialiter ut Papa deliberans per definitiuam sententiam errauit nunquam. Quoties enimcumque pontificia authoritate aliquid statuit, ac determinat, intendens obligare homines christianos ad illud præstandum uel credendũ, regitur semper adq; adiuuatur fauore Spiritussancti. Quin Origenes de Petro loquens ait, tantam potestatem habere hãc petram supra quam ædificata est Ecclesia, & ipsius iudicia perinde firma & stabilia esse, ac si facta uel instituta essent ore ipsius Optimi Maximi Dei. Vnde tres, haud dubiè, sunt infallibiles regulæ apud fideles & pios homines, quæ tanquam ius diuinum habendæ sint: in rebus ad religionem pertinentibus. Nempè traditiones antiquæ: Canonicæ scripturæ: & sedis Apostolicæ definitiones. At forte nobis aduersarij nostri obiecerint: multos Romanos Pontifices hæreticos fuisse, ut Marcellinum, Liberium, Felicem secundum, Anastasium secundum. Honorium primum, Benedictum duodecimum, Ioannem ui-

Sup. Ioan. Hom. 8.

gesimumsecundum: potest igitur Papa errare circa fidem in ijs quæ spectāt ad religionem. Sed falso inquam recitatos Pontifices hæreseos incusant aduersarij nostri. Principio quidem Marcellinus haudquaquam fuit hæreticus, dū offerret quidem thus idolis uictus metu scandalizauit Ecclesiam: quam postea ædificauit, resipiscens ueramque pœnitentiam agens, quam & suo glorioso martyrio decorauit. Sed quāuis offerre idolis idololatrare sit, nequaquā tamē est hæreticū esse. Deinde Liberium nemo sanæ mētis hæreticum asseruerit: nam bella, persecutiones, exilia passus est plurima ob fidei catholicæ defensionem. Videre est in tripartita hystoria, quam forti & Constanti animo repugnauerit Constantio Imperatori, qui profectò Arrianis fauebat, proindeque tādem Liberium ipsum in exilium miserit, nunquam enim Liberius Cōstantij uoluit cupiditatibus assentire. Quanquam uero dicit Eusebius incertum esse quomodo reuocatus fuerit ab exilio: num quia in sententiam uenerit Imperatoris, an potius in gratiam populi Romani? tamē Tripartita hystoria narrat: Constantium clamoribus mulierum & populi Romaui, motum, illum ab exilio reuocauisse. De Felice porrò secundo legitur ad Pontificiam dignitatem fuisse intrusum pro Liberio a Cōstantio ipso Imperatore Arriano: propterea in pontificibus Romanis minimè recenseri debet is Felix. qui tamen pius christianus fuit, ac semper tenuit christianam fidem, tametsi cum Arrianis commercium habuerit: unde & martyrio coronatus obijt mortem. Deinde Anastasio Papæ Gratianus hæreseos notam inurit, propterea quod cum Fotino Diacono Thessalonicense, qui cum Achacio hæretico

Lib. 5. cap. 17.

L. 5. c. 18.

Dis. 19. c2. Anastasius.

iam antea damnato cõmunicauerat, necesßitudinem habuit. Verum quod Gratianus inquit, ex dubia & incerta, nulliusq; fidei prorsus hystoria deprõpsit. Nã quis Papã audeat hæreticũ pronunciare, quia cõmunicet cum hæretico? an fortè necesse est Papam, si cum hæretico aliquãdo cõmunicet, hæreticum fieri. Ex decretali certè illius epistola, q̃ ad Anastasium Imperatorem dedit, facile depræhendi põt eum fuisse catholicum: ea uero epistola in uolumine habetur conciliorum: in qua nihil est non pium, non catholicum. Præterea de Benedicto duodecimo nihil hæreticum inuenitur, quod ei tribui posßit, imo sunt qui habeant illũ in sanctis: quiq; illum prædicent claruisse post mortem miraculis. Nouem tantum fuit menses in pontificatu: cum ex Dominicanis ad cardinalitiam dignitatem assumptus esset: ac posteà creatus quidem Papa Ecclesiam gubernauit sanctissimè. De Ioanne porrò uigesimo secundo uariæ sunt hystoriæ: cæterum in huiusmodi rebus, iudicio solum uniuersalis Ecclesiæ adhibenda est fides. Postremo de Honorio primo est etiam atque etiam mirum, in albo ipsum hæreticorum, a sexta Synodo connumerari: cũ tempestatis illius omnes qui digni sint fide scriptores, testificentur Honorium fuiße primum qui hæresim illam damnauerit, quam sexta Synodus illi ascribit. Præterea epistola extat Agathonis Põtificis ab eo ipso Cõcilio recepta tãquã a Spiritusancto dictata, quã et secutũ est perinde ac regulã catholicæ fidei, quæ omni proculdubio nota hæreseos liberauit Honorium: cum enim eos commemorauisset omnes, qui fuißēt hæreseos illius authores, quæ docebat unam tantũ uoluntatem unãq; operationem fuisse in Christo, nullam de Honorio mem-

tionem fecit, quin subiecit, eos damnatos esse ab apostolica & Romana Ecclesia: quæ gratia & auxilio Dei semper est omnium errorum expers: docet porrò atque planè ostē dit, nullam hæresim unquam a Romana Ecclesia natam esse, uerum in catholicæ fidei synceritate perpetuo conseruatam. Id uero nūquam dicere potuisset, si Honorius aut docuisset aut probauisset eam de qua meminit, impiam hæresim. At si Papæ illi ētiā fuissent hæretici (Non enim Papā diffitemur in hæresim posse incidere) nihil tamen ut Papæ in ijs quæ ad fidem & religionem attineant, definierunt, quod sit hæreticum: itaque ipsorum errores nequaquā fuerunt, ut ita dicā, Papales, at solum personales. Verum agē ipsum diluamus iterum aduersariorum nostrorum argumē tū. Argumēto isto probatur Conciliū esse maius, quàm Papa, sapientia, prudentia, doctrina, & sanctimonia, sed non authoritate, potestate & iurisdictione. Neque his Hieronymi uerbis (libenter in eius sententijs tanquam in agro fertili uersor, orbis maior est urbe,) aliud probant aduersarij nostri, cum ea nobis interdum obijciunt. Hac ipsa etiā de causa, nimirum quia maior sapientia, & prudentia, & doctrina est in Concilio generali, quàm in Papa, non maior authoritas, potestas, & iurisdictio, aliquando scripturas, & epistolas Romanorum Pontificum ad generale Concilium missas Concilium examinauit. In tertia quidē actione octaui Concilij lecta epistola Adriani Papæ a Concilio uicarij senioris Romæ, interrogauerunt, an canonicè & synodicè scripta esset epistola, quibus sancta Synodus respondit, canonica, & ordinata, & plena iustitia est epistola, quæ lecta est sanctißimi Papæ Adriani. Et Metropha-

nes Deo amantißimus Episcopus Smirnæ surgens dixit, Cognouimus sanctißimi Papæ Romani solertem locutionem, & pudorem, quem in diuinis, & circa diuinorum canonum custodiam, & obseruantiam habet. Nicolaus etiam Papa inquit, hãc sanctã Apostolicam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum, quæ semper sanctorum patrũ syncerißimas authoritates in oĩbus actibus sequitur &c. Habetur idem quoque in eodem octauo Concilio, actione quarta: prætereaq; in epistola Nilcolai Papæ ad Photiũ, quæ incipit: postquam. Et ibidem extat. In qua nimirum epistola, ubi Nicolaus Papa sedis apostolicæ primatum deduxit, & plane ostendit ex primatu illo interesse Pontificis Romani curare illos omnes, qui religionem christianam profitentur, ut rationem habeat reddere in æterno iudicio, & examine: subdit, quomodo uniuersitas credentium a Romana Ecclesia doctrinam, & integritatem fidei postulet, ac solutionem criminum, qui digni gratia Dei sunt, quoniam ea caput Ecclesiarum est, à qua rectitudinem, atque ordinem in cunctis utilitatibus, atque institutionibus ecclesiasticis omnes conquirunt Ecclesiæ, quãdoquidem ipsa Romana Ecclesia canonicas & synodicas orthodoxorum, & sanctißimorum patrum inuiolabiliter, & irrefragabiliter sanctiones retinet. Et hinc fit, ut omnino sit illius iudicium firmum. Quod sic intelligi debet, firmum est, ratumq; iudicium, & sententia Ecclesiæ Romanæ, tum propter diligentißimum examen, & accuratißimam generalis Concilij approbationem, tum propter authoritatem, potestatem, & iurisdictionem Papæ. Sic idem in Concilio suo ex tota Romana Ecclesia congregato

Ad Michaelem Imperatorem.

ait quoniam oportet, nos maiorum nostrorum, imo toto
Cap. 26. mentis intuitu conseruare, & in omnibus sanctorum patrum semper dogmata uenerari. Et habetur actione septima. Et in hoc fundantur eiusdem Nicolai textus, qui sententiam Papæ indicant a nemine posse retractari, quando eam examinatam, & approbatam diligenter per Concilium generale Papa confirmauit authoritate sua. Nam secus potest errare, ac ideo scripturæ illius, & epistolæ, & iudicia, & sententiæ quandoque per generale Concilium examinantur, & corrigantur, ut supra diximus. Quod mirum uideri debet nemini, quandoquidem Paulus reprehendit Petrum, qui errabat. Ita in quarta Concilij octaui uniuersalis actione, obtinuerunt principes, & senatores, etiam uicarijs apostolicæ sedis reclamantibus, ut iam de Photio per Nicolaum Papam iudicata in generali Concilio examinarentur, & rescinderentur, dicentes quidem se nolle gestis subscribere, ut testes, nisi admitterentur iudicati in Synodo ad replicandum contra huiusmodi iudicata. surrexitq; Metrophanes Metropolitanus Smirnæ, & inquit, probantes uerba magnificentißimorum principum inuenimus ea iusta, & congruentia. Hinc fauemus omnes Episcopi, & sancta hæc Synodus.

9. q. 3. cap. patet. 17. q. 4. ca. nemini.

Galat. 2.

Quamuis Papæ iudicia & scripturæ a Cõcilio generali examinentur, & Canones fiant, non tamen propterea esse maiorem potestatẽ in Concilio, quam in Papa.

Ex his tamen, & huiusmodi alijs colligendum nequaquam est, Concilium supra Papam esse authoritate, potestate, & iurisdictione, sed duntaxat pru-

dentia, sapientia, & doctrina. Sic Leo Papa inquit de omnium prædecessorum suorum epistolis, omnia decretalia constituta tam a beatæ memoriæ Innocentio, quam aliorum omnium prædecessorum, qui de ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita uestram dilectionem custodire debere mandamus, ut siquis in illa commiserit, ueniam sibi deinceps nouerit denegari. Similiter Damasus Papa loquitur, ut uidere est in Canone. Ita scribit Innocentius de canonibus Nicænis, et Sardicēsibus, & Bonifacius ait, qui sanctos patres in Nicæa spiritusancto suggerente, & aliter credendum non esse, si bimet Canones statuerunt. Additq́;, ut aduertat charitas tua, adeo nos præcepta canonum seruare, ut similiter constitutio nostra definiat. Hoc etiam in epistola Celestini ad uniuersos Episcopos per Calabriam constitutos. Et Leo Papa inquit, Nicænos Canones usque in finem mundi mansuros per sanctos patres conditos, qui apud nos in suis constitutionibus uiuunt, & siquid per aliquem aliter statuendo resumitur, sine cunctatione cassatur, Et rursus idē ait: Illa Nicænorum canonum per Spiritumsanctum ordinata conditio nulla est usquam ex parte solubilis, cum tanto diuinitus priuilegio sit sancta Synodus consecrata, ut siue per pauciores, siue per plures ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus authoritate sit uacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diuersum. Idem quoque ait, quidquid propter speciales causas synodalium ad examen episcopale affertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, sed nihil de eo est à sanctis patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab eorum constitutionibus, & re-

Ad Episcopos per uniuersas prouincias constitutos.
19. Dis. cap. si Romanorum.
25. q. 1. cap. omniū.
Ad Rusticum Narbonensem.
Ad Anatholium Constan: inopolitanum.
Ad eundē.
Ad Maximum Anthiochenū.

gulis discordat apostolicæ sedis, nunquam poterit habere consensum. Præterea idem scribit, a regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione, est decedēdum. Deinde Gelasius in decreto generali ad omnes Episcopos ait, cum nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus nil dicere &c. Vbi textui coniuncta glossa habet, eo totum corpus Ecclesiæ debere seruare Canones, quod Romana Ecclesia sit suprema, & pio, & deuoto proposito student seruare Canones, & etiam propter utilitatē fortaßis alicuius non relaxet eos. Ormisda quoque ait, paternas regulas decreta sanctißimis definita Cōcilijs ab omnibus seruanda mandamus ijs quantum dignum est reuerentiæ custoditis, nullum relinquet culpæ locum sanctæ obseruationi obstaculum, ibi fas, nefasq; præscriptum est, ibi prohibitum, ad quod nullus audeat aspirare. Ex his inquā & alijs talibus colligendum est, tum iudicio generalis Cōcilij, tum iudicio Papæ Canones & sanctiones ratitudinē ac firmitatem suam habere. Tantum ergo abest, ut illis potestas, authoritas, & iurisdictio Papæ infirmetur, ut confirmetur maxime.

Ad Astasiū De conf. Dis. 1. cap. basilicas.

Ad sanctū Remigium archiepiscopum Remēsem.

Non posse generale Concilium errare.

QVoniam sæpe iam repetiuimus, generale Conciliū haudquaquam posse oberrare: idcirco faciendum putaui, ut rem hanc in præsentia copiosius tractarē non solum enim utilis ea est: uerum scitu etiam uehementer neceßaria. Itaque Panormitanus doctißimus in Canonistis & catholicus, una cum alijs compluribus iureconsultis docet, quamuis Ecclesia, extra quam salus nemini obtingit, cuius omnes christiani sunt membra, quæque semper ma-

In cap. significasti de electione & electi potestate.

net, errare nequeat, generale tamen Concilium posse in moribus atque in fide oberrare. Id autem eo probat: quia Meldense Concilium errauit: duo enim capita sunt in Canone: Meldensis quidem Concilij unum: et alterum Hieronymi, cuius nimirum sententiam doctores amplectuntur, & approbant: Concilij uerba sunt hæc: Placuit ut ij qui rapiũt fœminas, uel furantur aut seducunt: eas nullatenus habeant uxores: quamuis postmodum conueniant, aut eas dotauerint, uel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint: Deinde uerba Hieronymi sunt hæc: tria legitima coniugia in scripturis leguntur: Primum legitimum est, uirgo casta in uirginitate uiro data legitimè. Secundũ uirgo in ciuitate depræhensa a uiro, & illi per uim copulata, si uoluerit pater eius, dotabit eam iste uir, quantum iudicauerit pater: & dabit precium pudicitiæ eius. Tertium, filia prædicta depræhensa, si non fuerit uoluntas patris, trahet eam a prædicto uiro, & tradet eam alij, & dotabit eam, & legitima erit ei. Sed primum his duobus præfertur. Cum ergo Hieronymi sententia Panormitanus ait, ipsius Concilij Meldensis præferatur sententiæ, omnino errauit Concilium, & statutum fecit contra ipsam ueritatem: Diuina quidem authoritate Hieronymiana sententia nititur. Hoc ualidius argumentum est, quo se Panormitanus existimat probauisse, fieri aliquando posse, ut generale Concilium erret in moribus & fide. Nos uero ulla prorsus dubitatione asserimus, quemadmodum Ecclesia catholica errare non potest, quod probauimus antea, sic generale Concilium, quod Ecclesiam catholicam repræsentat, haudquaquam errare posse, si tale fuerit, quale nos debere esse pau-

36.q.2.ca. placuit. ca. tria.

lò ante diximus. Neque, ut obijcit Panormitanus, errauit Meldense Concilium: decreuit enim, ut raptor non queat eã uxorem habere, quam rapuit, nisi publicæ pœnitentiæ prius subiaceat. Nam si adsit solus consensus una cum dote, non potest raptor eam, quam rapuit, habere: quod rectè sensit Panormitanus: at si publicæ, ut diximus, pœnitentiæ subiaceat consentientibus etiam parentibus, illam potest habere: atque id matrimonium est, quod secundum legitimum uocauit Hieronymus. Deinde, fuit Hieronymus ante Concilium Meldense: potest autem generale Concilium personas, quæ legitimæ sint ad matrimonium, authoritate summi Pontificis accedente reddere illegitimas: ut contrahere nequeant, aut si contraxerint, matrimonium illud dirimatur. Quanquam enim Ecclesiastica potestas minimè habet uim, supra sacramentum, tamen habet uim supra matrimoniales contractus. Itaque fieri potest ut ætate Hieronymi essent personæ illæ ad matrimonium legitimæ quas postea Concilium fecerit illegitimas, nullius ergo momenti aut põderis ea ratio est, qua nititur Panormitanus. Quemadmodum igitur Ecclesia non potest errare, ita neque generale Concilium: cum enim illud uniuersalem repræsentet Ecclesiam, sicut orauit Christus pro Ecclesia, ita quoque pro Concilio generali orauit. Præterea latere debet neminem, tametsi Concilium errare non ualeat in ijs quæ sunt iuris: ipsum tamen errare posse in ijs quæ sunt facti: ut si clanculum Paulus contrahat cum Lucretia: Deinde in propatulo, & coram testibus, adhibitis consuetis & Ecclesiasticis ritibus ac cerimonijs, cum Maria: lisque ad generale Concilium deferatur: iudicabit Concilium, de-

bere Paulum habitare, communemque habere thorum cum Maria: & sine dubio errabit: quoniam uera uxor Pauli est Lucretia: Sed hoc nimirum est in facto errare, non in iure. At reclamauerit aliquis, non dirigit Spiritussanctus in errorem facti, uelut neque in errorem iuris: dirigit autem Concilium: haudquaquam igitur potest Concilium errare ullo pacto, siue iuris, siue facti errore. Spiritussanctus inquam dirigit Concilium quod profecto ad illa pertinet, quæ sunt uel utilia, uel necessaria Ecclesiæ populisque fidelibus & christianis. Cum porrò iudicat Paulo manendum esse cum Maria, dirigitur a Spititusancto, & probè iudicat: profert enim sententiam ea ratione, qua tenetur: nempe secundum allegata & probata. Spiritussanctus igitur omnium sententiarum & iudiciorum quæ per Concilium feruntur: semper est dux, & director, peculiaris. Non oportet autem illum spetialem eße directorem iudiciorum omnium speculatiuorum, quæ sint in Concilio, quale iudicium est, hunc hominem esse huius mulieris uirum: & hunc mortuum hominem diuum esse, & canonizandum: et sic de huiusmodi alijs compluribus. Quid uero, aliquis dicat, potest ne concilium in omni facto errare indiscriminatim? facta inquam, sunt duplicia: quædam nimirum, quæ in sacris literis exprimuntur: Vt Ioannem Baptistam, Christum, & alios baptizauisse, Paulum ad Cæsarem prouocauisse, Mosem duxisse filios Israhel ab AEgypto in desertum: Alia porrò facta sunt, quæ minimè in scripturis sanctis habeantur: ut hunc hominem esse maritum huius mulieris: atque huiusmodi cætera,

In factis igitur primo modo consideratis, non potest Concilium errare. Sed tantum in factis alijs. In bonis autem moribus, atque in fide nequaquam potest ullo modo errare, quãdoquidem a Spiritusancto in his particulariter dirigitur. In actis enim, aiunt Apostoli, dum in Cõcilio essent: uisum est Spirituisancto & nobis: quibus in uerbis præponunt tanquam directorem Spiritumsanctum. Quanquã uero generalia Concilia in Spiritusancto legitime congregata non queunt in definitionibus errare, ad fidẽ pariterque ad sanctos mores attinentibus: errare tamen possunt, cum non legitimè congregantur: nempè iussu Imperatorũ scelestorum, aut hæreticorum opera: Sic Ariminense Concilium errauit, quod contra Liberij Papæ uoluntatem congregatum fuit, opera & studio hæreticorum contra Nicænam Synodum, procurante id Thauro præfecto qui uehementer fauebat Arrianis; atque id precibus & minis faciebat ob Constantij Imperatoris mandatum, Vnde orientales Episcopi fraudibus hæreticorum in uoce omousion delusi fuerunt: quod postea cum intelligerent omnia quæ in Ariminensi Concilio probauerant, optimo iure ac inspirante Deo recantarunt. Tale fuit quoque Mediolanense Concilium mandato eiusdem Constantij Imperatoris Arrianĩ congregato, ut damnaretur Athanasius christianæ fidei, & catholicæ ueritatis propugnator, in quo Dionysius, Eusebius, Paulinus, & Hylarius, cum alijs pluribus catholicis Episcopis fuerunt in exilium missi, quia damnationi ipsius Athanasij subscribere noluissent. Tale fuit Concilium Anthiochenum iussu Constantij eiusdem celebratum a nonaginta Episcopis, in quo priuatus Alexandri-

Act. 15.

Ex hystor. ecclesiastic. lib. 10. c. 21.

Ex hystor. Ecclesiasti. li. 10. c. 20.

Ex hystor. Tripart. li. 4. cap. 9.

na sede fuit Athanasius, in qua sedebat Episcopus, fuitque missus in exilium: quo multo facilius authoritas aboleretur Nicæni Concilij, et mendacia ueritatem obruerent. Tale fuit Concilium quod centum & sexaginta Episcopi contra Nicænam Synodum apud Seleuciam Isauriæ celebrauerunt. Tale fuit secundum Ephesinum Concilium, cui Dioscorus hæreticus præfuit, non enim legitimè congregatum est, quandoquidem in locum adeo iniustum legati summi Pontificis noluerunt proficisci, ac proinde a Calcedonense Concilio fuit merito condemnatum. Sic impius Constantinus Imperator aduersus Pontificem Constantinianum conciliabulum uoluit congregare, quod postea fuit sub Hyrene Imperatrice in secundo Nicæno Concilio damnatum: At quæso redeuntes ad propositum nostrum, aduersariorum nostrorum argumenta prosequamur, eaque ut cœpimus diluamus. Ex hystor. Tripar. lib. 5. cap. 34.

Secundum argumentum, Exploratum habemus Leonem Papam in certis capitibus constitutiones Calcedonensis Concilij, præsertim cum Alexandrinam deberet Constantinopolitana præcedere, non recepisse, imo semper reclamasse, ac post eum etiam quosdam alios, & tamen decretum Concilij semper obtinuit, ut in robore suo esset. Quemadmodum patet in canone, & in seßionibus, & subscriptionibus Conciliorum, post Calcedonense. Si autem Papa in sua potestate haberet, posse decreta uniuersalium Conciliorum tollere, obtinuisset Leo, cum aliquod successoribus suis, quod uolebat: quod falsum, iuxta prædicta est. Ergo nequaquam est in arbitrio Papæ decreta uniuersalium Conciliorum abolere, aut irrita facere. Respondeo, Dis. 22. ca. renouantes.

Papa errare potest, generale Concilium non potest errare, ut supra facile ostendimus. Ac ideo, si nolit Papa generalis Concilij decreta confirmare, nō minus repræhēsibilis est, quàm fuerit Petrus, quem Paulus repræhendit Antiochiæ. Nec enim ualida sunt generalis Concilij decreta, nisi Papæ authoritate confirmentur. Cum sint ergo illa ipsa condita sine ullo errore, non conuenit, ut debita confirmatione fraudentur. Sed aliquis dicat, quid si errasset Concilium? Respondeo, uerum & generale Concilium quod est sancta & catholica Ecclesia repræsentatiue, haudquaquam potest errare, cum rite celebratur. Neque si plus uideret Papa oculis suis, & suorum Cardinalium, quàm uideat generale Concilium, ullum unquam generale Concilium esset congregandum.

Tertium argumentum: Quamuis tribus articulis de Calcedonensis Concilij capitibus, ut Hiemarus abunde narrat, se opposuisset Leo Papa, minime tamen eis restitit authoritate sua: uerum potius authoritate Nicæni Concilij: cuius uoluit Canones inuiolabiles esse, & sua interesse affirmauit, illa custodire, & conseruare: quibus cum dicebat, eos articulos pugnare, ac ea ipsa capita, quibus pro uirili se opponebat. Respondeo: Leo Papa non solum Nicæni Concilij authoritate reluctabatur tribus Calcedonensis Concilij articulis: uerum etiam authoritate propria. Validi quidem erant Canones, quos ille proferebat aduersus Calcedonensis Concilij articulos: tum Nicæni Concilij approbatione: tum confirmatione ipsius Papæ. Sed operæpretium quidem fuit, ut Leo curaret sedandam illam controuersiam examine, & iudicio generalis Concilij. Quod

facile uidere potuit, num tres illi articuli pugnarent cum Nicæni Concilij canonibus: & si pugnarent, quo pacto, quaue ratione pugnarent.

Quartum argumentum: Aphricanum Concilium eò restitit Cœlestino, quod is facere auderet contra Nicæni Cõcilij Canonem. Neque respondit Cœlestinus: se iure id posse facere: sed idem allegauit Concilium pro se, quanuis corrupte: quoniam uersionem habuit incommodam, ut conspicuum est ex Aphricani Concilij epistola ad Celestinum Papam Romanæ urbis Episcopum: cuius initium est Domino dilectißimo. Respondeo: allegauit pro se Nicæni Concilij Canonem Celestinus, nõ quia putaret in eo esse authoritatem, potestatem, & iurisdictionem, sed quia manifestum erat, in Cõcilio Nicæno fuisse proculdubio maximam prudentiam, sapientiam, doctrinam, & sanctitatem, non sine Papæ authoritate. Debebat uero Celestinus magis Concilij iudicio, quàm proprio confidere, & niti.

Quintum argumentum. Obediens alicui minor est eo cui obedit: Papa uero decretis omnibus reformatorijs a Cõcilio generali ordinatis obsequi tenetur, iuxta Cõstantiẽsis Cõcilij determinationẽ: Papa igitur subest Concilio. Respondeo: subest quidem sapientia, prudentia, & doctrina: sed tamen authoritate præest. Itaque Papa decretis omnibus reformatorijs a Concilio generali ordinatis debet obtemperare: quatenus illa tanquam a Spiritusancto approbata debet authoritate sua, quæ a præpotente Deo est confirmare: atque iuxta illa ipsa regere, ac moderari Ecclesiam Dei suæ curæ, suæq; uigilantiæ commissam. Constantiense porrò Concilium authoritatis nullius est, quẽ-

admodum supra diximus: quamquam in eo fuerunt grauißimi uiri, & multa definierunt dignißima quæ sciantur: In eo quidem ut etiam in Basiliensi, cum a capite suo Romano Pontifice dissentirent, aliqua determinauerunt multo absurdißima.

Sextum argumentum: Legati apostolicæ sedis, qui leguntur in uniuersalibus Concilijs fuisse, dum ad Concilium loquerentur, instar beati Petri, qui surrexit in Concilio Hierosolymitano facturus uerba, ut innueret subiectionem & reuerentiam, surrexisse leguntur: Sic legitur in sexto uniuersali Concilio Constantinopoli celebrato: Et exurgẽtes, qui locum tenebant apostolicæ sedis Romæ &c. Idem quoque legitur in alijs Concilijs. Respõdeo: Alia ratio est, cum, Papa, uel per se, uel per nuntios & legatos iudicium adhibet secundum iudicij significationem tum primam tum secundam. alia est ratio cum adhibet iudicium iuxta quartã iudicij significationem. Primo enim modo sedet, surgit, audit, loquitur tanquam unus ex aliorum patrum numero: nõ sic autem altero modo.

Io. 1. actio.

Septimum argumentum: Mater omnium fidelium est Ecclesia: ergo Papam habet pro filio, alias, testimonio Augustini, Deum habebit nunquam patrem, qui Ecclesiam noluerit matrem cognoscere. Quod Anacletus intelligens, uniuersalem Ecclesiam, ut plane sciunt canonistæ, matrem suam appellat. Et Calixtus ait: sicut filius uenit facere uoluntatem patris, sic & nos implere uoluntatem matris nostræ, quæ est Ecclesia &c. Vnde apparet tanto superiorẽ esse Ecclesiam Papa, quanto est filius matre inferior. Respondeo: Papa ut persona talis minor est, quam Ecclesia:

quæ

quæ mater est omnium fidelium: Ratione tamen officij, quo uicē gerit domini nostri Iesu Christi, omniū est primus authoritate, potestate, et iurisdictione. Quod supra ostēdimus.

Octauum argumentum: Ecclesia est legitima sponsa Christi; pro qua purganda & sanctificanda ille sanguinē suum effudit in cruce: obtulitq; seipsum Deo. Papam uero scimus Vicarium esse. At nemo sic instituit Vicarium suū ut propriam sponsam illi subijciat. Imo plus arbitrij in rebus arduis habere creditur sponsa, quam Vicarius: cum illa sit corpus unum cum sponso: Vicarius non idem cum domino. Respondeo: sponsus magis absq; ulla comparatione sponsam suam amat, quam Vicarium suum, quem tamen amat, sed proculdubio maiorem confert authoritatem Vicario, quàm sponsæ: quandoquidem Vicario suo committit regimen & curam subditorum suorum: quod tamen sponsæ regulariter non committit. Ephe. 5.

Nonum argumentum: Omnis anima, inquit Paulus potestatibus sublimioribus subdita sit. Nec excipit animam Papæ. Quare cum nullus alius mortalium supra Papam sit. necessarium uidetur, ut illum Ecclesiæ subijciamus: nec ideo se putet exemptum, quod dictum sit a Christo: quodcūque ligaueris &c. is quidem personam ferebat Ecclesiæ: cui etiam dictum reperimus: quæcunque ligaueritis super terram, ligata erunt & in cœlis. Respondeo: Argumentū pro nobis est: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esse debet: sublimiorem autem potestatem habet Papa in tota Ecclesia probe moderanda: omnis igitur anima, id est omnis homo, subdita esse debet Papæ, deinde si nequaquam est exēptus Papa a sublimiorum potestatū subiectio Rom. 13. Matth. 16. Matth. 18.

ne, cum ei dictum fuit a Christo, quodcunq; ligaueris &c.
Sed ipsa tota Ecclesia, quippe cum Petrus gereret personam Ecclesiæ: tota igitur Ecclesia libera est, absolutaq; a sublimiorum potestatum subiectione: non ergo animæ, ex quibus constat Ecclesia, potestatibus sublimioribus subditæ esse debent: quod perniciosissimum argumentum est impiorum, et sediciosorum Anabaptistarum. Præterea est alia sententia quæ habetur apud Matthæum in sextodecimo capite: & alia, quæ habetur in capite decimooctauo. Prima enim est de clauibus: altera de iurisdictione. Mox uerba illa quæcunque ligaueritis &c. Non toti Ecclesiæ dicuntur: quemadmodum exposuimus, cum de excommunicatione loquebamur: paucis igitur soluo argumentum. Paulus, cum ait: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non agit de potestate ecclesiastica, quam sublimiorem esse in Papa fateri oportet: sed tantum de politica & ciuili: De qua nos in libro de magistratu contra pestilentissimum errorem Anabaptistarum disputauimus.

Decimum argumentum: Si omnis potestas a Christo Iesu concessa, ut scribit Paulus ad Corinthios, data est in ædificationem Ecclesiæ nõ in destructionem: cur summum Pontificem abutentem clauibus, et omnia destruentẽ, Ecclesia non possit corripere? Respondeo: Nemo sanæ mentis, & probi consilij Papam, siquando per ignorantiam abutatur clauibus, aut iurisdictione, monendum esse inficiatur aut etiam repræhendendum ab optimis quidem, præcipue suis consultoribus, & maxima dignis reuerẽtia Cardinalibus: qui nimirum ea de causa Papæ assistunt. Ita Paulus Antiochiæ repræhendit Petrum dignum repræhensio-

Gal. 1.

ne. Quòd si Papa uel dedita opera clauibus aut iurisdictione abutatur: uel admonitus etiam nolit resipiscere: at potius obstinato animo pergat esse impius: Ecclesiam Dei prophanare: aut hæreticus, aut schismaticus, & seditiosus esse paulò post quid agendum sit dicam.

Vndecimum argumentum Homo in hac uita minor est Angelis, quippe cum apud Matthæum legamus de Ioanne Baptista, qui minor est in regno cœlorum, maior est illo. Tamen dixit ibidem ueritas, inter natos mulierum non surrexisse maiorem Ioanne Baptista: sed perge ulterius: Angelis credere homines, exemplo Zachariæ, coguntur: ne sicut ille cæcitatis pœnam incurrant non credentes. Quid plus? Romanus Pontifex homo est: ergo Angelis minor est: ac Angelis præstare fidem tenetur, sed Angeli ab Ecclesia discunt, eiusq; doctrinæ acquiescunt reuerēter: ut apud Ephesios inquit Paulus, ergo & summus Pōtifex multo magis tenetur idem efficere, & qui minor est Angelis minor est Ecclesia quæ maior est illis. Respondeo, homo natura est minor Angelis, gratia tamen Dei est maior. Qui.n. sanctificat, Paulus ait, et qui sanctificantur ex uno omnes, propterquā causam nō cōfunditur fratres eos uocare dicens, nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum, ego ero fidens in eum. Et rursus, ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Deus, quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eiusdem, ut per mortem destrueret, eum, qui habebat mortis imperium, idest Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam uitam obnoxij erant seruituti, nusquā enim Angelos appræhēdit, Sed se- Heb. 2.

men Abrae apprehendit &c. Porrò ad illud, Angelis credere homines, exemplo Zachariæ coguntur. Quid? an ministris Ecclesiæ, cum iuxta uerbum Dei pronunciāt, nō cogimur credere? Imò, si Angelus è cœlo missus aliter doceret, quam ueri Ecclesiæ ministri doceant, eum inquit Pau-
Gal. 1. lus fore anathema. Tum ad illud, quid plus? Romanus pontifex homo est, ergo angelis minor, concedo natura, non itē gratia et ministerio. Et Angelis iuxta uerbum Dei loquentibus præstare tenetur fidem. Largior etiam hoc ipsum, at suis quoque pijs & sapientibus consultoribus debet credere, non ea tamen de causa minor est illis officio, & potestate. Vt breuiter dicam, scientia maior non maiorem arguit potestatem. Atqui maior est in Iureconsulto scientia quàm in Cæsare, cui consulit, maior tamen potestas in Cæsare est.

Duodecimum argumentum, Ecclesiæ tanta est authoritas, ut recte Augustinus eam Soli æquiparauerit, quoniam sicut cætera lumina Sol unus euincit, sic omnes authoritates Ecclesia superat: unde eiusdem Augustini legitur dictum, Euangelio non crederem, nisi authoritas Ecclesiæ me commoueret. Quæ nusquam de Romano pontifice dicta reperiuntur, qui cum uicem gerat Ecclesiæ, eiusq; administrator existat, nequaquam putandus est aut domino maior, aut æqualis. Respondeo, Dicimus, uirtus & facultas uidendi est in homine, cum ea tamen in solo capite homi-
Leuit. 11. nis, adeoq; in solis oculis existat. Et Moses describit animalia, quæ habent ungulas: dicimus igitur animal habere ungulas, cum tamen ungulæ non sint in toto animali: uerū in solis pedibus. Ita quoque fatemur, Ecclesiam habere

supræmam authoritatem cum tamen in tota sparsim Eccle*sia nō sit authoritas suprema,sed in* Papa *solo, qui est unū ex membris* Eccles*iæ,ut persona talis.*Quanuis *pro ministerio, uicem capitis gerat.* Quomodo *uero nequaquam* Euangel*io credamus,nisi quatenus authoritate ipsius commouemur* Eccles*iæ,plane iam antea disseruimus.*

Tertiumdecimum *argumentum,* Maxime Romanum *pontificem subiectum esse* Eccles*iæ uerba ipsius* Christi *plane ostendunt, cum* Petrum *futurum* Papam *ad* Eccles*iam remittit inquiens: dic* Eccles*iæ.*Respondeo: Christus *non remittit* Petrum *ad* Eccles*iam. tanquam ad eam, quæ maiorem & sublimiorem* Petro *habeat authoritatem, sed tanquam ad eam, cui denuntiet, illum, qui est incorrigibilis, qui & ministrum audire negligit, excommunicatum esse: ac proinde cauendum, & repellendum ex communi omnium conuersatione.* Quod *satis superque antea declarauimus.*

Quartumdecimum *argumentum* Ad Eccles*iæ authoritatem illa pertinent uerba:qui uos audit,me audit &c.*Respondeo:*Imo ad solos ministros* Eccles*iæ pertinent: quorū interest alios docere purgare,illuminare,dirigere,corrigere,pascere,perficere, & id genus alia diligenter curare.* Vnde Paulus *ait ad presbyteros* Eccles*iæ:*Attēdite *uobis, & uniuerso gregi:in quo uos* Spiritussanctus *posuit* Epi*scopos regere* Eccles*iam* Dei *quā acquisiuit sanguine suo.* Act.20.

Quomodo Papæ authoritas ad Canones generalium Conciliorum se habeat.

SVperioribus *ad præsentem quæstionem facientibus addendum esse iudicaui:*Papam,*licet conseruare, &*

custodire habeat generalium Conciliorum canones: & iuxta illos moderari Ecclesiā: tamē posse authoritate sua illos relaxare, mitigare, temperare, limitare, suspēdere, et dispensare: siquando uel necessitas, uel utilitas Ecclesiæ id postulauerit. Legitur sane Adrianum scripsisse in hūc modum: ut cum Gelasio Papa dicamus, necessaria rerū dispositione constringimur: & Apostolicæ sedis moderamine conuincimur, sic canonum paternorum decreta liberare, et retro præsulum prædecessorumq; nostrorum præcepta metiri utq; præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus: quod & nos æqua possumus pro lucrandis fratribus ratione prosequi & temporum necessitati consulendo penitus imitari. Hæc habentur in Canone. Curandum tamen est omni studio, ne leuibus, & friuolis de causis relaxentur Conciliorum generalium canones: ut Gelasius Papa inquit. Vnde Nicolaus Papa dicit: Romanam Ecclesiam pro consideratione ætatum, temporum, & grauium necessitatum, instar Pauli dispensatorie aliquid posse agere: idq; tamen obseruandum esse, quando illa, uidelicet Romana Ecclesia disertissima consideratione, id ipsum fieri delegerit, non quando ipsa, quæ bene sunt definita retractare uoluerit. Ad hoc uideatur Archidiaconus, qui ait: Si canon aliquis prohiberet dispensationem, aut relaxationem canonum, postulante id necessitate, uel utilitate Ecclesiæ, omnino illum irrationabilem fore. Exemplis etiam ostendit contra Concilia tum prouincialia, tum uniuersalia, Episcopos aliquando dispensasse & relaxasse, idq; optimo iure, Canones.

In.1. octaui Concilij actione.

1.q.7.c. necessarii de conse.1dis.1. c. basilicas.

Dis.70. ca. sanctorum.

Ad quartam quæstionem Posse generale Concilium a Papa dissolui, transferri, prorogari, et suspendi.

SI præualerent in generali Concilio impij, & manifestum periculum esset, ne decreta, uel instituta, cum religione, aut cum doctrina christiana pugnantia conderentur, non solum posset, uerum etiam teneretur Papa, etiam reclamante Concilio, dissoluere, aut transferre in locum tutiorem, aut prorogare ad aliud tempus, aut suspendere, authoritate sua tale Concilium tum suspectum, tum periculosum, quamuis antea ipsum legitime conuocasset Papa sperans illud futurum utile, ac in Spiritusancto celebrandum esse: cum enim Concilij potestas a Papa omnino pendeat, si Concilio a Papa dissidente, reuocet Papa omnem quam dederat Concilio potestatem, tũ sine capite suo Concilium est, ac sine omni legitima potestate, quid ergo mirum si dicamus, Papam ualere ipsum Concilium dissoluere, aut transferre, aut prorogare, aut suspẽdere? Quid si Cõciliũ Papæ nõ obediat? Respõdeo, Cõciliũ non erit, sed cõciliabulũ, nõ ratũ, non firmũ, sed irritũ et uanũ. Solutio uero istius quæstiõis eo cõfirmatur, quod Papa supra Cõcilium est authoritate, potestate, et iurisdictione, quemadmodum probauimus antea. At insurgunt magis clamoribus aduersarij nostri, quomodo corrigere Papã sancta Synodus poterit, si solui Synodus, uel per Papam irrita fieri potest? Sit Papa libidini seruiens, sit auri, & pecuniæ cupidus, sit bellorum, ac tumultuum auidus, sit hostis Ecclesiæ, & christiano infensißimus nomini, quo pacto illum redarguere Concilium poterit? Si illi facultas pateat.

dissoluendi Concilium? Nempè ut agi de sua correptione in Concilio audierit pontifex Romanus,*mox ad dissolutionis remedium properabit, quoniam, sicut pulchre inquit* Macrobius,*cui plus licet quàm par est, plus uult quàm licet.* Respondeo, *Vociferantur aduersarij nostri extra causam, cum de sancta Synodo, & de perfido & scelestißimo* Papa *obijciunt: nos enim loquimur de suspecto, periculoso, & peruerso* Concilio, *deque uero, bono, & legitimo* Papa, *qui habeat curæ suæ commissas oues christiani gregis animo, & cordi, qua fit, ut prorsus uana sit, ac inutilis ea quæstio, nunquid generale* Concilium *queat* Papam *deponere,* Papa *quidem supra* Concilium *est, ipseq; solus plenariam habet potestatem & iurisdictionem immediate a* Christo, *& nullus alius in* Ecclesia *Dei habet iurisdictionem ullam, ne ipsum quidem* Concilium, *nisi per summum pontificem, ut docuimus, non ergo potest iure deponi a* Cõ*cilio summus* Pontifex. At *nos de hac re paulo post aliqua differemus.* Quid *si* Papa *sit perfidus? hæreticus? schismaticus? seditiosus: uastor* Ecclesiæ? *bonorum morum, & cærimoniarum, & rituum corruptor? sacrorum dogmatum deprauator? ac, ut uno uerbo compræhendã omnia, atheos?* Ad *hoc necesse est ut respondeamus.*

Posſit ne Papa deponi ullã ob cãm, & a quibus.

QVo *uero hæc res, quam modo tractamus, efficiatur planior, & aliquanto manifestior, uidèdum est breuiter, posſit ne aliqua de causa* Papa *ipse unquam deponi: si porrò queat deponi, a quibus legitime ac optimo iure deponendus sit.* Fuerunt *igitur qui putarent fieri haudquaquam posse ut aliquando* Papa *sit hæreticus,*

Albertus Campensis in sua Hierarchia.

nullumq́; à Petro ad præsentem usque maximum Pontificem unquam hæreticum fuisse, atque illos fuisse omnes catholicos, qui habiti sint hæretici ab aliquibus, ac proinde nulla de causa Papam deponi unquam posse. At horum opinio magis pia est quam uera, Existimauerunt alij porrò interdum Papam cadere in hæresim. Atque horum alij dixerunt Papam deponendum esse a generali Concilio, non modo propter hæresim, at propter etiam causas alias com plures, ut cum uniuersam Ecclesiam publice scandalizaret cumq́; in pernitiem uniuersalis Ecclesiæ machinaretur, & sua omnino authoritate abuteretur. Sed ij propterea uehementer decepti sunt, quia somniauerunt magnam quandam esse in Concilio supra Papam immediate ab Optimo Maximo Deo potestatem: Cum tantum pertineat ad Conciliũ, quod ipsa indicat nominis ratio, consultare, consilia deliberare, conferre quid melius, quid utilius sit, quid magis, quid minus expediat: cumq́; omnem habeat à Summo Pontifice authoritatem, & potestatem. Vbi enim scriptura sacra docet ullam generali Concilio datam esse iurisdictionẽ aut facultatem. Sed nos hac ipsa de re, quantum par erat, antea disseruimus. Alij porrò existimant, Papam cum primum in hæresim ceciderit, esse propterea depositum, quod sit absque fide, quod sit ab Ecclesia præcisus. At nos initio demonstrauimus ecclesiasticam iurisdictionem in fide aut spe aut charitate nequaquam fundari, sed in charactere ipso christianitatis, qui proculdubio est indelebilis. Deinde sunt alij qui arbitrentur Papam hæreticum, ob hæresim deponendum esse, nullamq́; aliam esse causam præter hæresim ob quam iure deponi queat summus Pontifex. Atque ij

Conci. Constant. & Basilien.

Magna pars Canonistarum et Theologorum.

pro suæ opinionis fundamento habent uerba & dicta Bonifacij martyris & aliorum quæ citat Gratianus: tũ etiam
Dis. 40. ca. si Papa. 24. q. 1. quia Papa cum propter hæresim sit excommunicatus, & præcisus ab Ecclesia, non potest cum fidelibus & christianis habere commercium, & Anathema quidem & separatus omnino est ab Ecclesia, quomodo ergo illum non deponi oportet? De hæretico sane Paulus ait: Anathema sit. Et
Gal. 1.
denunciamus uobis fratres in nomine domini nostri Iesu
2. Thes. 3. Christi, ut subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Et hæreticum hominem post unam et secundam cor
Ad Titũ. 3. reptionem deuita, sciẽs quia subuersus est, qui eiusmodi est,
Epistola. 2. & delinquit, cum sit proprio iuditio condennatus. Deinde Ioannes inquit: Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis: qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Itaque manifestum est scripturæ sacræ testimonio hæreticum Papam excommunicatum esse, ab Ecclesia separatum, & a fidelibus omnibus cauendum esse, ac propterea
1. Pet. 2. deponendum: quod autem ob causam nullam aliam queat de
Cap. 23. poni, similiter scriptura sacra ostendit, Petrus enim dicit, obediendum esse præpositis etiã discolis, Et Christus apud Mattheum inquit: super cathedram Mosi sederunt scribæ & pharisæi, quæcunq; ergo dixerint uobis, ut seruetis, seruate, & facite, opera aũt eorũ nolite facere: dicunt enim, et nõ faciũt. quibus uerbis mandat Christus, ut subditi prælatos suos malæ ẽt uitæ dũmodo ferãt bonã et sanam doctrinã audiãt, eisque obediant: Papa igitur nulla de causa deponẽdus est, si catholicã teneat doctrinã. Verũ enimuero si

deponẽdus esset Papa ob hæresim, nempè quia propter hæresim sit excommunicatus, propter alia quoq; peccata quã plurima eadem esset ratione deponendus: nõ enim propter solam hæresim docet Paulus feriendos esse homines excommunicatione, ueram propter alia publica multa crimina: Ita quidẽ scribit ad Corinthios: nunc autẽ scripsi uobis, nõ commisceri, si is qui frater nominatur inter uos est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum sumere. Nemo autem generalis Concilij octaui sententiam potest ad horum opinionem confirmandam proferre, tantum enim illud habet, licitum esse minoribus in causa hæresis maiorum suorum motibus resistere, uel prauos suos sensus libere respuere. Nihil autem de summi Pontificis depositione uspiam egit: imo planè inquit, ut ipsius uerba nunc recitem: in tertia allocutione Adriani ad Synodum sic habetur: Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum præsulibus iudicasse legimus, de eo uero quemquam iudicasse non legimus. Præterea minime curandum est quid Gratianus in uolumine suo decretorum, ex dictis Bonefacij martyris & cæterorum allegauerit contra ueritatem. Quomodo autem propter hæresim Papa deponendus sit, ut declarent nonnulli, fingunt ministerialem quandam in Ecclesia & in generali Concilio authoritatem, cui Papam subesse comminiscuntur, quod pertinet ad depositionem, idque solum in causa hæresis: ac præsertim si omnino sit incorrigibilis: uolunt porrò hanc ministerialem potestatem non super authoritatem esse pontificiam, quippè cum ea sit ab uno & solo Deo immediatè: uerũ super authoritatis ipsius applicatio

1.Cor.5.

Actio.7.

Caietanus in opusc. c. 19 20, 21. et 22.

nem: quatenus huic aut illi designato per canonicam electionem a Cardinalibus homini applicatur. Nam ueluti ministeriali quadam authoritate a Cardinalibus eligitur: sic potest ab Ecclesia deponi, simili authoritate ministeriali. Quo uero planior sit eorum hæc sententia: notant in Papa tria esse quæ considerentur, Primum quidem Papatum: deinde personam nempe Iulium, aut Paulum, aut Clementē: coniūctionem porrò utriusque: ex qua nimirum coniunctione dicunt Iulium Papam consurgere. Papatum igitur esse ab Optimo Maximo Deo immediate asseuerant: Iulium a Parentibus suis: deniq; Iulium Papam, seu Papatus & Iulij coniunctionem a Cardinalibus canonice quidem eligentibus. Verum si ministerialis ea potestas similis eius est, qua eligitur Papa: quemadmodum ergo non ad Ecclesiam, neque ad Concilium spectat eligere Papam, sed omnino ad Cardinales, ita eorundem partes erunt, non Ecclesiæ neque generalis Concilij Papam hæreticum deponere. Cum præterea Cardinales, ut supra diximus, Papam eligunt, personam duntaxat nominant, Deus uero nominatæ personæ tū coniungit, tum uere applicat Papatum: Quemadmodum igitur Papatus a solo Deo tanquam ab eius authore atque institutore existit, ita quoque applicatio seu coniunctio Papatus cum hoc nominato a Cardinalibus homine, a solo Deo est. Denique si Ecclesia uel generale Concilium deponat summum Pontificem authoritate illa ministeriali, aut iudicis personam subeunt, aut id minus: ac si iudicis quidem personam subeunt, ergo authoritas illa iudiciaria est, cohibitiua, & coactiua: & Papa omnino est reus: quomodo igitur negant esse authoritatem eius modi supra Papam,

ſupraque Papæ ipſius authoritatem? uere figmentum eſt, quod ij ſomniant. Sin uero iudicis perſonã minimè ſubeũt: non ergo Papam deponunt, ſed eum eſſe depoſitum duntaxat planè oſtendunt. Eum autem nequaquam eſſe depoſitum paulò ante demonſtrauimus.

Nulla igitur de cauſa nec etiam propter hæreſim aut occultam, aut manifeſtam, poteſt uel ab Eccleſia, uel a generali Concilio, uel a Cardinalibus deponi. Quandoquidem Papa nullius poteſt iudicio ſubeſſe tanquam reus: nã plenaria totius Eccleſiæ poteſtas a Deo proculdubio eſt immediate in ſolo Papa: quemadmodum antea probauimus. Quippe cũ Marcellinus idololatriæ, negatique chriſtiani nominis peccato nefario & flagitioſiſsimo uniuerſam Eccleſiam ſub horribili perſecutiõe Diocletiani offendiſſet ac uehementer ſcandalizauiſſet, Epiſcoporum centum et octoginta Sinueſſæ in Cãpania congregatum Concilium minimè illum præſumpſit, uel condemnare, uel deponere; ſed omnes patres illi uenerandi, oſtendentes id fieri poſſe a nemine dicebant uno ore omnes: Quoniam prima ſedes non iudicabitur a quoquam: noli ergo audiri in iudicio noſtro: ſed collige cauſam tuam in ſinu tuo: tuo ore cauſam tuam iudica, non noſtro iudicio. Similiter cum eſſet congregatum ſub Theodorico Rege Concilium, ut de ijs quæ contra Symachum Papam obijciebantur, iudicaret, omnes Epiſcopi una uoce dixerunt: Symachus Papa ſedis Apoſtolicæ Præſul ab eiuſmodi oppoſitionibus quibus eſt impetitus, quantum ad homines reſpicit, ſit immunis, et liber, cuius cauſam totam Dei iudicio reſeruamus, quia in confeſſo eſt, non licere homini aduerſus Romanum Pontificem dicere ſentẽ-

tiam Præterea in generali octauo Concilio sic definitum
Can.21. est. Nemini conscriptiones contra sanctißimum Papam senioris Romæ, ac uerba complicare, uel componere liceat; sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum: quod & nuper Photius fecit, & multo ante Dioscorus. Quisquis autem tale facinus contra sedem Petri principis Apostolorum ausus fuerit intentare, æqualem & eandem, quam illi condemnationem recipiat. Porrò si Synodus uniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia, quæuis ambiguitas, & controuersia, oportet uenerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari, et solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere: non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices. Hæc generale octauum Concilium. Quoniam igitur nullus præter Deum, cui soli Papa redditurus est rationem uillicationis suæ, potest in Ecclesia sancta Dei esse iudex supra maximum Pontificem, idcirco neque potest ulla de causa deponi. quod si forte usu ueniret aliquando ut impius, hæreticus, omninoque Atheos esset, ac mala in Ecclesia Dei quamplurima toto conatu suo machinaretur: tũ Cardinales, & ubique nationum christianarum pij & fideles homines, aut etiam si extaret generale Concilium, deberent aßiduas orationes ad Optimum Maximum Deum, et ad dominum nostrum Iesum Christum effundere, ut dignaretur malum & pernitiosum Papam, uel de medio tollere, uel in cor eius auxilium gratiæ suæ immittere, quo ille resipisceret. Tum profecto Deus & dominus noster Iesus Christus, qui dixit, uobiscum sum usque ad consummatio-

nem seculi, haud dubie succurreret Ecclesiæ suæ pro qua suffixus in crucem, sanguinem & uitam effudit. At queso aliquod remedia tanto huic malo satis superque opportuna in medium proferamus.

Remedia, quibus Papa reuocari possit ad resipiscentiam, siquando a recta via oberrauerit.

QVoniam Papa nullam ob causam desinit esse Papa nec etiam propter hæresim, aut propter apostasiã, propterea sunt, qui aliquod remedia colligant pro Papa reuocando ad resipiscentiam, siquando praua doctrina & prauis moribus suis populum christianum scandalizet. Ac primum quidem remedium est, ut sapientes et prudẽtes uiri admoneant ipsum aut coràm, aut per literas, cũ prudenter tũ sapiẽter, atq; id faciãt ex charitate. Alterũ est, ut Ecclesia pro ipso effundat aßidue orationẽ ad Deũ, ut dignetur pro bonitate et misericordia sua infinita Papã redigere in uiam ueritatis, ac bonorũ morum, et gressus pontificis dirigere in uia beneplaciti sui. Tertiũ est, ut quẽadmodum Paulus Antiochiæ restitit Petro in faciem, cum ille repræhẽsibilis esset, ita resistãt, nõ tamẽ sine reuerẽtia & humilitate, Cardinales pontifici aliqua molienti aduersus bonos mores, & contra utilitatem communem, & pacem & tranquillitatem Ecclesiæ. Quartum est, ut siquando Papa simoniam committit, nemo acceptet ea; quæ perperam atq; impie cõtra legem Dei patrantur a pontifice, quales sunt promotiones, prouisiones, beneficiorũ collationes euidenter simoniacæ. Quintum est, ut generale Conciliũ a Cardinalibus cõgregetur, si quidẽ Papa nolit cõgregare, & subterfugiat correptionem & reformationem:

Gal. 2.

Conuocare inquam debent Cardinales œcumenicum Concilium, non ut Papa deponatur, quãdiu enim Papa est, deponi minime potest, neque ullum habet iudicem a quo damnari queat: propterea quod pontificatum & iurisdictionem plenariam solus habet immediate a Deo, ut supra exeruimus. Verum ut facilius admoneatur, ut feruentius oretur pro eo, ut denique potentius, & efficacius illi resistant in faciem congregati patres ex omnibus christianorum nationibus. Hoc remedio Marcellinus Papa resipuit. Postremum est, ut in patientia toleretur, quemadmodum Anacletus ait, doctor, uel pastor Ecclesiæ: si a fide exorbitauerit, erit a fidelibus corrigendus, sed pro reprobis moribus magis est tolerandus quàm distringendus. Nam ex longa tolerantia sperandum est, ut fauore Dei conseruantis Ecclesiam suã resipiscat, ueluti Ioannes uigesimussecundus resipuit.

Dis. 21. cap. nunc autem in epistola ad omnes episcopos, & Christi sacerdotes.

De institutis sãctæ et catholicæ Ecclesiæ Romanę.

QVoniam ad potestatem Ecclesiasticam probe illustrãdã uehementer pertinet quæstio de cærimonijs, & ritibus, deque uniuersis Ecclesiæ Romanæ institutis: quoniam inquam ea quæstio plurimas tragœdias excitauit ubique nationum christianarum his temporibus nouißimis: proinde faciendum mihi putaui ut eam quoque in præsentia explicarem, quod ut commodius præstemus, quædam altius huc breuiter a nobis repetenda sunt.

In quo summa rei christianæ consistat.

SVmma rei christianæ ante omnia consistit in agnitione articulorum christianæ religionis, in fauore, auxilio, gratia, misericordia, & bonitate Dei, in beneficijs & meritis Christi erga homines, in fide non otiosa, nõ sterili,

non

nō uana, non informi, nō mortua: sed in fide operosa, fœcū da, plena, formata, uiua: in spe, qua, ut Paulus ait, uiuimus in charitate Dei, quæ effunditur in cordibus nostris per Spiritumsanctum, qui datus est nobis, Denique summa rei christianæ consistit, ut uno uerbo dicam, in iustificatione, de qua Tridentinum Concilium pulcherrimum & memorabile decretum composuit, & in sexta illud sessione promulgauit. Ad iustificationem uero externa opera bifariam spectant, uel quidem, ut nos ad ipsam inducant iustificationem aliquo modo, qualia sunt omnia sacramenta; & præsertim baptismus, ac pœnitentia: uel ut per iustitiam, qua sumus coram Deo iusti, producantur a nobis ea opera. Sed oportet diligenter animaduertere in ijs operibus magnum discrimen esse: quædam enim talia sunt, ut omnino sint necessaria, idq; dupliciter est, aut quidem ut coniuncta & affinia sint opera illa iustificationi, aut ut, e diametro pugnent cum uoluntate diuina, cumque ipsa iustificatione. Hæc uero ne faciamus, probibemur diuino iure, ut autem illa faciamus, habemus a Deo mandatum. Vt fidei confeßio ad mortem usque omnino præcepta est: inseparabiliter enim congruit iustitiæ, qua iusti coram Deo sumus. Cæterum ne ipsam fidem, Euangelium, & Christum abnegemus, debemus magno & constanti animo fulti gratia & auxilio Dei conari, uel quidem sanguinis effusione, ac dispendio uitæ huius mortalis, quandoquidem talis abnegatio e regione aduersatur iustitiæ & charitati, quippe cum dicat dominus noster Iesus Christus apud Matthæum, omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre

Rom. 8. Rom. 5. Cap. 10.

meo, qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Quædam porrò talia sunt externa opera, ut adiaphora, seu indifferentia, & media probe uocentur, ea nimirum de causa, quod indiscriminatim, queunt esse uel bona uel mala, pro animo siue pro intentione operantis: nec enim iustitiæ seu gratiæ sunt necessario connexa, nec ab ea necessario separata.

De operibus Adiaphoris. Et qualem habeāt potestatem ministri Ecclesiæ.

HAec opera, quæ Adiaphora sunt, de quibus hoc in loco præcipue agendum suscepimus, nec uetita fuerunt, nec iussa prima institutione Christi omnia, nec etiam temporibus Apostolorum cuncta omnibus ætatibus obseruanda in uniuersali Ecclesia sancita fuerunt. Sed a
Matth. 28. Christo, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, Episcopis, & alijs pastoribus, & orthodoxis patribus, tāquam senatoribus & proceribus Ecclesiæ, per Papam datum est ius condendarum omnibus ætatibus legum, statutorum, constitutionum, rituum, cærimoniarum, non profecto in eum finem, ut laqueum fidelibus conscientijs inijciant, neque ut acerba sint quædam fidelium conscientiarum carnificina: quemadmodum eas esse aduersarij nostri nobis iniuria obijciunt. Verum potius in eum finem, ut omnia gerantur in Ecclesia cum decoro & ordine, sicut plane docet Paulus in priore ad Corinthios epistola, in qua ordinat lectiones habendas, & uelandas mulieres, & huius generis alia plura.

Quæ ordinantur ab Ecclesia mandata Dei esse.

NE uero aliqui forte fortuna putarent, esse leuis momenti ordinationes in Ecclesia, eorum qui sunt ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei, idem Paulus, cum loquutus fuisset de ritibus, de institutis, & ordinationibus suis, tãdem subiecit: siquis uidetur Propheta eße, aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo uobis, quia domini sunt mandata. Ac si diceret, accipienda sunt pari pietatis affectu cum diuinis ordinationibus, quandoquidem sunt a ministris Ecclesiæ secundum eam potestatem, quam dominus Ecclesiæ dedit. Quamuis enim ordinationes Ecclesiæ non sint immediate a Deo; tamen a Deo sunt mediate. Atque isto modo proculdubio sunt ordinationes, & mandata Dei: unde qui reijciunt has ordinationes, diuinæ potestati reluctantur. Cum sane Paulus Thessalonicensibus dixisset: Scitis enim quæ præcepta dederim uobis per Christum Iesum: paulo post subiecit: itaque qui hæc spernit non hominem spernit sed Deum: qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. 1.Cor.14.

Qualem potestatem habeant ministri Ecclesiæ circa iam factas et promulgatas in Ecclesia ordinationes.

HAbent porrò authoritatem pastores & proceres Ecclesiæ non modo condendi talia, sed possunt etiam pro temporis occasione illa ipsa mutare, alterare, corrigere, limitare, & reijcere. Quod frequentißime actum est in posterioribus Concilijs, quæ priorum constitutiones correxerunt, & accommodarunt ad sua tempora: sunt enim ritus, & cærimoniæ, ordinationes omnes ecclesiasticæ pro utilitate fideliũ. Quare si aliquæ aliquo

tempore utiles fuerint, quæ temporibus ſequentibus, non itidem ſint utiles, tum corrigendæ aut immutandæ ſunt ab orthodoxis patribus & œcumenicis Concilijs. A*ge unum ad propoſitum afferamus exemplum.* A*nte* N*eſtorium utile fuit, ut laicis porrigeretur ſacramentũ* E*ucharistiæ ſub utraque ſpetie.* A*t cum* N*eſtorius in* E*cclesiam errorem illum inuexiſſet, ut doceret paßim, ſub altera ſpetie tantum, eſſe imperfectum ſacramentum* E*ucharistiæ, perfectum uero ſub utraque ſpetie, inutile cœpit eſſe communicare laicos ſub utraque ſpetie, quoniam putabant quamplurimi, eo ſub una tantum ſpetie non communicari laicos, quod ſacramentum ſub una tantum ſpetie imperfectum eſſet, iuxta impiam* N*eſtorij doctrinam.* T*unc igitur optimo iure declarauit* E*ccleſia, & ſub ſpeciebus panis ſine ſpetiebus uini, & ſub uini ſpetiebus ſine ſpetiebus panis: hauddubie ſacramentum perfectum eſſe.* Q*uam ueritatem, ut magis imprimeret in cordibus fidelium eradicata impietate* N*eſtorij, non ſolis uerbis, at ſigno etiam aliquo exteriore, planè ordinauit, ut ſacramentum* E*ucharistiæ, non iam ſub utraque ſpetie laicis porrigeretur, ſed tantum ſub ſpetiebus panis.*

Quibus de rebus proprie in Eccleſia ordinandi ſint ritus & cęrimonię.

I*Taque, ut ad propoſitum redeamus, certi conſtituendi ſunt dies orationum, ieiuniorum, publicæ pœnitentiæ, confeßionis, cœnæ dominicæ, prædicationis, & aliarum huius generis rerum neceſſariarum pro christiana religione propaganda, & pro cultu diuino retinendo, conſeruando, & magis magisq́; in dies augendo: ut ſciant*

fideles, quando conuenire illos oporteat ad audiendum prædicationem, ad ſacramenta percipienda, & ad reliqua omnino facienda, quæ in publico cœtu fidelium oporteat fieri, ea potiſsimum de cauſa ut conſeruetur eccleſiaſtica Hierarchia, & fidelium unanimitas: atque ita omnia cum decoro, & ordine gerantur in Eccleſia. Cum inquam ſoli homines ordinem intelligant, maxime conueniens eſt hominum naturæ conſtituere, temporum, locorum perſonarum, ueſtium, & cultuum diſcrimina. Ut enim cæteris legibus in hac uita corporali opus eſt, ita & cærimonijs, & Eccleſiæ ordinationibus, atque inſtitutis opus eſt. Cærimoniæ quidem naturaliter etiam pars quædam ſunt legis, & diſciplinæ. Quare qui barbarice clamant, ritus, conſtitutiones, mandata, & cærimonias Eccleſiæ, prorſus abolendas eſſe, belligerantur cum diuina uoluntate gigantea quadam & cyclopea temeritate, atque audacia: cumq; ipſa natura hominum tanquam impij Timones pugnant. Quippe cum uoluntas Dei ſit, ut omnia efficiantur cum decoro, & ordine: ac natura quidem hominũ regi non poteſt ſine cærimonijs. Nam quæ domus, quæ familia, quæ reſpublica, non habet diſcrimen temporum, locorum, perſonarum, omnium poſtremo eorum, quibus decenter & ſingulari ordine gerantur omnia? Unde Hieronymus optimo iure commendat Nepotianum pro diligenter obſeruatis cærimonijs. Erat, inquit, ſolicitus ſi niteret altare: ſi parietes abſque fuligine: ſi pauimenta terſa: ſi Ianitor creber in porta: uela ſemper in oſtijs: ſi ſacrarium mundum: ſi uaſa lucentia: & in omnes cærimonias pia ſolicitudo diſpoſita non minus, non maius negligebat

In Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum. 2. parte epiſ. 64.

officium: ubicunque eum quæreres, in Ecclesia inuenires.

In quem vsum habenda sint ecclesiastica instituta.

Habendæ sunt hæ patrum nostrorum ordinationes, & summa quidem ueneratione retinendæ, ac obseruandæ ut sint omnibus tanquam utilis, & commoda pædagogia quædam ad sacratiora mysteria capescenda, & ad sacra omnia reuerentius tractanda. Habendæ inquam sunt pro imaginibus & simulacris pietatis & fidei: quæ in oculos, & aures quotidie influant. Denique habendæ sūt pro fulcimentis, & adminiculis uirtutum: ac pro stimulis perpetuo nos excitantibus, & admonentibus, quid, a quo, cui, quo tempore, quo pacto, ubi conueniat suscipi, agi, tractariq; in toto isto negocio, ut omnia fiant & procedant cum decoro & ordine.

Quid cauendum sit in ordinandis ritibus et cærimoniis, et quatenus obligent instituta ecclesiastica.

Nihil ordinandum est, quod sit ulla ex parte mandatis Optimi Maximi Dei contrarium: quodq; præstari non queat sine peccato. Quales apud Iudæos erāt
Cap. 15. complusculæ ordinationes, & seniorum traditiones, ut Christus ait apud Mattheum. Ac nullæ præterea sint huiusmodi cærimoniæ, quas in casu necessitatis, & citra scandalum fideles non habeant integrum bona & tranquilla conscientia omittere. Cum enim Apostoli maiorum statuta quandoque minime obseruarent, defendebat eos Christus aduersus importunas pharisæorum calumnias. Imo non solum cærimonialia, quæ ab orthodoxis patribus &

pastoribus Ecclesiæ adeoq; a generalibus Concilijs magnis & iustissimis de causis instituuntur, licitum est in casu necessitatis omittere; uerum etiam illa quæ immediate fuerunt instituta a Christo hauddubie queunt dispensari, uel simpliciter omitti: ut si quispiam uel naufragium patiens, uel in carcere detentus, uel degens inter infideles careat Eucharistia: non extrema ungatur unctione: non ab aliquo sacerdote absoluatur: addo etiam si uolens baptizari, non possit. Modo enim in tali casu appræhendatur certa persuasione, atque indubia fide misericordia & gratia Dei per Iesum Christum, & pariter habeatur uotum suscipiendi sacramenta, siquando pater Deus obtulerit opportunitatem: illud abunde sufficit: nec enim Deus ita seipsum ac suam potentiam & misericordiam alligauit sacramentis, ut non queat gratiam suam conferre sine sacramẽtis. Nulla tamen urgente necessitate, aut aliquo imminente pusillorum & infirmiorum scandalo, cærimonialia omnia Ecclesiæ uel a Christo instituta, uel a patribus, ita præstare ad unguem tenemur, ut mortaliter peccent quicũque illa dedita opera transgrediuntur. Vnde ministri Ecclesiæ obstringunt nos proculdubio sub peccati mortalis pœna ad exactissimam ordinationum suarum obseruationem: quæ sunt pro bene beateque moderandis Ecclesiæ habenis: & propter eas causas & rationes, quas antea recensuimus. Obstringunt inquam, non per se quidem aut directe: sed per accidens aut indirecte: quatenus iuris diuini obedientia est: quam præstare illis debemus: quandoquidem Paulus inquit: obedite præpositis uestris. Si uero, cum in gratia Dei sumus, obtemperamus ex animo præ- Heb.13.

positis et Antistitibus nostris: eiusmodi obedientia est acceptissima Deo, & ulterioris perfectiorisue gratiæ, et æternæ uitæ, per ipsam Dei gratiã æque meritoria, ac si Deo ipsi obediremus: quãdoquidẽ ille ait: qui uos audit, me audit. Postremò ita semper obediendum est præpositis et Antistitibus nostris, ut nobis perpetuo ante oculos ea Petri sententia uersetur: magis obedire oportet Deo, quam hominibus. Neque ita obruitur doctrina de fide: neque trãsferimus beneficia Christi in has ordinationes Ecclesiæ. Imo est ingens & singulare beneficium Christi ob illam obediẽtiam: Sic nos placere Deo, ut promereamur Deum.

Quomodo cerimoniæ nostræ a cerimonijs Mosaicis differãt.

REclamãt nonnulli: cur toties Paulus inuehitur contra cærimonias, & externas has ordinationes? Respondeo: non inuehitur Paulus contra cærimonias & ordinationes ecclesiasticas: quandoquidem faciebat, & constituebat plurimas, ut paulò ante dixi, in Ecclesiis quas in Christo ædificabat. At solum inuehitur contra legales & Mosaicas: ea sane de causa, quod illæ non ordinatæ in hoc fuerant, ut perpetuo durarent: utq; solum efficerentur omnia cum decoro & ordine. Sed ut etiam typi essent dulcißimi, & suauißimæ quædam umbræ, uenturi olim iuxta diuinas promißiones, domini nostri Iesu Christi. Ad Colossenses ait Paulus: Nemo uos iudicet in cibo, aut in potu, aut parte diei festi, aut Neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum: Corpus autem Christi &c. Vnde quicunque obseruaret hoc tempore Mosaicas leges & cærimonias, Christum negaret: illumq; præstolaretur & ex-

Cap. 2.

pectaret adhuc uenturum. Nostræ *autem cærimoniæ, atq; ordinationes ecclesiasticæ, nequaquam sunt eiusmodi. Qua re tantum abest, ut contra illas Paulus inuehatur ut eas potius confirmet: quemadmodum antea plane ostendimus ex priore ad Corinthios epistola.*

Cõfirmãtur cærimoniæ grauissimis testimonijs.

NE *uero quis putet cærimonias pugnare cum* Euangelio: *nihil fere actum est in nouo testamento dignum memoria sine cærimoniis.* Dum Zacharias *definitis cærimonijs sacrificaret, ab* Angelo, *qui a dextris altaris apparuit, ac natiuitatem* Ioannis *prænuntiauit, eo mutitate plexus est, quòd ambigeret de promissis diuinis.* Christus *mutum, & surdum sanaturus, digitos illi misit in aures. liniuit oculos cæci nati luto: quem etiam misit ad aquas syloæ, ut se ablueret.* Mandauit *leprosis, ut se ostenderent sacerdotibus: & iuxtà legem offerrent munus.* Non *sine fletu, perturbatione, clamore, oratione, & gratiarum actione suscitauit a mortuis* Lazarum, *sursum etiam eleuatis oculis.* Cœnam *ultimam ornauit quam plurimis cærimonijs.* Orauit *in horto, cum genua flectens, tum se omnino prosternens.* Sed *quid in re manifestißima diutius moror?* Porrò *de cærimonijs inquit* Dionysius: *primi illi nostri duces in humanis imaginibus res diuinas, materialibusq; figuris spiritualiũ maiestatem, atq; in ijs, quæ nobis sunt familiaria, summa illa et supersubstãtialia, partim scriptis partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt: non modo prophanæ multitudinis causa: cui nec ipsa quidẽ fas est signa contingere, uerum ob id quoque, quod hæc nostra sacratißima functio significatiua, plenaque si-*

Luc. 1.
Mar. 7.
Ioan. 9.
Luc. 17.
Ioan. 11.
Ioan. 13.
Luc. 22.
De Ecclesiastica Hierarchia, cap. 1.

gnis, quibus ueluti adminiculis ad eorum augustiorem intelligentiam subuheamur: non sunt tamen opertæ diuinis pontificibus signorum rationes

De traditionibus & consuetudinibus ecclesiasticis Doctrina beati patris Augustini.

QVoniam aduersarij nostri contra uniuersales Ecclesiæ consuetudines ac traditiones inuehuntur, eas dicentes hominum inuentiones & figmenta esse: propterea facturus operæpretium uideor, si doctrinam Augustini de illis ipsis, ex diuersis eius libris collectam huc proferam in medium, Itaque traditionum & consuetudinum aliquæ pugnant cum scriptura sacra, & eæ procul dubio tãquã malæ ac pestilentes eijciẽdæ sunt. Oportet quidem obedire ijs quæ a scriptura sacra dicuntur & exiguntur. non enim dominus inquit: ego sum consuetudo: sed ego sum, ait, ueritas. Aliæ porrò sunt non contrariæ scripturæ sacræ, fideique catholicæ: ac in tres ordines eæ distribuuntur, Primo quidem sancta Dei Ecclesia ubique terrarum aliqua obseruat: quæ perinde habenda sunt atque illa quæ authoritate scripturæ diuinæ tradita fuerunt. Nam audacia non ferenda est eorum, qui talia præstanda esse negant, in dubium uertere aut disputare inquit Augustinus, an hæc sint facienda insolentissimæ insaniæ est. De quibus & mox subiungit: Illa autem quæ non in Canonicis scripturis sunt scripta uel tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur: datur intelligi ea uel ab ipsis Apostolis uel a plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri: sicuti quod anniuersaria solennitate celebratur Dominica Paßio

Libr. 3. de Bap. contra Donatis. c. 6.

Epistola. 118. ad Ianua. cap. 1. & 2.

resurrectio, ascensio in cœlum, Spiritussancti aduentus de cœlo, & si quid tale occurrerit, quod seruatur ab uniuersis: ut quod corpus & sanguinē Christi unusquisque accipiat ieiunus: obseruatio diei Dominicæ post Sabbatum: & quadragesima, quam Christus exemplo docuit, & Ecclesiæ consensio roborauit. Tales etiam sunt publicæ sacerdotum orationes, quæ relictæ ab Apostolis ubique gentium christianarum secundum eosdem ritus celebrantur a catholica et uniuersali Ecclesia: ut lex Opt. Max. Deo supplicādi, legē credēdi cōstituat. Secūdo aliqua sunt que in tota uniuersaliter Ecclesia minime obseruātur: Sed in uarijs locis uario modo sunt iā recepta, et quidē introducta ad fidei augmentū et ædificationē, atq; ad bonos mores particulariū Ecclesiarū fouēdos: ut ieiunāt alij Sabbato: alij non ieiunāt: alij cōmunicāt quotidie: alij uero id minus faciunt: alij die Mercurij edūt carnes: alij abstinent. De ijs Augustinus ita cōsulit. Faciat quisq;, ait, quod inuenerit in Ecclesia, ad quā uenit. quod, n. neq; contra fidē, neq; cōtra bonos mores iniungit, indifferenter est habendū, & pro eorū inter quos uiuitur, societate seruandum. Mater mea cum Mediolanū uenit, inuenit Ecclesiam Sabbato non ieiunantem: tamen Ecclesia Romana unde uenerat, ieiunabat, cœperat perturbari & fluctuare, quid nam ageret: tunc ego talia non curabam: Sed propter ipsam tunc consului de hac re Ambrosium, qui respondit: cum uenero Romam, ieiuno in Sabbato: cum autem hic sum, non ieiuno: sic & tu, ad quam Ecclesiam forte ueneris, eius morem serua, si cuiquam non uis esse scandalo, neque quemquam tibi. Ego, inquit Augustinus, de hac Ambrosij sententia iterum atque iterum cogi-

Lib. de Ecclesiastic. Dog. ca. 30. & 31.

Epistola. 118. ad Ianua. cap. 2.

tans, ita semper habui eam, tanquam cœlesti oraculo susceperim. Sensi enim sæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum, tum contentiosam obseruationem, tum superstitiosam timiditatem. Tertio inueniuntur nonnulla (de quibus cum loqueretur Augustinus dixit: adeo christianam religionem præmi, ut hac ipsa tolerabilior sit iudeorum conditio sub legalibus oneribus suis) quæ neque sanctarum scripturarum authoritatibus continentur, neque in Concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, neque consuetudine uniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter uariantur, ita ut uix aut nunquam inueniri poßint causæ quas in eis instituendis homines secuti sunt: (quorũ uidelicet obseruatio inutilis est ac sine fructu: qualia profecto illa sunt, quæ huc solum tendunt ut christianus populus grauetur) ea sanè inquit Augustinus, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda sunt (nẽpe quod ait Christus de illis, frustra colunt me docentes doctrinas & mandata hominum) datur autem facultas, ille idem inquit, cum mutatio ipsa consuetudinis non perturbat sua nouitate Ecclesiam. Itaque pater ille sanctißimus & doctißimus docet, resecanda esse talia singulari prudentia, & magna adhibita consideratione, quippè cum sola consuetudinis mutatio, quæ utilitate aliqua non prodest, nouitate sua perturbat: unde cum nihil afferat utilitatis fit etiam sola perturbatione admodum noxia, hinc euenire putat Augustinus, ut Ecclesia Dei constituta in palea & zizanijs plurima dißimulando toleret: nec tamen unquam faciat, dißimulet, approbet, taceat, ac toleret, quæ sint contra scri-

Episto. 118. ad Ianua. c. 5. & Episto la. 119. ad eundem, ca. 19.

pturam sacram, & christianam fidem, aut etiam quouis modo contra bonos mores. Postremo ea sunt in Ecclesia quæ in scripturis continentur: de quibus hoc modo inquit Augustinus: Ad ea quæ me interrogasti, primum te scire uolo, dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Euāgelio docet, leui iugo suo nos subdidiße, & sarcinæ leui: nā sacramētis numero paucißimis, obseruatione facillimis, significatione præstantißimis, societatē noui populi colligauit: sicut est baptismus in nomine trinitatis consecratus: cōmunicatio corporis & sanguinis: & si quid aliud in scripturis Canonicis demonstratur. Ad Ianuar.

Soluuntur aduersariorum nostrorum argumenta, quę magno conatu aduersus cærimonias, ritus, atque instituta Ecclesiæ Romanę colligunt.

PRimum argumentum: Si ex sola gratia Dei est salus: ex præceptis & doctrinis hominum esse non potest: etiam si exacte seruentur: Causam aßignamus: quod huiusmodi est, nihil est, quam hypocrisis & fucus quidam. omnis autem hypocrisis inuisa est Deo: hac de causa monet Christus, ut a fermento pharisæorum caueamus, nempe ab hypocrisi. Doctrinas, & traditiones hominum nihil aliud esse quā hypocrisim, sic probamus. Quod nascitur ex carne, caro est: præcepta & mandata ab hominibus cōficta ex carne sunt: ergo præcepta rationis humanæ caro sunt. Respondeo: ex gratia Dei est salus propter Christū: Deo tamen placet obedientia nostra, quam præpositis nostris, & Ecclesiæ moderatoribus tenemur ex animo præstare: ut Paulus docet. Porrò confitemur, hypocrisim Deo esse uehementer inuisam, & exosam. Negamus uero tra-

ditiones atque instituta hominum eorum, qui sunt legitimi pastores Ecclesiarum, nihil esse aliud quã hypocrisim: sunt enim præcipue in hunc usum, ut omnia decenter & cum ordine gerãtur in Ecclesia: sunt etiam ob alias honestissimas causas, ut supra exeruimus. Deinde inficiamur constitutiones & ordinationes Ecclesiæ nasci ex carne. Oriuntur enĩ a Spiritusancto, mouente catholicos & orthodoxos patres ad ea ordinanda, quæ utilia sunt, commoda, & necessaria, ut bene beateq; uiuamus in Ecclesia: ut sint omnium probe cõpositi mores. Sicut Apostoli ordinabant complura. Paulus apud Corinthios lectiones ordinat: ordinat ut uir non uelet caput: ordinat de uelandis mulieribus: ordinat de quã plurimis alijs rebus. Neque Paulus traditiones suas profert semper ex uerbo Dei, sed humana prudentia sæpenumero utitur: quæ necessaria est ijs, qui habent regere populum christianum: & non solum quidem in foro ciuili, sed

1. Cor. 7. etiam in ecclesiastico: De uirginibus, ait, præceptum domini non habeo, consilium tamen do. Et de matrimonio loquẽs dicit, hoc dico secundum indulgentiam non secundum imperium. Et paulo post: ijs autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus. Apostoli ergo multa præ-

1. Cor. 11. cipiebant hominibus, & ordinabant sine uerbo Dei: quæ obseruari ab eis diligenter, uolebant. Laudo inquit Paulus, uos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi uobis præcepta mea tenetis. Nunquid propterea nascebantur ex carne apostolorum traditiones & instituta? Quando igitur uaria tempora ferunt uarios mores & uarias uiuendi consuetudines, cur, si licuit Apostolis, & Apostolorum coætaneis in primitiua Ecclesia ea

decernere ac ordinare, quæ ad statum reipublicæ christianæ uehementer spectabant, non licebit similiter ueris & legitimis pastoribus ea decernere atque ordinare, quæ necessaria uel utilia esse cognouerint pro fidelium uita recte dirigenda iuxta uoluntatem patris Dei & domini nostri Iesu Christi. An temporibus illis Apostolorum curauit Spiritussanctus Ecclesiam, nostra uero ætate non curat? nostris uero diebus tradidit obliuioni? Imo curat, & semper curabit: iuxta promißionem Christi dicentis: uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Et quidem promittit consolatorem Spiritumsanctum perpetuo fore in Ecclesia. Matth. 28. Ioan. 14.

Secundum argumentum: Vbi caro est, ibi Deus non est: ubi Deus non est, ibi nihil boni esse potest. Iam sequitur, ubi caro est, ibi nihil boni est. Ex his argumentis patet, præcepta hominum carnem esse: bona ergo non esse. Certum ergo cum sit, ea non esse bona: seque tamen pro bonis (sic enim uideri, & haberi uolunt) uenditare: quis non uidet aliud nihil esse, quam hypocrisim? Quidquid enim se simulat esse quod non est, uanum est, falsum, & mendax. Iam uero non simulat se tantum humanæ rationis commentum, sed se pro bono, & diuino quodam præcepto uenditat. An hæc non est summa in Deum blasphemia? An abominatio non est? & audax insania? Respondeo: Aperui iam, & ostendi, ritus, cærimonias, & ordinationes ecclesiasticas, neque carnem esse, neque oriri ex carne: sed a Spiritusancto promanare: qui mouet ac dirigit ministros in bonum ac laudabile regimẽ Ecclesiæ. Præterea, quis unquã uerus et legitimus Episcopus, quod unq̃ particulare,

aut generale Concilium mandata sua diuinis æquauit mandatis? profecto nemo. Quis tamen propterea negare potest, oportere ut Christiani homines obediant præpositis
1.Cor.11. *suis? Paulus Corinthios laudat, quòd præcepta sua teneāt:*
Cap.15. *sicut eis tradidit. Et in apostolicis actis dicitur: perambulabat Paulus Syriam & Ciliciam cōfirmans Ecclesias: præcipiens custodiri præcepta Apostolorum et seniorum: quæ præcepta sine dubio erant ipsæ cærimoniæ: quas passim in Ecclesiis Apostoli ordinabant. Sciendum uero est quanuis ordinationes ecclesiasticæ non debeant cum diuinis comparari, & eis omnino æquari: tamen esse recipiendas pari pietatis affectu: quatenus ab ea sunt potestate Dei, quam dedit Christus Ecclesiæ suæ: unde Paulus optimo iure in priore ad Corinthios Epistola huiusmodi ordinationes uocat*
Cap.14. *mandata domini.*

Tertium argumentum: Quicunque Deo placere uolunt, solis ijs operibus student, quæ uoluntatis diuinæ sunt: ut constat apud Ioannem: Quicunque ergo hominibus pla
Ca.3. &.8. Galat.1. *cere uolunt, Deo placere nō possunt: ut planè ostendit Paulus: Quicunque ergo hominibus placere uolunt, uoluntati Dei haudquaquam student. Qui uero uoluntati Dei nō student sua opera faciunt, aut uoluptatis, aut utilitatis, aut uanæ gloriæ causa. Quicunque opera ab hominibus præcepta faciunt, uoluntati Dei non student: ergo qui opera ab hominibus præscripta faciunt, aut uoluptatem, aut utilitatem, aut gloriam inanem spectant. Mediæ propositionis probatio: spectant enim eum duntaxat, qui eis præcepta præscribit, nempe hominem: quod si Deum spectarent, eum sibi imitandum proponerent: illius unius uerba audirent.*

Respon-

Respondeo, qui obediunt præpositis suis, non ea de causa id faciunt, ut placeant hominibus, sed ut præpotenti Deo placeant, qui per Apostolum suum inquit, obedite præpositis uestris. Et qui obsequuntur magistratibus suis, eo id faciunt, quod ait Deus, omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Heb.13. *Et rursus, admone illos principatibus & potestatibus subditos esse: magistratibus obedire.* Rom.13. Ad Tit.3. *Deinde falsum est, eos qui opera ab hominibus præcepta faciunt, uoluntati Dei non studere, alioqui Paulus impie laudaret Corinthios, quod præcepta sua tenebant. Cum uero inquit Paulus, si hominibus placerem adhuc Christi seruus non essem.* 1.Cor.11. *Non loquitur de magistratibus, neque de Episcopis, neque de ullis præpositis. At se nullius hominis rationem habiturum insinuat in prædicanda euangelica ueritate. Porrò haudquaquam spectant pij homines, uel principem, uel Episcopum, uel quemuis alium præcipientem, sed præpotentem Deum spectant, qui proculdubio uult, nos eis obtemperare, quemadmodum Paulus instruit seruos cum ait, Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, qua si hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.* Collo.3. *Quodcunque facitis ex animo operamini sicut domino, & non hominibus &c. Deniq; illud falsum est, quod spectantes Deum, & eum sibi proponentes imitandum, illius unius uerba audiant, omnes quidem spectare in primis debent præpotentem Deum, ac tamen debent morigeri etiam alijs esse, ut populus magistratui, filij parentibus, serui dominis, magistris discipuli, atque omnes fideles præpositis suis.*

Quartum arg. Quæcunq; opera bona sunt, ea operatur Deus in nobis, nihil est bonum nisi id quod proficiscitur a Deo. Ergo Deus ea opera non operatur, quæ nos ex doctrinis & præceptis hominum facimus, hypocritica ergo sunt, & friuolæ nugæ. Solus Deus operatur in nobis, quod bonum est, quod uero nos operamur, & aliæ creaturæ in nobis, omnino est inutile, uanum, fallax, imo peccatũ. Respondeo, cum obediunt populi suis magistratibus, filij parentibus, serui dominis, magistris discipuli, & fideles omnes præpositis suis, ea obedientia est Deo acceptißima, quandoquidem requirit eam Deus a nobis. Itaque tametsi opera illa, quæ facimus traditionibus & institutis humanis obtemperantes, quantum in se est, nequaquam bona et meritoria sunt, diuina tamen gratia operatur in nobis, ut bona & meritoria sint, ac digna præmio æternæ uitæ. Porrò absurdissimum est docere, omnia opera nostra peccata esse, alioqui non essent ulla moralia bona, neque ulla indifferentia opera. Cæterum de ijs alibi tractandum est copiosius. Ac posse quidem pastores Ecclesiæ multa instituere atque ordinare, quæ minime in scripturis habeantur: eo perspicuum est: quoniam Paulus decreuit, ut lectiones habeantur, ut uelentur mulieres, atque illæ ipsæ non doceant: ut fidelis coniunx ab infideli coniuge minime discedat: ut Episcopus & presbyter, & diaconus, ante probentur, quã sacris initiẽtur ordinibus: ut nemo sumat Eucharistiã, nisi prius diligenter suã examinauerit conscientiam: quin ipse etiã Paulus cũ de diuersæ fidei matrimonio loqueretur, dicebat se constituere, atq; ordinare similiter in omnibus Ecclesiis. quibus uerbis planè ostendebat ordinanda-

rum cerimoniarum & traditionum potestatē, earū ēt quæ in scripturis diuinis haudquaquam inueniantur.

Quintū arg. Deus p Prophetā sic loquitur, propterea q̃ hic populus ore mihi appropinquat, et labijs me honorat cor uero eorū lōge est a me timētes me doctrinis et præceptis hominū, admirāda et ego, stupēdaq; huic populo faciā miraculo grādi, et stupēdo, peribit sapiā a sapiētibus eorū et ītelligētia prudētiū eorū abscōdetur etc. An nō graphice hypocrisim nostrā depīxit penicillo suo spiritusß. Quod in Iudæis taxat Deus, hodie oēs facimus colēdo Deū multiloquio, et strepitu uerborū, et ieiunio, quo corpora saginamus, et alijs friuolis ac oīno ridiculis nenijs. Clarius hæc uerba illustrauit Christus, dum his uteretur cōtra pharisæos irritā faciētes legē Dei, et suas traditiones tuentes, frustra me colūt, inquit, docētes doctrinas, et præcepta hominum. Hæc uerba Christi tā clara sunt, ut alijs ad expugnandas doctrinas et traditiones humanas nihil sit opus. Profer telorū quidquid potes, iaculis pete, feri, et clamoribus oīa impleto (nempe huiusmodi patres, patres, patres: res sunt bonæ, an uos soli sapiētes? an tot et tāti errassent? an nō recētiorib. essent antiqui doctiores? Nihil has uoces morabimur. Christus dicit, frustra me colūt, ματὴν, gratis, stulte, inaniter, et uane) dū conātur me colere doctrinis et mādatis hominū. Obline tu cœnū tuū, et fucū obducito quē uolueris, exorna quibus potes uerbis, uanū tamen est et frustra. Respōdeo, nulli apud comicos Poetas fingūtur Thrasones æque gloriosi et ostētatores, ac sunt aduersarij nostri; tamen audi quā facile, quā recte, quā paucis uerbis diluitur hoc Thrasonicum et uētosum argumentum. Deus

Esa. 29.

Matth. 15.

apud Esa. & Christus apud Matth. loquitur de mandatis hominum, quæ pugnant cum diuinis mandatis, quæ sine peccatis obseruari non queunt, quod planè ostendit Christus dicens, quare & uos transgredimini mandatum Dei propter traditionem uestram? nam Deus præcepit dicens: honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri uel matri morte moriatur. Vos autem dicitis, quicunque dixerit patri uel matri, munus quodcunque est ex me tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, aut matrem suã, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionẽ uestrã. Mandata uero ecclesiastica nequaquã sunt eiusmodi, nõ tales ritus, non cærimoniæ, nõ cõstitutiões tales. Quod si forte in his præstandis aliqui superstitiosuli sunt, moneri planè debent, ut superstitionibus omißis, rectius obediant. Siqui etiam sint, qui abutantur ijs, abolendi omnino sunt abusus, & repurgandæ sunt ueræ cærimoniæ, sanctæq; orthodoxorum patrum, & Apostolorum traditiones, ut illas in eum usum habeamus, quem antea explicaui.

Sextũ arg. Fortiter et audacter tẽtatur quidquid cõtra, atq; præter uerbũ Dei instituitur. Pius et fidelis homo hæc tãtũ audit, quæ loquitur Deus suus, et cũ se totũ undiq; pspexit, uidet se uoluntatẽ Dei sui nunquã impleuisse. Et qui posset noui quid cõminisci aut excogitare? cum eorũ quæ præcepta sunt, et debet: nunquã aliquid præstitit? An nouũ pẽsum adornauit, qui uetus non absoluit? audacia ergo est, siquis ingenio suo fretus noua quædam proferat, & pro bonis uenditat, neglecto interim uerbo Dei. Respondeo Principio, quamuis ministri Ecclesiæ instituant aliquid, quod expressum non habeatur in uerbo Dei, non tamẽ cõ-

tinuo sequitur, ergo est contra uerbum Dei. Vnde Paulus ait, præceptum domini non habeo consilium tamen do. Et Corin. laudat, quod ipsius teneant præcepta. Deinde pius & fidelis homo audit quidem quæ loquitur Deus suus, uerum audit quoque, quæ præpositi sui loquuntur, sciens hoc bonum esse, & acceptum coram Deo. Præterea quia uidet, se uoluntatem Dei sui nunquam impleuisse, non aliquid noui excogitat facere omißis diuinis præceptis, sed ut facilius, et prõptius, et delectabilius præstet diuina præcepta, libenter oculos aĩ sui conuertit ad ritus, & cærimonias, & ecclesiasticas ordinationes, planè intelligens hanc esse optimam uiuendi pædagogiam & disciplinam, qua doceatur mandata Dei, qua et in ea obseruanda quasi manuducatur. Sunt etiam qui euangelicis operibus addunt opera, quæ a catholicis doctoribus uocantur supererogationis opera, & ij sunt in perfecto uiuẽdi statu, qua de re disseruimus in libro de Monast. uotis. Denique affirmamus etiam nos, audaciam esse intolerabilem, siquis ingenio suo fretus noua quædam proferat, & pro bonis uenditet, neglecto interim uerbo Dei, sed nihil horum agunt ueri, & legitimi doctores, pastores, & proceres Ecclesiæ. Nihil decernunt inquam sacra Concilia, quod pugnet cum uerbo Dei, licet aliquando statuant nonnulla præter uerbũ Dei, hoc est quæ in uerbo Dei non continentur. Alia ratio est, cum loquimur de dogmatibus. Annotandum porrò est ualdè pernitiosum esse illum aduersariorum nostrorum errorem, cum putent, ac propemodum semper in ore habeant, suisque auditoribus & lectoribus in libris suis inculcent, omnia quæ sint ad salutem necessaria contineri abunde in scriptura sa

1. Cor. 7.

1. Cor. 11.

cra, eamque solam errores omnes demonstrare, ac refellere. Multa quidem in Ecclesia catholica recepta sunt, quæ sunt proculdubio salutaria, & quibus errores tolluntur de medio & confutantur, quæ per scripturam uel ostendi uel probari non queunt: ac talia profecto sunt: personarum diuinarum consubstantialitas: a patre filioque Spiritumsanctum procedere: duas naturas Christi coniunctas esse in persona uerbi: duas in Christo uoluntates, unam diuinam, alteram humanam esse: Christum ea parte qua homo erat, prænouisse diem futuri uniuersalis iudicij: & semper uidisse patrem suum Deum: beatorum animas cum primum separentur a corporibus Deum contueri: Mariam domini Iesu matrem fuisse uirginem in partu ac etiam post partũ: esse illam reuera matrem Dei: baptizatos ab hæreticis in forma Ecclesiæ recipiendos per solam Episcopi manuum impositionem: cathecuminos antequam baptizentur exorcizari: baptizatos oleo mixto cum balsamo inungi: & pariter eos qui confirmantur, & sacerdotio initiantur: miscendam esse aquam cum uino in sacrificio Missæ: muniri debere nos signo crucis: numerus, modus, formæ sacramentorum: sanctificatio dominicæ diei: transubstantiatio panis & uini in corpus & sanguinem Christi, sacrificium Missæ: cultus sanctorum Martyrum: suffragia defunctorum, quadragesima: festorum dierum solennitates: uota perpetuæ continentiæ: Episcoporum & sacerdotum omnium cœlibatus: baptismus paruulorum, indulgentiæ, & alia similia: de quibus aut obscurissima, aut nulla mentio fit in scriptura sacra. Illa tamen omnia retinuit semper catholica Ecclesia, nimirum ab Optimo Maximo Deo planè edo

cta: quæ sine dubio qui reijceret, scripturas etiam diuinas eũ reijcere oporteret. Nam cognoscimus talia æquè ab ecclesiastica potestate manare, atque perspicuum habemns libros Apostolorum esse Canonicos: qua de re antea disseruimus.

Septimum argumẽtum: in actis apostolicis dicunt Apostoli, placuit Spirituisancto, & nobis, nequid amplius imponeremus uobis oneris &c. Ecclesia ergo Hierosolymitana in Spirituſancto uidit, nihil imponendum esse christianis. Posteriores ergo hypocritæ talia commenti sunt. Respondeo, ergo hypocrita fuit Paulus, & commentus est ea præcepta, quæ tradidit Corinthijs, quæ & cum illi tenerẽt eos laudat. Ergo fuit hypocrita, & commentus est traditiones de uelandis mulieribus, de mulierum silentio, de lectionibus, de ritibus in communione obsernandis. Quod si talia de Paulo imaginari uehementer dedecet, ergo similiter et de alijs Ecclesiæ ministris, cum ordinant, quæ ad decorum, atque ad utilitatem pertinent Ecclesiæ, talia maximopere dedecet imaginari. Mox ipsorum in ipsos aduersarios nostros argumentum retorqueo. Hierosolymitana Ecclesia iniungit christianis, ut sese abstineant ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, & præter hæc iniungit aliud nihil cum ea tempora talia postularent, & nihil porrò aliud. Ergo minisiri Ecclesiæ, qui potuerunt ea relaxare, atque omnino abolere, præter fornicationem, possunt aliqua suis subditis fidelibus imponere cunctis ætatibus, ac imposita etiam deponere, modo utilitas, aut commodum, aut decorum, aut neceßitas temporum suorum, ea postulet, nam semper eadem est authoritas &

Acto. 15.

potestas in Ecclesia Dei usque in consummationem seculi.

Cap.2. *Octauum argumentum. Paulus sic monet Coloss. uidete nequis sit, qui uos deprædetur per philosophiam, & inanē deceptionem iuxta constitutionem hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christum. Aperte hic humanas traditiones, & hominum fabulamenta iubet Paulus uitare, nequis dum his fidit gratia per Christum spolietur. Qui ergo se gratia Dei sentit planè firmatum esse, a philosophia, a traditionibus hominum, ab elementis mundi caueat. Ex his iam consequitur, omnes omnium hominum traditiones, quæ opera bona præscribunt (quas ut bonas nos uenditamus) signa certissima esse ueræ hypocriseos, eos uero, qui istis nituntur, hypocritas, infideles, & desperatos merito dici. Nam si uere pij essent, si soli Deo fiderent Spiritussanctus esset cum eis: gratiæ enim Dei niti potest nemo, nisi per spiritum Dei: spiritum uero Dei si haberent, impelleret eos nimirum ad uoluntatem, & ad opera Dei. Cum uera humanis fabulamentis tantum tribuunt, tantopereq; fidunt, certum est, Deum apud eos parum posse, qui eos maledicit, qui a Deo conuersi ad creaturam & carnem deflectunt in*

Cap.17. *Hieremia. Porrò admonet Paulus in supradictis uerbis, ne quis per traditiones & doctrinas humanas sibi gratiam Dei patiatur eripi. Sciebat Paulus, idq; certo, quòd carnalis homo ingenium suum nunquam esset deserturus, qui sibijpsi in Paradyso tantopere placuerat, ut suo Marte uellet esse sapiens, non contentus gratia Dei, quæ ipsum tam tenere, ut pater filium solet, duxisset et direxisset, cauere. Ergo his uerbis Apostolus uoluit, nequis humanis traditionibus, et doctrinis niteretur, causam addens. Mox enim*

ut animus hominis istiusmodi traditionibus hæret & acquiescit, actum est de gratia Dei, quæ humanis commentis exolescit & extinguitur. Apud quos humana præcepta ualent, apud eos gratia Dei in pretio non habetur. Postquã enim elementa huius mundi apud nos augusta esse cœperint (elementa mundi uocamus opiniones uanas, & præcepta quæ confingit humana sapientia) Arridet quidquid iuxta hæc instituitur, idq; adeo, ut ad carnem toti conuertamur, & Deum negligamus, atque contemnamus. Respondeo: Paulus uocat philosophiam, & inanem fallaciam, & hominum traditiones, & mundi elementa eo in loco, tantum ea quæ pugnant cum Euangelio, cum sana doctrina, cumq; ipso Deo, Propterea illam particulam addit & non secundum Christum. Nunc autem ritus, cærimoniæ constitutiones orthodoxorum patrum haudquaquam sunt eiusmodi, quibus præstandis inuigilamus, quia mandatum est nobis a Deo, ut præpositis nostris obediamus, ut decorum & ordinem seruemus Ecclesiæ, ut denique per talem quasi pædagogiam & disciplinam simus paratiores ad diuina mandata omni studio & diligentia obseruanda. Neq; illa maledictio, quæ in hunc modum apud Hieremiam legitur, Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, cadit in nos. Minime quidem sumus Pelagiani, qui negemus gratiam Dei esse necessariã. Speramus enim haud dubie uitam æternam per Christum nobis a diuina misericordia gratis datam esse: scimus tamen interim obedientiam nostram gratißimam Deo esse, quà tum Deo, tum præpositis nostris propter Deum morigeri sumus. Præterea confitemur, humanum arbitrium non esse

Heb.13. 1.Cor.14. Cap.17.

omnino liberum sine gratia Dei, confitemur etiam hominem esse pronum ad mala omnia omni tempore, & prauum esse cor hominis, & nos absque gratia Dei esse filios iræ. Tamen certa fide persuasum habemus, Optimum Maximum Deum recipere nos in numerum filiorum suorum propter Christum. Quanquam igitur Episcoporum & præpositorum nostrorum obedimus rectißimis ordinationibus, cum id præcipue a nobis requirat Deus, maxime tamen ponderis & singularis momenti apud nos diuina gratia est, quandoquidem ex animo confitemur sine ipsa gratia nihil posse Deo acceptum esse, gratum nihil.

Cap. 16. *Nonum argumentum, Esto sane eorum opera speciosissima sint, abominatio tamen sunt coram Deo, quod Christus apud Lucam diserte docet, cum ad pharisæos dicit: uos estis qui iustificatis uos ipsos coram hominibus: Deus autē nouit corda uestra. Quia quod hominibns excelsum est abominandum est coram Deo: quid uero contra hoc uerbum Christi humanorum figmentorum assertores afferent? aut quid præter hoc requirent? An non hoc unicum satis apertum et clarū est, quod eos erudiat? satis robustū, quod eos conuincat? totum id quod ipsis pulchrum, speciosum, & altum uidetur, abominandum esse coram Deo? Respondeo: Aduersarij nostri more suo faciant, cum nos uocant humanorum figmentorum assertores: profecto sumus nihil minus. Quod ad rem pertinet, Christus in loco citato ex Luca inuehitur contra pharisæos, qui erant auari: & Christum deridebant. Quo fit, ut nullo modo quadrent ea uerba in ueros fideles, & pios homines: qui non modo præpositis suis obediunt ex animo, uerum*

etiam domino nostro Iesu Christo, & ei quidem in primis: tantum abest, ut illum derideant & contemptui habeant. Qui etiam credunt, esse coram Deo excelsum nihil sine Christo, & sine gratia omnipotentis Dei.

Decimum argumentum Deus præcipit in Deuteronomio, nequid uerbis suis addamus: ne quid demamus. et Apostolos docuit Spiritussanctus omnem ueritatem. Respondeo, quantum ad dogmata pertinet, minime debent Ecclesiæ proceres uel addere, uel demere quippiam: nec enim integrum habent, aut nouum articulum condere: aut instituere nouum Sacramentum: aut edere nouum librum, qui sit in Canone sanctarum scripturarum. Quanquam possunt articulũ antea obscurum declarare: & sacramentum, et canonicum librum, de quo antea fuerit dubitatum, ponere in albo Sacramentorum, & canonicorum librorum: aut quod falso habitum fuerit pro fidei articulo, pro Sacramento, pro canonico libro, de albo articulorum Sacramentorum, canonicorum librorum expungere: nam, ut Paulus ait, Ecclesia est columna ueritatis. Non tantum enim Spiritussanctus duxit Apostolos in omnem ueritatem: sed usque ad cõsummationem seculi ducet perpetuo sanctam & catholicã Ecclesiam. Talia uero facit Ecclesia per suos ministros, nec addit, nec demit: sed explicat & declarat, quæ fuerant dubia & incerta. Cæterum quod attinet ad ritus & cærimonias, quando uaria tempora ferunt uarios mores, & uarias hominum uiuendi consuetudines, reliquit Deus authoritatem & potestatem, ut perpetuo esset in Ecclesia, instituendi, limitandi, corrigendi, reijciendi, & alia faciendi, quæ ad externas obseruationes pertinent.

ca.4.&.12.

Vndecimum argumentum: Paulus ad Galatas, & alijs multis in locis anxie cauet, ne carnis commenta, & onera recipiamus: quin unico argumento tam fortiter pugnat, ut illud unicum satis esset ad confutandas omnes ho-
Gal.1. minum traditiones uti uitiosas et Antichristianas. Ad Galatas ita inquit: fratres secundum hominem dico: hominis licet testamentum tamen si sit comprobatum, nemo reijcit aut addit aliquid. Ex hoc fundamento sic pugnamus: si nulli hominum licet testamentum ab homine firmatum infringere, quāto minus id cuiquam licet in testamento Dei?
Hier.31. testamentum uero Dei quod per Christum nobiscum pe-
Esa.52. pigit, prædicitur per Hieremiam, & per Esaiam. Nihil autem aliud est hoc testamentum quam gratie Dei: cui quisquis fidit, saluus est: non eget multis legibus: aut multis disciplinis, tam breue est, tamq; facile ut nihil sit opus doctore homine: sed quemadmodum Deus affuit Dauidi, ita omnibus aderit, qui uiri fuerint secundum cor Dei: illis misericors erit, quemadmodnm Dauidi: ducetq; eos quo, et quo modo sit eis ambulandum: ut non sit opus ullis hominum traditionibus. Cognoscent enim dominum a minimo ad maximum usque. Quod sic intellige: nihil oberit cuique sua humilitas, obscuritas, aut tenuitas: quo minus gratiam Dei intelligat, aut assequatur: opus est non hominis, sed Dei. Respondeo: si hoc argumentum esset alicuius roboris, aut momenti: respublicæ dißiparentur: nullæ in populis necessariæ omnino essent leges ciuiles: nulla municipalia statuta, literaria omnia Gymnasia, & sacrarum quoque literarum studia prorsus abolerentur: quippe cum deberemus, contenti esse afflatu Spiritussancti: præstolariq; ut

Spiritusſanctus doceret ſine doctoribus idiotas, & omnes uulgares: ac etiam ut paſceret agnos & oues Chriſti abſque paſtoribus. Deinde ut ipſe reſpublicas, & omnes populos regeret ſine legibus, ſine ſtatutis, ſine ullis ordinationibus, & ſine iudicibus & magiſtratibus. Vt præterea ipſe duceret omnes homines quo, & quomodo ſit eis ambulandum, nobis interim otioſe ſtertētibus, atque oſcitantibus, & cogitantibus nihil, & penſi nihil habentibus, quorſum res cadant. Porrò tollerentur optimæ quæq; diſciplinæ, artes, negocia, humanæ ſollicitudines: cum tamen ſcribat Paulus in priore ad Theſſalon. epiſtola: rogamus uos fratres, ut abundetis magis: & operam detis, ut quieti ſitis, & ut ueſtrum negotium agatis: & operemini manibus ueſtris. Poſtremo quid eſt cauſæ, cur ita populos non hortemur? Quid facitis inepti? Quid negotiamini? Quid elaboratis? ignoratis ne Spiritumſanctum eſſe, qui omnes gubernet? omnia curet? ut nullas uelit humanas leges admittere? delete iam tandem omnia ſtudia, omnes leges, omnes artes, omnes ritus & cærimonias, omnes ordinationes: excutite iugum et obediētiam omnē, ſubuertite oēs magiſtratus: reijcite ac deponite Reges, Imperatores, Duces, et omnes principes. Repellite a uobis doctores, magiſtros. Epiſcopos, & omnes denique præpoſitos ueſtros. Tunc enim cum hæc omnia ſtrenue feceritis ueluti Deus affuit Dauidi, ita omnibus uobis aderit: utpote qui fueritis uiri ſecundum cor Dei: uobis erit miſericors quemadmodum & Dauidi fuit: uosq; ducet quo, & quomodo ſit uobis ambulandum: ut non ſit opus ullis hominum traditionibus. Vides pie & candide lector,

Cap. 4.

quantas pariat ſeditiones hoc argumentum: ſiquidem audi tores nanciſcatur, qui temere illi ac imprudenter acquieſcant. Itaque nos potius in animo conſilium & documentum Pauli habeamus, qui dicit: adhortor primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus: & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt: ut quietam, &
1. Tim, 2. tranquillam uitam agamus in omni pietate, & honeſtate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſaluatore noſtro Deo. Sed iam quæſo redeamus ad argumentum: Nos quoque ſcimus, & docemus, & prædicamus ubique in ſancta & catholica Eccleſia, teſtamentum Dei (quod ille pro miſericordia ſua pepigit cum hominibus, & confirmauit in ſangnine filij ſui domini noſtri Ieſu Chriſti, quandoquidem teſtamentum, ut reſcindi non queat, in morte debeat teſtatoris confirmari:) eſſe diuinam gratiam: cui quiſquis uere & ex animo fidit, ſaluus eſt: nec eget multis legibus aut multis diſciplinis: quippe cum erudiatur & doceatur a Spirituſſanctũ unctione, atque ab ipſo Deo
Cap. 6. ut Chriſtus ait apud Ioannem: ſcriptuui eſt in Prophetis: erunt omnes docti a Deo. Sed illud etiam ſcimus: miniſtros Eccleſiæ habere ius & poteſtatem conſtituendorum rituum, cærimoniarum, atque aliarum ordinationum pro ſeruãdo populi chriſtiani decoro: & pro fidelibus commodius, & promptius docendis: proq; illis eiſdem facilius & ardentius animandis & inflammandis perpetuo ad Euangelij ſtudium: & ad mutuam charitatẽ. Deinde perſpicuum & exploratum habemus, penes magiſtratus eſſe legitimum ius condendi et ſanti endi optimas leges

pro bene beateq; administrandis rebuspublicis, & omnibus populis suis. Idq; non ea de causa quòd iusti opus habeât multis legibus: utpote qui nõ formidine pœnæ, sed uirtutis adeoque ipsius Dei amore peccata oderunt: semperq; agunt pro uirili sua, ut quæ recta sunt, faciant: seq; aßidue contineant ultro & ex animo in laudabili sanctorum operum exercitio: quando etiã essent leges nullæ. Sed a pijs magistratibus eo conduntur leges in primis, ut audacia temeritasque insolentium hominum cohibeatur: & immanitas crudelium frænetur: & coerceantur seditiosi & perturbatores communis tranquillitatis, pacis, & concordiæ: ut sontes deniq; uniuersi puniantur: aut reuocẽtur ad honestatem, ad uirtutem, ad bonos mores: ut ab omnibus omnia decẽter ac honeste gerantur. Paulus in hunc sensum ait: scimus quod bona est lex siquis ea legitime utatur: sciens hoc, quod lex iusto non est posita: sed iniustis. 1. Tim. 1.

Duodecimum argumentum: Quomodo tam audaces fuerunt homines: ut gratiam & misericordiã Dei limitibus humanarum traditionum sic circunscriberent, et quasi alligarent, ut nulli patere posset, qui eorum figmentis nõ audiret, et subscriberet? Cur iustificationi, quæ per unicũ Christum præstatur, sua opera adijcere sunt ausi? cur uerbo Dei syncero & puro fidem derogarunt apud simplices cum sic suis commentis, ut uerbo Dei, credere cogunt? Quis Diabolus eis persuasit, ut eum cultum, qui soli Deo conueniebat, in creaturas transtulerint? adorant enim et inuocant homines, quos, in beatorũ catalogo ipsi conscripserunt: nequit loquamur de Angelis: imo colunt etiam simulacra, idola, sculptilia, imagines, quæ sunt

opera manuum suarum: & siquis reclamet, aut repugnet, his eorum impijs ordinationibus: eum habent tanquam hæreticum: in exilium mittunt: aut in carcerem detrudunt: aut occidunt: deniq; modis omnibus illum persequuntur: & si per eos fieri potest: aut cogunt esse idololatram, aut de medio tollunt. Contra quos Deus fulminat in omnibus propemodum sanctarum scripturarum paginis. Respondeo: tantum abest, ut humanæ traditiones optimo iure ac legitime ordinatæ uiam aditumq; ad gratiam & misericordiam Dei occludant: ut eam clarißime illustrent. utq; ad eam nos dirigant & quasi manuducant. Sunt enim quasi pædagogia & disciplina in Christum, perq; illum in patrē Deū. Ad sui præterea obseruationem cogunt neminem: ut alioqui prorsus actum sit de gratia Dei. Si fuerint enim aliqui ad obseruationem earum impotentes, ministri Ecclesiæ, patres sunt non tyranni. Ad quos infirmi: atque impotentes bona fiducia confugiant, suamq; illis infirmitatem ac impotentiam manifestent: ab eisq; humiliter postulent relaxationem, & dispensationem: quam sine dubio consequentur. Docemus tamen populum christianum, ita omnes homines alligari & astringi ad obseruanda ecclesiastica mandata quamuis a diuinis ea mandatis procul distent: ut quotcunque illa præstare nolint, eo mortaliter peccent,
Heb.13. quod ijs nolint obedire quibus teneātur obedire iuxta diuinam Apostolorum doctrinam: obedite præpositis uestris. Quæ proculdubio est ipsißima Dei uoluntas. Deniq; fatemur, & docemus: primam inchoatamq; iustificationem (nempe cum remittuntur nobis peccata, & effunditur charitas Dei in cordibus nostris per Spiritumsanctum, qui
datur

datur nobis) a Deo esse per Christum absque ullis meritis nostris, quæ sint condigna merita, præcedentibus: quãquã præcedunt aliqua opera bona, quæ congrua merita sunt, non per gratiam gratificantem, quæ nondum inhærescit nobis, quandoquidem tum effunditur in corda nostra, cum primum iustificamur: sed per gratiam Dei præuenientem quæ profecto non est ulla hærens in nobis qualitas: sed auxilium Dei est mouentis & excitantis cor nostrum interius ad bonum: de qua dominus ait in Apoca. ego sto ad ostium, & pulso. Tamen credimus, & prædicamus ad ulteriorem iustificationem (de qua in Apoc. dicitur: qui iustus est iustificetur adhuc.) Siue ad intensiorem & perfectiorem gratiam: siue ad ipsius gratiæ augmentum: iustificamur enim tũc ulterius, uel adhuc, cum ex iustis efficimur iustiores: cumq; gratia nobis inhærens augetur, intenditur ac perficitur: nam qualitas est quæ intendi, & remitti potest: unde orat Ecclesia: da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum &c. quemadmodum Apostoli etiam orabant: Domine adauge nobis fidem &c. docemus inquam ad iustificationem ulteriorem concurrere obedientiam nostram, & bona opera nostra: quæ condigna merita sunt: quandoquidem inclinatione ipsius nobis inhærentis gratiæ a nobis efficiuntur. De adoratione, deq; inuocatione sanctorum, & de simulacris, & imaginibus feci librum peculiarem: qui tertius erit de Ecclesia, in quo aduersariorum nostrorum impietatibus cumulate respondi. Cap.3. Cap.22.

Tertiumdecimum arg. In Gen. dicitur: sensus: & cogitatio humani cordis ad malum a iuuentute incumbunt. uetus interpres, prona sunt, legit: Quæ interpretatio magnum Cap.8.

errorem oculis theologorum offudit. Taxandus quidē hac in parte interpres: cum iuxta hebraicā ueritatē, nō prona sed praua seu puersa, uertere debuerat, omnia enim studia cordis humani ad malum propendēt: imo mala et peruersa sunt sine exceptione aut mitigatione uerborum: sic enim os Dei locutum est: Iezer Ieb haadā ra mineurau: quæ uerba tam sunt clara & aperta, ut nihil dubij, nihil duplicitatis sit in eis: nēpe omnia studia humani cordis mala esse. Hāc dilucidā ueritatē ausi sunt theologi inuertere: ut ex praua, prona facerent: ut hominē non malum, sed ad malū pronum esse, euincerent. Sed natura nostra in Adamo infecta est et corrupta: ut plane simus praui, uani, & inutiles. Ex hac ergo interpretatione audaces istæ opiniones nobis natæ sunt, de libero scilicet arbitrio, de uiribus nostris, de lumine intelligētiæ nostræ. Ex his deinde secutæ sunt falsæ opiniones, et doctrinæ impiæ de Purgatorio, deq; Indulgentijs: et traditiones humanæ, ut merita, et opera nostra magni uenderemus: ut ex panis, et uini oblatione sacrificiū Missam faceremus: ut Missam aut cœnam domini, quæ publica esse debuerat in priuatam conuerteremus: eamq; prophanaremus horribiliter, applicantes pro arbitratu nostro uiuis et mortuis. Postremo secutum est ex his, quidquid eius generis hypocriseos est. nam quisque simulauit se hāc pronitatem ad peccandū uicisse: cū interim sciret, quomodo res suæ domi haberent: et quidquid in consciētia sua reclamaret. Quod si hoc uerbum (figmentum, & studium humani cordis prauum est a iuuentute) nude, & sine omni prætextu propositum fuisset: nemo tam impudenter se iactare, aut simulare fuisset ausus, cum persuasus fuisset, to-

tum hominem esse prauum. Quidquid ergo ex hominum consilijs, & decretis, & doctrinis propositum fuisset, aut depromptum, semper habuissent suspectum, utpote ab humana sapientia, & industria, pessimo & corruptissimo fonte promanans. Nam riuus bonus esse non potest, cuius uenæ corruptæ sunt, & infectæ. Itaque humanis traditionibus nemo aurem præbuisset, doctrinis & præceptis hominum fidem nemo habuisset. Summa, ex uerbo Dei scimus certissime, hominis sensus, cogitationes, studia, consilia, perspicientiam, totam denique mentem, mala esse, & peruersa. Itaque necessario malum oportet esse, quidquid ex his profluit: non enim potest arbor mala, & putris bonos fructus producere. Quidquid ergo ex Deo non est, bonum esse haudquaquam potest. Quomodo ergo sapientes isti, Matth. 7. qui se iactitant absoluisse quod a Christo omissum est, aliquid ex se proferre possunt cum arborem audiunt esse pessimam? Quando tandem a dementia sua desistent? Quando Deum blasphemare cessabunt? An enim impudens blasphemia non est, cum dicunt se perfecisse quod inabsolutum & mancum tradiderit Christus? Quasi tam imprudens & inscius fuerit, ut hæc ignorarit: qui est Dei sapientia: in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei reseruātur. Respondeo: Nihil putamus referre ad præsentem causam: siue legamus, sensus et cogitatio humani cordis ad malum prona sunt a iuuentute, siue legamus, praua & peruersa, in loco citato ex Genesi. Non enim sumus Pelagiani, qui peccatum originis inficiemur, quippe cum Dauid miseriam hanc deplorans dicat, in iniquitati-

bus conceptus sum, & in peccatis meis concepit me ma-
Psal.50. Roman.5. *ter mea.* Et Paulus inquit; *omnes in Adam peccauerunt.*
Credimus inquam omnes homines, qui ex corrupta massa & uitiata oriuntur, communi consuetáq; maris & fœminæ propagatione, esse carnem, filios iræ, mortuos per delicta & peccata, fatemur iustum esse coram Deo *ex se neminem, & omnia opera nostra æque infecta & coinquinata esse ac pannus menstruatæ mulieris est.* Deinde *scimus liberum arbitrium, quod in naturalibus facultatum sensitiuarum operationibus, & in moralibus potens admodum est quemadmodum quotidiana experientia docet, sine gratia* Dei *sopitum, & infirmißimum, atque omnino impotens esse ad bona opera efficienda, quæ* Deo *placent, & meritoria æternæ uitæ sint.* Scimusq; *omnes humanas ui-*
Ioan.15. *res debilißimas esse, dicente* Christo, *sine me nihil potestis facere.* Lumen *quoque intelligentiæ nostræ minime ignoramus esse adeò tenebris densißimis ignorantiæ oppletum,*
Rom.7. *cum dicat* Paulus, *concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupisces.* Hæc *omnia inquam ita se habere intelligimus, diuino beneficio, radijsq; diuini luminis & splendoris illustrati.* Aperuit *enim* Deus *fidelium, & piorum doctorum mentes, ut scripturas intelligerent, & ea pariter quæ ad bene beateq; moderandas habenas rerum publicarum christiani gregis pertinent.* Scimus *etiam uires nostras deiectas humi, & humi repentes erigi, & prostratum liberum arbitrium auxilio diuinæ gratiæ adiuuari ad bene meritorieq; operandum coram* Deo *per* Christum, *atque ita sine dubio persuasissimum habemus, nos iam esse, licet adhuc simus, quamplu-*

rimis imperfectionibus obnoxij, purgatas uenas, è quibus promanet aqua lympidißima, hoc est sana doctrina, & laudabiles ritus, cærimoniæ, canones, decreta, constitutiones, & ordinationes aliæ. Exploratißimum habemus etiam, nos iam esse bonas arbores, ut iam proferre bonos fructus ualeamus. Deniq; perspicuum nobis est, nos iam esse membra Christi, & filios Dei, qui sanè foueamur in eius dulcißimis complexibus. Audi obsecro, quid Paulus ad Titum scribat, eramus, ait, aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs, & uoluptatibus, in malitia, & in inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem benignitas, & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritussancti, quē effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati gratis, ipsius hæredes simus secundum spem æternæ uitæ. Rursus ait, eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Porrò quis nesciat, condere bonas leges, gratiam Dei esse, quam Deus dat, quibus uult? Infidelis erat Cæsar, tamen Christus mandauit Iudæis, ut Cæsareis legibus parerent, utq; illi censum penderent. Quin magistratus fere omnes, ætate Apostolorum Athei erant, ipsi tamen Apostoli docent, ut omnis anima sit magistratibus, principatibus, & sublimioribus potestatibus, subiecta. Ergo nequaquam pugnabant eorum leges cum uoluntate diuina, quæ tamen a prudentia humana oriebantur. Itaque falsum est, malum esse quidquid profluit ex hominum sensibus, cogitationibus, studijs, consilijs, per-

Cap. 3.

ſpicientia, induſtria, ſapientia, imo ſanctiſſimæ illæ quidem leges erant, & dona eccellentiſſima Dei*, quanquam nihil eis proderant ſine* Chriſto *ad conſequendam ueram iuſtitiam, qua iuſti apud* Deum *eſſent.* Neque propterea quis *miretur: poteſt enim quid per ſe bonum eſſe, quod per accidens malum ſit, ut prophetia* Caiphæ*, cum dixit, expedit,*

Ioan. 11. *ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat, bona & ſanctiſſima per ſe fuit, ac mirificum donum* Dei*, per accidens autē fuit mala, quatenus mala erat perſona.* Deinde *licet* Chriſtus*, &* Spirituſſanctus *nihil omiſerit eorum, quæ pertinent ad dogmata nobis cognitu neceſſaria, tamen omiſit ritus, cærimonias, & alias ordinationes; ita quidem ut miniſtris ſuis dederit ius & poteſtatem condendorum talium pro uarijs temporibus, quemadmodum ſupra exerui.* Non *ergo ſapientes miniſtri* Eccleſiæ *iactant ſe abſoluiſſe quod omiſſum eſt a domino noſtro* Ieſu Chriſto*, imo id præſtant, quod ab eo ſibi commiſſum eſſe certo ſciunt, & perſuaſiſſimum habent ex uerbo* Dei. Po*ſtremò quod pertinet ad* Purgatorium*, ad* Indulgentias*, & ad* Miſſam*, nihil mihi dicendum eſſe in præſentia exiſtimaui, propterea quòd ſcripſi de his rebus peculiares libellos, in quibus reſpondi quantum par erat, ijs quæ ab aduerſarijs noſtris afferuntur.*

Q*uartumdecimum argumentum,* Chriſtus *apud* Matthæum *increpat eos, qui grauia onera, hoc eſt opera &*

Cap. 23. *mandata ex ſuo capite conficta humeris hominum imponunt, non ergo* Deum *offendit, neque aduerſus* Deum *peccat, qui tale præceptum pure humanum non ſeruat, modò neminem offendat, quamlibet glorientur, & oſtentent, &*

iactitent se illi thrasonici Episcopi, quasi diuinam habeat iurisdictionem, qua poßint, quidquid libitum est eis, ordinare, statuere, ac humeris hominum iniungere, & fidelium conscientias grauare, & excommunicare, & reconciliare homines christianos iuxta placitum suũ. Quòd uero iuste & bene fiat, quod Deus non uetuit, testimonijs probabimus. Paulus dicit, per legem peccatum cognosci. Supra etiam ostendimus ex Deuteronomio, legi Dei nihil addendum, nihil detrahendum esse. Ex his sequitur, peccatum nequaquam esse, quod Deus non uétat, nam si uerbo Dei nil debet addi, nemo id efficere potest, ut sit peccatum, quod Deus non prohibet. Nam per legem peccatum cognoscitur. Si ergo lex Dei hæc non uetat, quæ homines uetant, nihil nobis ultra legem addendum. Non enim possumus, ut peccatum sit, facere, quod lex peccatum esse non indicat, etiam si diuinam iurisdictionem ostentemus, & in nobis prædicemus esse. Christus ad pharisæos dicit: si cæci essetis, peccatum non haberetis: nunc uero dicitis, uidemus, idcirco peccatum uestrum manet. Hic ostendit Christus, eos qui legem, hoc est uoluntatem Dei ignorant, peccatum non habere. Hoc nimirum intelligimus, si scilicet lex omnino data non esset, si uoluntas Dei omnino esset immanifesta, nam post promulgatam & latam legem, insontem putamus neminem esse. Ita Christus dicit, si non uenissem, & locutus fuissem, peccatum non haberent. Hoc uerbum Christi etiam apertũ satis est, peccatum non esse, ubi Deus non loquitur, seu uetat. Paulus hoc pluribus uerbis ostendit dicens, peccatum non cognoui nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam esse peccatum, donec lex diceret,

Rom. 3. c. 4. &. 12.

Ioan. 9.

Ioan. 15.

Rom. 7.

ne concupiſcas. Peccatum ſine lege mortuum erat, hoc eſt nihil erat. Firmum ergo erit, iniuſtum non eſſe quod Deus non prohibet. Quod iniuſtum aut iniquum non eſt, peccatum non eſt. Quod peccatum non eſt, iuſtum & rectum eſt. Eant nunc Papiſtæ, & uenditent ſuos titulos, ſuasq; iuriſdictiones, authoritates, poteſtates, & gladio ſuo illo excommunicationis fulminēt aduerſus quoſcunque uoluerint, et quoſcunque uoluerint Eccleſiæ reconcilient. Nihil ueremur ſuos clamores, & ſuas minas, quandoquidem ſcimus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum hæc omnia tradidiſſe, non eorum peculiari audaciæ, temeritati, ac libidini, ſed ipſi Eccleſiæ, quam ſiquis non audierit, habendus eſt pro ethnico & publicano. Reſpondeo, Satis ſuperq; antea diſſeruimus de iuriſdictione, & excommunicatione, ut non oporteat eadem repetere pro confutandis aduerſarijs noſtris, itaque ſuppoſitis his quæ ſupra diximus, nunc ad argumentum iſtud reſpondeamus. Paſtores & proceres Eccleſiæ poſſunt nos obligare ſub pœna mortalis peccati ad mandatorum ſuorum obſeruationem, haud quidem per ſe, ut expoſuimus, quod ſolius Dei eſt, ſed per accidens, quatenus præcipitur nobis a Deo, ut obediamus præpoſitis noſtris. Et quamuis Chriſtus repræhendat phariſæos, quod alienis humeris imponebant grauiſſima onera, quæ ipſi ne hilum quidem obſeruabant, tamen propterea non reuocat homines ab eorum obſeruatione, quæ illi præſtanda eſſe docebant. Quin potius inquit, omnia quæcunque dixerint uobis, ut ſeruetis, ſeruate & facite. Quando autem ſcribæ & phariſæi optima quæque docentes nihil boni operabantur, ſubdit Chriſtus, ſecundum uero opera eo-

Heb. 13.
Matth. 23.

rum nolite facere. Vt paucis dicam, reprahendit Christus impiam uitam prælatorum impiorum, sed tamen tantum abest, ut diuinam eorum authoritatem conculcet, ut magis illam stabilrat & confirmet. Sed æsto, aliquando increpat scribarum & pharisæorum authoritate sua turpißime abutentium mandata siue ordinationes, ut apud Mattheum liquet. Verumenimuero id facit iustißima de causa: nempe quia traditiones illæ pugnant cum diuinis mandatis, & quia sine peccato illas præstare non poterunt. Sed talia non sunt instituta, quæ a ministris Ecclesiæ diuina potestate bene utentibus, ordinantur Itaque Deum offendit, & aduersus Deum peccat, qui præpositorum suorum, de industria, nulla quidem urgente neceßitate, ordinationes atque instituta omittit. Neque testimonia illa, quæ adducuntur ab aduersarijs nostris probant rem aliter se habere. Primum ait Paulus, per legem peccatum cognoscitur, ergo sine lege peccatum nullum est: Oportet consequentiam negare. Nam paruuli, cum adhuc sunt in maternis uteris omnino sunt absque lege, non tamen sine peccato, dicente Dauide, in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis meis concepit me mater mea. Et Paulus inquit, eramus natura filij iræ. Natura inquit, non cognitione quæ est per legem. Deinde, an lex & Apostolorum doctrina facile non ostēdit, nos oportere obedire præpositis nostris? Ad secundum testimonium, quod ex Deuteronomio sumitur, si prorsus nihil addendum est, nihilue subtrahendum legi Mosaicæ, de qua sine dubio loquitur Deuteronomiū, quid in causa est, cur adiecit Christus baptismmm, & reliqua sacramenta? & circumcisionem, & alia cum forensia,

Cap. 15.

Psal. 50.
Ephe. 2.

tum cærimonialia subtraxit, prorsusq; aboleuit? quid est in causa, cur Apostoli tot ritus, tot cærimonias, tot denique alia instituerunt? quomodo uero intelligenda sint ea uerba supra diximus. Ad tertium, quod est Ioannis. Sensus uerborum Christi est, si cæci essetis, hoc est si confiteri uelletis cæcitatem uestram, Deoque subijci, & bono animo postulare mentis illustrationem, non haberitis peccatum, quippe cum gratis iustificaremini. Nunc uero dicitis, uidemus, hoc est inflati, ac superbi estis, nimirum putantes, uos ex uobis ipsis illuminari, & iustos fieri. Neque beneficium Dei gratuitum uultis agnoscere, sed falsa opinione delusi persuasum habetis opera uestra, etiam sine gratia Dei, obligare Deum, ut uelit nolit daturus sit uobis gratiam, & lumen intelligentiæ. Peccatum ergo uestrum manet. Sententia hæc in Pelagianos quadrat pulcherrime quæ deprompta ex Paulo est dicente in hunc modum,

Rom.9. quid ergo dicemus? quod gentes, quæ non sectabantur iustitiam, appræhenderunt iustitiam, iustitiam autem, quæ ex fide est. Israel uero sectando legem iustitiæ in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis &c. Ad quartum quod est Ioan. Christus non absolute loquitur de peccato, alioqui Cain, Ismael, Esau, Pharao, Saul, & alij qui ante aduentum Christi fueruut, quique nihil audierunt de Christo, minime peccassent. Itaque de infidelitate qua Meßiam toties promissum a Deo recipere noluerunt, proprie loquitur. De qua Euangelista inquit, in

Ioan.1. propria uenit, & sui eum non receperuut. cum aliquando etiam sic loquimur, si lex non uenisset, peccatum non habe-

rent homines, haudquaquam intelligimus de peccato in uniuersum; at solum de transgreßione legis. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio seu transgreßio est, quemadmodum Paulus ait.

Quintumdecimum argumentum, Quomodo Christus omnia consummata dixisset, si iustitiam sensibus, carni, & consilijs humanis parere oporteret? fabulæ ergo sunt. Deinde considerandum est, quam stulte egerit Saul, qui tamen sibi sapienter, & exacte omnia expendisse uisus est, ut aliqua ex pinguibus animalibus ad holocausta domino seruaret, quæ iusserat Deus interficere & perdere. Voluit omnino sarcire, quod in præcepto, ut sibi uidebatur, uel deerat, uel nimis crudele displicuit. Sed audis quid per Samuelem loquatur dominus, nempe huiusmodi curiositatē domino non minus displicere, quam idololatram esse. Porrò sic Deus loquitur apud Esaiam de cærimonijs, & humanis doctrinis, cum ueniretis in conspectum meum, (subintellige huiusmodi cærimonijs) quis hæc de manibus uestris requirebat? ut ambularetis in atrijs meis? Et apud Hieremiam: ut quid mihi thus de Saba offertis, et calamum suaue olentem de terra longinqua? holocaustomata uestra non sunt accepta, & uictimæ uestræ non placuerunt mihi. Respondeo, Primo patres orthodoxi & ministri Ecclesiæ nō ordinant ritus, cærimonias, decreta, et constitutiones, ut per illa paretur, & proprie acquiratur iustitia, quam Deus nobis gratuito communicat per Christum. Sed eo potius, ut omnia fiant cum decoro, atque ut facilius contineantur homines in studio religionis, & nobis quasi pædagogia quædam sint in patrem Deum, & dominum nostrum Iesum

Cap. 1.

Cap. 6.

Christum. Deinde Saul fecit contra expressum mandatum Dei. At nihil tale agunt ministri Ecclesiæ, cum ea ordinant more Apostolorum, quæ ad bene beateq; administrandam Ecclesiam pertinent. Saul igitur fuit repræhendendus & puniendus, hi uero sunt laudandi & remunerandi cumulatißime. Præterea Esaias rationem reddit, quare abominabiles cærimoniæ sint, & holocaustomata, sacrificia, quin etiam orationes, cum ait, manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Quis nesciat opus nullum impiorum Deo gratum aut acceptum esse? Itaque si uelimus cærimonias nostras Deo uehementer placere, ac nobis peccata omnia condonari, audiamus obsecro, quid Esaias dicat eodem in loco, lauamini, ait, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam, & uenite, & arguite me, dicit dominus. Si fuerint peccata uestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi uermiculus, uelut lana alba erunt. Neque Hieremias tacuit rationem, quare Deo tantopere inuisi essent Iudaici ritus.

Hactenus argumenta soluimus aduersariorum nostrorum, quæ illi generatim contra cærimonias, ritus, instituta, ordinationes, & traditiones Ecclesiæ omni studio colligunt: nunc ea diluemus, quæ illi speciatim contra certa quædam instituta faciunt.

De delectu ciborum.

Sextumdecimum argumentum: Pius quisque, sine discrimine, quolibet tempore, uesci potest quolibet cibo: sic enim docet Christus: nihil est extra hominem introiens in eum, Mar. 7.

quod poßit eum inquinare. Deinde Paulus inquit: esca Deo non commendat. Et rursus: nemo uos iudicet in cibo & potu. Item ait: spiritus certo loquitur, quod in posterioribus temporibus desciscent quidam a fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum &c. Iubentium abstinere a cibis, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus: & his qui cognouerunt ueritatem. Vides hic istā doctrinam fundatam in potestate Ecclesiæ Romanæ, quæ cibos uetat, ex Dæmone esse. Porro inquit Paulus ad Titum: mundis omnia munda: pollutis uero & infidelibus nihil est purum: sed polluta est illorū mēs & conscientia. Puri sunt fideles, quibus omnes cibi puri sunt. Alia sunt plurima loca studiosis lectoribus paßim obuia in scripturis: quibus plane ostenditur liberum esse hominibus, quolibet tempore uesci quolibet cibo sine ullo discrimine: ac non posse fideles iure per ullam ecclesiasticā potestatem priuari tam eximia libertate. Respondeo: non sumus Pythagorici, qui abstineamur eò a certis cibis, quod opinemur in omnium animantium corpora humanas & rationis participes animas migrare: Neque sumus pharisæi, & scribæ: qui putemus adhuc legis cærimonialia præstanda esse. Neque Manichæi sumus, qui uereamur definitis cibis aliquam Dei particulam esse commistam. Neque sumus Taciani: neque Enchratitæ: neque Arriani: neq; Cathari: neque Albigenses: neque Priscillianistæ. Nō enim uitamus et reijcimus escas tanquam immundas. Scimus enim & confidimus cum Paulo in domino Iesu, nihil esse commune per ipsum: nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est. Et quidem Bracharense primum Conci-

1. Cor. 18.
Coloss. 2.
1. Tim. 4.
Cap. 1.
Rom. 14.

lium hoc decretum fecit: si quis immundos putat cibos car-
Cap.14. *nium: quas Deus in usum hominum dedit: & non propter afflictionem sui corporis: sed quia immunditiam putauerit: ita abstineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnibus pergu stet: sicut Manichæus, & Priscillianus docuerunt: anathema sit. itaque testimonia illa scripturarum nihil obsunt nobis. Sumus enim catholici: qui gratia Dei sine dubio intelligamus abstinendum esse nobis aliquando a certis ac definitis cibis: tum ut sanctißimis ordinationibus Ecclesiæ obediamus: tum ut sobrie uiuamus in hoc seculo expectantes beatam spem: quo facile temeritatem & insolentiam carnis domemus: eamq; castigemus: & subijciamus omni studio & diligentia spiritui: ac, si fieri potest, illam aboleamus: sin minus, eam saltem mortificemus, & frenemus, & cohibeamus. Præterea quod aiunt: omnia mundis munda esse: id proculdubio uerum est. Cæterum si nolint Christiani obedire suis præpositis & ecclesiasticis institutis impuri sunt ac polluti: non quidem propter ciborum pollutionem, quæ nulla est: sed propterea quòd ij mortaliter peccant, qui de industria, nulla urgente neceßitate, præpositorum suorum adeoq; sanctæ & catholicæ Ecclesiæ mandata transgrediuntur, non sine pusillorum fratrum offendiculo: & sine quidem impetrata uenia. Cum aliquis enim senserit infirmum se aut debilem esse, ut non queat sine iactura & dispendio uitæ suæ constitutiones ecclesiasticas obseruare: ut decorum seruet: ut a quoquã non putetur esse inobediens: ut scandalizet neminem: confugiat ad ordinarios pastores Ecclesiæ. ijsq; diligenter & syncere manifestata imbecillitate sua, roget ueniam & solutionem ab ijs quæ minime*

seruare potest cōstitutionibus. Quam facile impetrauerit. Quòd si forte committantur in hac tanta re abusus intolerabiles: corrigantur abusus. Et sanctißimus institutorum ecclesiasticorum usus maneat in Ecclesia. Hæc denique instituta ecclesiastica obligant neminem in casu necessitatis, ut plane uerum sit in hoc proposito dictum illud uulgatißimum: necessitas non habet legem.

Quare apostoli ordinauerunt, vt se gentes abstinerent ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato.

DE legibus, & præscriptionibus ieiuniorum, deque ciborum delectu his temporibus contra aduersarios nostros quamplurimi doctißimi uiri copiosißime disputauerunt, & scripserunt: propterea de his rebus plura non exeram in præsentia: sed eam solam dubitationem explicabo & soluam: nempe, cur Apostoli mandauerint, & præceperint gentibus, ut se abstinerent ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato? num illud eo fecerint, quod putarent immunda & polluta esse immolata simulacrorum & sanguinem, & suffocatum? Respondeo: talia non eo prohibuerunt Apostoli, quòd mala et polluta sint ex se: uerum id fecerunt propter gentes: quæ ad Christum conuertebantur. Iudæi nimirum idolothita, et suffocatum uehementer execrabantur: & satis superq; ab eorum esu abhorrebant. Vnde Apostoli dubitantes, & uerentes, ne Iudæi qui tunc Euangelium suscipiebant, propter cibum quem maximopere horrebant, a uerorum fidelium cōmunione segregarentur, ediderunt illud decretum. Nec enim occasione cibi perdendi sunt fratres, pro quibus mor

tuus est Christus, ut Paulus docet. Quod uerum esse inde
Rom.14. colligitur, & depræhenditur: quia inter annumerata in illo apostolico decreto sunt immolata simulacrorum. De quibus edere Paulus ait esse licitum: si modo repugnante con
1.Cor.8. scientia id minime fiat, aut modo non sit cum idoli conscientia: idest modo illud non efficiatur in reuerentiam & honorem idoli: quasi aliquid habeat numinis idolum. Verba Pauli sunt hæc: De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo: & quod nullus est Deus, nisi unus: nam si sint, qui Dij dicantur siue in cœlo siue in terra: (siquidem sunt dij multi, & domini multi:) nobis tamen unus Deus pater: ex quo omnia: & nos in illo: & unus dominus Iesus Christus, per quem omnia: & nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia: quidam autem cum conscientia usque nunc idoli quasi idolothitum manducant: & conscientia ipsorum, cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo: neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus. Videte autem, ne forte hæc licentia uestra offendiculum fiat infirmis. Ex his Paulinis uerbis constat, licere omnibus christianis, uesci quibuslibet cibis indiscriminatim, etiam immolatis simulacrorum: modo illud non fiat contra conscientiam: uel cum fratris scandalo: uel cum idoli conscientia. Adde, licitum esse omnibus christianis, quolibet tempore uesci quibuslibet cibis: modo illud non repugnet ecclesiasticis ordinationibus: aut propriæ uitæ instituto. Alioqui polluerentur, non propter ciborum pollutionem, quæ ut diximus, nulla est: sed propter inobedientiam.

De tempori-

De temporibus, & locis, & alijs rebus externis: quomodo ſint in poteſtate noſtra.

SEptimumdecimum argumentum: tempora, & loca, & aliæ res externæ ſunt in poteſtate hominis, non autem homo eſt in eorum poteſtate: unde qui aſtringunt homines ad certum tempus, & ad certum locum, & denique ad certam rem externam, pios fraudant, & ſpoliant chriſtiana libertate. Chriſtus enim ait: dico autem uobis, quod tẽplo maior eſt hoc in loco: nam dominus & ſabbati filius hominis. Itaque *audiamus Chriſtum, & nos in Chriſto, ſabbati, & templi dominos eſſe, adeoq; omnis loci, & temporis.* Nam *hoc dominium, de quo Chriſtus hic loquitur, ad humanitatem Chriſti refertur.* Iam *in hoc humanam naturam aſſumpſit, ut noſtra ſalus fieret.* E*ſt ergo dominium, quod ipſe ſuper ſabbatum, & templum occupat, etiã noſtrum.* Nam *de ſe, ut hoc uerbum diceret, nihil erat opus cum ſabbatum non uiolaſſet.* Di*ſcipulos excuſat: & illorum gratia hæc uerba adducit.* Nos *diſcipuli eius ſumus, & fratres: domini ergo ſumus & templi, & ſabbati, non minus quam tunc erant diſcipuli. Sabbatum* propter *homines factum eſt: homo non propter ſabbatum.* Nemo *uos, inquit* Paulus, *iudicet in parte diei feſti, aut nouilunij: quæ ſunt umbra futurorum: corpus autem Chriſti. Chriſtus ergo, cum ſit præſens, cum ſit corpus, omnia perficit. Diſcipuli ergo Chriſti, ideſt pij & fideles hoc uerbo freti (filius hominis & dominus ſabbati eſt) alligari ad loca, & tempora non debent. Qui ergo ad ferias fideles cogunt, peccant.* Ex *prædictis uerbis Chriſti & facto* Dauidis, *intelligimus ſtulte iſtos agere: qui gratiam* Dei *certis qui*

Matth. 12.

Mar. 2. Col. 2.

Matth. 12.

busdam locis affigunt:ut faciunt Romæ, Hierosolymis, ad sanctum Iacobum in Compostella. Quid autem dico stulte istos facere? contra Christum faciunt, uno enim loco gratiam Dei magis paratam, & pretio uiliori offerre, quam alio, quid aliud est, quam Deum circunscribere, & loco affigere? gratiam Dei intra carceres quosdam includere captiuam? Nec pati, ut ex æquo nota sit, et communis? Deus omnibus locis præsens est, ubicunque pij eum in-

1. Tim. 2. uocant, adest. Proinde Paulus uult, omnibus in locis precationes fieri, tam a uiris, quam a mulieribus: non ergo isto loco magis, quam alio miseretur, sed ubicunque ex fide inuocatur, dicit: ecce adsum. Ad hæc, ipse Christus falsos Prophetas & Pseudochristos eos uocat, qui sunt eiusmodi.

Matth. 24. Cum dixerint, ait, uobis: ecce Christus est in deserto, nolite exire. Si dixerint, in penetralibus, nolite credere. Postremo ex his liquet, omnino esse inutiles & uanas fideliũ peregrinationes & ferias, & quadragesimas, & omnia dierum discrimina, quamuis Papistæ glorientur se habere potestatem ordinandi atque instituendi talia. Respondeo, Præsupposita hoc in loco sana & catholica intelligentia christianæ libertatis, de qua in libro de Christiana libertate abũde tractauimus, u.hemẽter proderit annotare: Quod operum, quæ efficiuntur a pijs hominibus, alia priuata sint alia publica. Vt priuata oratio est, & est publica oratio. Est priuatum ieiunium, est quoque publicum ieiunium. Sunt priuatæ lectiones, sunt publicæ quoque lectiones. Et sic de alijs operibus dicendum est. Propter opera illa, quæ priuatim efficiuntur a nobis, definire tempus nullum certum oportuit, locum nullum: sed qualibet hora, quouis in lo

co ea præstare, modo nullis remoremur impedimentis integrum habemus. Propter autem publica opera, quæ in Christianorum publico cœtu fieri oportet, necessarium fuit certum locum, & certum tempus a ministris Ecclesiæ præscribi, ut plane scirent fideles, quando, & quo illis conueniendum esset, uel ad publicas orationes, uel ad lectiones audiendas, uel ad uerbum absolutionis petendum, uel ad cœnā dominicā, uel ad alia quælibet Sacramenta suscipienda. Vt inquam non ignorarent, quando publice in tota ieiunaretur Ecclesia: (Vt Paulus inquit, nisi forte ex consensu ad tempus ut uacetis ieiunio, & orationi) pro decoro & uniformitate seruanda in omnibus christianorum populis. Hinc fuit commoda institutio feriarum, quadragesimarum, uigiliarum, & aliorum huiusmodi temporum. De quibus omnibus rebus agit copiosissime Polydorus Vergilius, & alij complures. Neque propterea Dei gratiam ulli certo loco, neque ulli certo tempori alligant præpositi nostri catholici, & orthodoxi patres. Vtpote quod eam sciant omni tēpore, omniq; loco impetrari a pijs quibusque ad thronum diuinæ misericordiæ confugientibus per Christum. Sed eorum animus & propositum est, ut omnia ordine ac decenter in Ecclesia gerantur, quemadmodum corinthiacam instruit Ecclesiam Paulus. Quod si nolint christiani obedire, peccant. cæterum si, ut decet & conueniens est, morigeri sint, promerētur coram Deo, siquidem inclinatione gratificantis gratiæ & charitatis illud efficiant, cum perfectiorem gratiam & cumulatiorem iustitiam, tum æternam uitam. Neque Papa christianos uocat Romam, aut Hierosolymā, aut Lauretū, aut Cō

1.Cor.7.

Li.6. de inuen. rerum.

postellam, aut alio, proinde quòd ipse gratiam Dei *certis locis affigat: quodue ipse arbitretur, nos magis a* Deo *ex audiri uno loco, unoue tempore, quàm alio: non enim igno*
Ioan. 4. *rat,* C*hristum docuisse,* Deum *esse adorandum non magis hoc in loco, quàm alibi, sed omni tempore, omniue loco ado randum esse in spiritu & ueritate, quandoquidem spiritus est* Deus. Q*uare igitur uocat fideles certis temporibus ad certa loca?* Id *propterea inquam facit, quod ei placeat iustißimis de causis indulgentias ecclesiasticas, & reseruatorum casuum relaxationes eo pacto fidelibus erogare, & satisfactorias eorundem pœnas commutare.* Q*uod proculdubio ad ius atque ad potestatem suam pertinet.* Q*uòd si aliqui abutātur eiusmodi peregrinationibus, quæ debent etiam esse temeritatis atque audaciæ carnalis castigatoriæ, num quæso repræhendenda est ea in re sancta & catholica* Ecclesia? *minime gentium, sed huiusmodi abusus, ut frequenter dixi, magis tollantur, & confirmentur optimi quique bonarum & laudabilium ordinationum usus.* Denique *feriæ, quadragesimæ, quatuor tempora, uigiliæ, certi quilibet dies (de quibus cumulatissime agit* Polydorus V*ergilius, & alij quamplurimi) ad loca definita peregrinationis, haudquaquam eximijs & proprijs utilitatibus carent, præter etiam politicos usus.* I*mo nulli sunt ritus, nullæ cærimoniæ, nulla denique instituta* Ecclesiæ *quæ suas non habeant laudes, & præcellentes utilitates.* V*erumenimuero, cum de omnibus & singulis peculiariter agentes permulti ostenderint planissime & cumulatissime in hoc etiam iustis uoluminibus editis, ego in in præsentia hoc scribendi labore supersedebo.*

Multa solent aduersarij nostri colligere & uehementer disputare contra uota, priuilegia, instituta, & ordinationes monachorum, regularium & fraternitatum omnium, & contra signa, cucullas, rasuras capitis, nolarum sonitus, benedictiones, & consecrationes aquæ, salis, herbarum, cereorum, templorum, altarium, uestium, uasorum, et reliquarum huiusmodi rerum, in qua nimirum disputatione illorum propositum est, planè ostendere authoritatem, & potestatem Ecclesiæ Romanæ, à qua illa omnia pendent, uanam esse. At nos in libro, quem scripsimus de uotis monasticis, aduersarios nostros in ijs omnibus reiecimus, & quantum par erat, confutauimus: In causis etiam matrimonialibus contra potestatem ecclesiasticam magnopere inuehuntur. Quibus facile respondimus in libro de clandestino matrimonio. Nunc ostendemus christianis hominibus licere ac præcipue ministris Ecclesiæ possidere bona temporalia, & habere dominium ciuile, et gerere magistratum, propterea quòd sunt ex aduersarijs nostris qui putent ea pugnare cum christianitate, præsertimq; cũ ecclesiastica potestate.

Licere hominibus christianis possidere bona temporalia.

MAnichæus, Iustachius. Pelagius, & alia similis farinæ portenta Diaboli, sparserunt olim in populis hanc pestilentem & impiam conclusionem, eos, qui baptizati sunt diuites, fieri non posse, ut assequantur æternam uitam, nisi penitus reliquerint opes, & diuitias, ac bona omnia temporalia. Quod si aliqua alia efficiant bona opera, tamen illis a Deo minime imputari ea ipsa uo-

fuerunt. Hæc uero impia conclusio ab orhodoxis patribus merito confutata, explosa, & reprobata est. Fuerunt quidē & ante aduentum Christi, & postea, quamplurimi ætatibus omnibus uiri ditißimi atque opulentißimi Dei amantißimi, pariterque amati à Deo. Neque Apostoli docebant fideles, ut omnia desererent, sed ut eos ex charitate participes facerent, qui essent egeni. Paulus enim uiuendi regulã disertißime præscribit dicens, Diuitibus huius seculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut appræhendant ueram uitam.

Licere ministris Ecclesiæ tenere & possidere patrimonia sua, & alia quoque habere tēporalia bona, eaq; testamēto legare quibus uelint.

SEd age, propter damnatam communi orthodoxorũ patrum consensu in Con. Costan. Vigleficam opinionem, quam his diebus conati sunt quidam renouare, planè ostendamus, licere ministris Ecclesiæ posſidere patrimonia sua, & alia quoque bona temporalia, eosque pro delegandis quibuslibet huiusmodi bonis ius ac potestatem habere condendi uera & ciuilia testamenta iuxta leges patriæ suæ: Mox facile demonstrabimus etiam ministros Ecclesiæ posse optimo iure habere ciuile regimen, & magistratũ
12. q. 5. c. 1. *gerere. Itaq; in decreto Apostolorum, quod ponitur in Canone, hæc uerba leguntur, Sint manifestæ res propriæ Episcoporũ, si tamen res habent proprias et manifestæ res dominicæ. Vt potestatem habeat Episcopus moriens de pro-*

prijs, ſicut uoluerit, et quibus uoluerit, derelinquere, ne ſub occaſione eccleſiaſticarũ rerũ ea, quæ Epiſcopi probãtur habere interdicãtur, fortaſſe aut uxorem habet, aut filios, aut propinquos, et ſeruos, & iuſtum eſt apud Deum, & homines, ut nec Eccleſia patiatur detrimentum ignorantia rerum pontificis, nec Epiſcopus, uel eius propinqui ſub obtẽtu Eccleſiæ proſcribãtur. Ex hoc Apoſtolorum decreto habemus perſpicuũ et exprolatũ; miniſtros Eccleſiæ patrimonia ſua, et bona quæuis alia tẽporalia poſſe licite poſſidere, et ſup ea tanquã propria et ſua teſtamentũ condere. Mox nemini dubiũ eſt ex Paulinis ep. ad Tim. & ad Tit. Epiſcopos, qui ordinabãtur ab Apoſtolis, nõ ſine uxorib. & liberis fuiſſe, his autẽ iure naturali et diuino tenebantur ea parare, quæ uictui erant neceſſaria. qua fit, ut minime trãſgrediantur uel Chriſti, uel Apoſtolorũ doctrinã et cõſtitutiones, miniſtri Eccleſiæ, ſi honeſte bona ſua tẽporalia poßideãt, cõdantq; teſtamẽta. Præterea quõ futuri ſunt aliqui hoſpitales preſb. et Epiſ. iuxta paulinã regulã? Deinde uiuentibus adhuc Apoſtolis, atque ipſis annuentibus, agros habuerunt Eccleſiæ, & prædia complura, quod uidere licet in canone. Vbi ſexta Synodus generalis definit iuxta cano. Apoſtolorum, Epiſ. debere nequaquam alienare ſacra uaſa, niſi pro captiuis redimendis, neque ruſticana prædia uendere, neque ulla ratione redditus eccleſiaſticos abolere. Amplius idem probatur decreto Pij Papæ, quod eſt in can. prædia, inquit, diuinis uſibus tradita quidam humanis uſibus applicant, & Deo noſtro, cui tradita ſunt, ea ſubtrahunt, quapropter ab omnibus illius uſurpationis contumelia depellenda eſt, ne

12.q.2.cap. apoſtolicos.

12.q.2.cap. prædia.

prædia usibus secretorũ cœlestium dedicata a quibuslibet irreuerenter uendicentur. Quod siquis præsumpserit, ut sacrilegus iudicetur. Ex decreto isto palam fit, ministros Ecclesiæ multo ante Pium Papam recte habuisse, & possedisse prædia. Chronica uero testantur omnia, tempore quo Pius agebat Papam, Polycarpum discipulum Ioan. Euãg. Romam uenisse, postq; illum memorabilem aduentum extinxisse multa hæresum incendia. Vnde sequi necessarium est, ministros Ecclesiæ temporalia bona possedisse temporibus etiam Apostolorum.

Num Papa iurisdictionem habeat in bonis temporalibus ministrorum Ecclesiæ.

CVm igitur Episcopi, atque alij ministri Ecclesiæ cuiuslibet gradus, legitime queant dominium & proprietatem habere temporalium rerum, sequitur, Papam non ita iurisdictionem in temporalibus habere, ut ea contractare poßit arbitratu suo, etiam si res illæ sint ecclesiasticæ. Facultates nimirum ecclesiasticæ communitatibus hominum datæ sunt, non alicui certæ personæ. Itaque sola communitas aut Ecclesia potestatem dominiũq; talium rerũ habet, non aũt ulla certa persona. Definita uero persona ut pars communitatis est, membrũq; ipsius Ecclesiæ ius et potestatẽ utendi habet, pro tuenda & propaganda uita sua rebus ecclesiasticis, quantum spectat ad gradum statumq; illius certæ personæ. Operæpretium uero est intelligere, certam personam esse duplicem, aliam quæ sit membrum simplex Ecclesiæ, ut simplex Canonicus, aut quiuis particularis minister, ac talis quidẽ persona sic minime habet, ut diximus, ius utendi rebus Ecclesiasticis. Deinde

alia est certa persona, quæ ita membrum est Ecclesiæ, *ut administrationem, & dispensationem habeat generalem omnium ecclesiasticarum rerum unicuique tribuens, ut iuxta debitam iustitiæ proportionem conuenit.* Hæc *uero est duplex, una in particularibus* Ecclesijs *, aut diœcesibus, quales* Episcopi *sunt, de quibus* Con. Antioch. *ait.* Episco*pus ecclesiasticarum rerum habet potestatem ad disponendum erga omnes, qui indigent, cum summa reuerentia, & timore* Dei. *Porrò altera est certa persona in catholica & uniuersali* Ecclesia, *qualis nimirum est solus* Papa, *qui tanquam caput, & supremum membrum, est primus uniuersalisq́; omnium ecclesiasticarum rerum dispẽsator, cum temporalium, tum spiritualium. quarum tamen rerum temporalium apud summum* Pontificem *dominiũ & proprietas nequaquã est, sed apud* Ecclesiam, *quatenus ea caput cum alijs membris comprahendit, hoc est* Papã, *& alios, qui sunt ministri* Christi, *et dispensatores mysteriorũ* Dei. Probe *inquit diuus* Thomas, *ut ipsius recitem uerba, quãuis enim res* Ecclesiæ *sint eius (nimirum* Papæ*) ut principalis dispensatoris, non tamen sunt eius, ut domini & possessoris.* 12.q.1.cap. Episcopus. 2.2. q.100. artic.1.

De duplici poteſtate, nempe dominij & iuriſdictionis.

VT *quæ pinguiore* Minerua *disseruimus, & breuiter, & diserté, magisq́; ad unguem aperiamus:* Animad*uertendnm est, potestatem rerum temporalium esse duplicem, unam dominij, alteram iurisdictionis: & sané dominium habere temporalium rerum, est habere illarum proprietatem, & facultatem propinquam, disponendi, uten*

di, alienandi, retinendi, eas res pro libito propriæ uoluntatis. Dominium *huiusmodi regulariter habent laici rerum, quas aut labore suo conquisierunt, aut legitima successione fuerunt assecuti:* Deinde *potestas iurisdictionis est propinqua facultas dicendi ius, & ferendi sententiam, & iudicādi omnibus in controuersijs quid cuiusq; sit: ac ea denique faciendi quæ iustitia secundum leges postulat. Ciues igitur dominium habent nō iurisdictionem rerum suarum, at princeps aut magistratus habet iurisdictionis potestatem in res omnium subditorum suorum. Vnde quanuis fratrum Minorum professioni, qui rerum omnium proprietatem non solum in particulari, ut cæteri omnes regulares, at in communi etiam prorsus abiecerunt, potestas dominij repugnet, non tamen potestas repugnat iurisdictionis.* Itaque *summus* Pontifex *adeoq;* R*omana* E*cclesia tametsi dominium et proprietatē habet rerum temporalium quæ fratribus minoribus datæ sint: non tamen huiusmodi habet potestatē rerum omnium christianorum: alioqui sine ipso nihil emere, nihil uendere, nihil alienare, & nihil retinere ulli christiani possent:* D*enique omnes qui sine* P*apa fierent contractus et negociationes repræhēdere oporteret, ac rescindere.* P*ræterea uero* P*apa temporalium rerum iurisdictionem habet. quod sanè quo pacto intelligi debeat, paulò post explicabimus.*

De bonis temporalibus monachorum et omnium regularium.

S*ciendum uero illud est, quòd res particularium comunitatum ut res monachorum, & omnium regularium, cū ab ipsis regularium cōmunitatibus iusto dominij*

titulo poßideantur, tamen franciſcanos habere nullum rerũ dominium, nullamq́; proprietatem, ſed tantum ſimplicẽ uſum, datum quidem eſt rerum ſuarum dominium & proprietas Eccleſiæ Romanæ. At franciſcanorum alij rerum habent uſum duntaxat in cõmunitate, qui uocantur obſeruãtes. Alij particularem etiam uſum habent gratia, priuilegijs, et fauore ſummorũ pontificum, & ij conuentuales dicuntur. Nulli tamen franciſcani uel obſeruantes, uel conuẽtuales, proprietarij ſunt, quippe cum nulla ſit penes illos rerum proprietas. Verum de his copioſe tractauimus in lib. de uotis monaſt. nunc igitur ad propoſitum redeamus, & argumenta ſoluamus aduerſariorum noſtrorum. Nume. 18.

Primum argumentum: Dixit dominus ad Aaron, in terra illorũ nihil poßidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego ero pars tua, & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael: Filijs Leui dedi omnes decimas Iſrael in poſſeßiones. Atque iterum dixit dominus, non habebũt ſacerdotes, et leuitæ, et oẽs, qui de eadem tribu ſunt partẽ et hereditatẽ cũ reliquo Iſrael, quia ſacrificia domini, et oblationes eius comedẽt, et nihil aliud accipiẽt de poſſeßione fratrũ ſuorũ. Et rurſus ait, nõ erit ſacerdotibus hæreditas, quia ego hæreditas illorũ. Et poſſeßiones nõ dabitis eis in Iſrael: ego n. poſſeßio eorũ. Si ante Chriſti aduentũ ſimpliciter Deus prohibebat ſacerdotibus, leuitisq́; bonorũ tpalium poſſeßionem, ergo multo magis id facit hoc tpe, quandoquidẽ remotiores & magis alieni debent eſſe ab huius mũdi opibus & diuitijs fideles Chriſti, diſcipuli, & miniſtri Eccleſiæ. Reſpondeo, abrogata ſunt Moſaicæ legis forenſia illa mandata, quæ pertinebant ſolum ad Rẽpublicã Iudæorũ,

Deut. 18.

Ezec. 44.

tale autem fuit præceptum illud de rebus distribuendis pro singulis filiorum Israel tribubus. Deinde negamus, Deũ simpliciter uetuisse, quo minus leuitæ, ac sacerdotes aliquid posſiderent bonorum temporalium, quod facilè probamus, nam in libro Numerorum locutus est dominus ad Mosen dicens, præcipe filijs Israel, ut dent leuitis de posſeßionibus suis urbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, ut ipsi in oppidis maneant: & suburbana sint pecoribus & iumentis, quæ a muris ciuitatum forinsecus per circuitum mille passuum spatio tendentur contra Orientem. Et in lib. Iosue dicitur, dederunt filij Israel Leuitis ciuitates, & suburbana earum, sicut præcepit dominus. Ergo ex diuino præcepto habuerunt partem hæreditatis cum alijs tribubus octo & quadraginta ciuitates & suburbana earum. Quæ uendi minime poterant, sempiternæ quidem posseßiones erant, ut scribitur in Leuitico. Quo uero sane intelligantur in medium productæ ab aduersarijs nostris authoritates, illud præterire debet neminem, quòd nullam partem debuerunt consequi hæreditatis in prima rerum distributione cum alijs tribubus. At prima tamen rerum diuisione absoluta, diuino aliæ tribus mandato tenebantur dare ijs ipsis octo & quadraginta ciuitates una cum suburbanis earum. Mox Leuitæ agros, & prædia, & rerum posſesſiones emebant. Hieremias enim qui erat ex tribu Leui, & ex filijs sacerdotum, qui erant in Anathot, emit agrum ab Amanehel patruele suo.

Cap.35. Cap.21. Cap.25. Hierm.1. Hierem.32.

Luc.24. *Secundum argumentum: Christus ait: qui non renuntiat omnibus, quæ poßidet, non potest meus esse discipulus.*

Respondeo: si uerba illa domini nostri Iesu Christi in eum sensum uera sunt: in quem trahuntur ab aduersarijs nostris: ergo Ioseph ab Arimathia nequaquam fuit discipulus Christi: de quo tamen inquit Mattheus: cum sero factũ esset, uenit homo diues ab Arimathia nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. Deinde an non fuit discipulus Iesu Nicodemus? Lazarus? & alij? nonne Zacheus restitutis ijs, quæ male abstulerat, & dimidio bonorum suorũ dato pauperibus fuit diues, ex animo cõuersus etiã ad Christum? Quid rogo de sanctis mulieribus dixerim, quæ sequebantur dominum Iesum, atque illi ministrabant & subrogabant è facultatibus suis? Quid obsecro de Martha? Quid inquam de Magdalena? Et compluribus alijs? Quæ uiuente Christo Iesu, cuius erant uere discipulæ diuitijs abundabant. Præterea, si ex recitatis uerbis colligamus discipulos Christi nulla posse bona temporalia licite poßidere, fauemus hæresi Pelagianæ, atque ipsius Eustachij, fauemus impietati, docentis nullum fidelem, qui non renunciat omnibus quæ poßidet, spem ullam ad Deum proficiscendi habere, quæ damnata fuit in Gangrensi Concilio, quemadmodum patet in canone. Prolabimur etiam in tyrãnicum et crudelißimum errorem Iuliani apostatæ: qui propter hanc authoritatem eo modo intellectam auferebat omnes a christianis hominibus facultates. Denique multi & absurdißimi errores ex tali huius authoritatis intelligentia sequuntur. Non uult ergo absolute Christus, ut propria electione, proprioq; arbitrio teneantur discipuli sui renuntiare omnibus, quæ poßident. Verum potius id uult, quod in psalmo per Dauidem sic olim explicauit: diuitiæ si

Dis.1 6.c.1.

affluant, nolite cor apponere. Vult inquã, nos sic esse animatos erga diuitias, & charissima quæq; huius mundi, ut parati simus omnia deserere, & habere pro nihilo: siquando propter Christum, & Euangelium, oporteat. Ita cum reuocat nos a congerendis opibus, & cumulandis thesauris in terra, & denique a terrenarum rerum cura & solicitudine, haudquaquam diligentiam studiumq; nostrum in publicarum & priuatarum rerum negocijs condemnat: sed anxiam solicitudinem, & auaram animorum nostrorum cupidinem: quæ sic nos humi affixos tenet, ut nunquã sinat mentem spiritumq; incendi & inflammari diuinarum rerum amore.

2. Cor. 8. Tertium argumentum: Paulus ait: scitis gratia domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cum esset diues: ut eius inopia uos diuites essetis. Cũ ergo non liceat negare, quin oporteat omnes fideles, quantum ad mores pertinet, sequi dominum nostrum Iesum Christum: patet necessarium esse, ut clerici sint, qualis fuit Christus. Ipse autem fuit pauperrimus: tales igitur oportet esse clericos. Respondeo: si momenti alicuius esset hoc argumẽtum, probaretur neminem, qui sit Christianus, aliquid posse habere opum & diuitiarum bona conscientia. Quare fieri non posset, ut salutem consequerentur ulli Reges, Duces, principes, magistratus, ciues, mercatores, ulli denique negociatores: hoc igitur maxime periculosum est argumentum, & rebus publicis, & omnibus hominum societatibus. Deinde non exhortatus fuisset Paulus Corinthios, ut pauperes, qui Hierosolymis erant, eleemosynis adiuuarent: sed potius illis persuadere studuisset, ut omnes

opes diuitiasq; suas abijcerent. Mox rogo, quid est in causa, cur Onesimum fugitiuum seruum ad Philemonem herum suum remittat, atque huic eidem illum ipsum tanta commendat diligentia, & reconciliet? Cur se facit pro Onesimo sponsorem apud Philemonem dato in hoc ipsum epistolio pro syngrapha? Cur inquam promittit, se optima fide omnia redditurum Philemoni, siqua Onesimus aufugiens abstulisset, debebat magis hortari Philemonem, non solum ad ferendam æquo animo paucarum rerum iacturam: sed etiam ad reliqua omnia, quæ habebat, deserenda: & Apphiam quoque uxorem suam, & omnem familiam. Quod si Apostoli fecissent, bone Deus, quanta erat humanarum rerum confusio in uniuerso terrarum orbe futura? dixit, Pauli testimonio, dominus: beatius est dare, quam accipere. Porrò docet Apostolus, ut omnes in eo statu maneant, in quem uocati sunt: unusquisque, ait, in qua uocatione uocatus est, in ea permaneat. Seruus uocatus es. Non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere. Docet ergo Paulus Cor. in posteriori Epistola, ut non doleant, si aliqua fiat imminutio bonorum suorum adiuuandi gratia pauperes exemplo Christi: qui cum esset diues, & omnium dominus, tamen quo prodesset nobis, ultro pauperem se fecit. Præterea, si oporteret dominum Iesum prorsus imitari in ijs, quæ ad mores attinent, necessarium esset omnes christianos cœlibes esse, circuncidi, ad Hierosolymitanum templum iuxta mosaicam legem proficisci, paschalem agnum edere, ac omnino iudaizare. Talẽ enim uiuendi consuetudinẽ obseruauit Christus in statu peregrinationis & mortalitatis suæ. Neq; læ-

Acto. 20.
1. Cor. 7.
Cap. 8.

dunt quippiam nos uerba illa, quæ ad suos discipulos habuit Christus, in ultima cœna, exemplum dedi uobis: ut quemadmodum ego feci, sic et uos faciatis. Instruebat enim his uerbis tum Apostolos, tum omnes futuros Christianos ut alij aliorum pedes lauarent: hoc est ut alij in alios benefici essent, omniq; diligentia, & studio, charitatis officium, adeoq; pietatis opera exercerent assidue, quo circa Paulus ait, alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, & Christus ait. discite a me, quia mitis sum, & humillis corde.

Gal.6. Matt.11.

Quartum argumentum, Apostoli post mißionem, Spiritussancti dixerunt, non est æquum nos derelinquere uerbum Dei, & ministrare mensis: ac proinde constituerunt septem Diaconos in tale opus. Quis uero ambigit, eum prælatum, se magis implicare negocijs secularibus, qui post habito Iesu Christi ministerio dedicat se huic mundo? Respondeo. Apostoli non damnauerunt in ministris Ecclesiæ temporalium rerum administrationem, aut dispensationem, quod eo manifestum est, quia ipsi præstiterunt aliquanto tempore huiusmodi officium. Cum autem postea crescerent Euangelij negocia, super illud opus constituerunt Diaconos. Itaque non simpliciter prohibita est bonorum temporalium cura. Si tamen pastores impedirentur, quo minus possent gregi attendere, atque illum diligenter pascere, tum potius exemplo Apostolorum deberent inuigilare pascendo gregi, quam uel acquirendis, uel iam partis diuitijs aut opibus conseruandis. Porrò iuxta pulcherrimum decretum Anacleti Papæ, qui tempestate illa fuit qua adhuc supererãt Apostoli, ut minime ipsorum uoluntatem,

Acto.6.

tem,

tem, ac sententiam ignorauerit, haud dubie permisissent Apostoli agros, & cætera bona, quæ offerebantur in hebræorum Ecclesia, remanere: neque uenum dedissent, nisi plane intellexissent, Deo reuelante, paululum duraturam esse in Iudæa fidelium Ecclesiam.

Quintum argumētum, Apostolus inquit, nemo militās Deo implicat se negocijs secularibus, ut ei placeat, cui se probauit. Respondeo: in textu græco non est (Deo.) Itaque in latino redundat. Assumit enim Paulus hoc simile a militibus: quorum nemo curat rem domesticam: postquam sacramento fuerit addictus militiæ, sed imperatoris sui negocium aget. Multo magis id conuenit facere eum, qui militat Euangelio: hinc oprtet sequi, ministros Ecclesiæ haudquaquam debere maximis negociationibus implicari: Quibus necessario ab officij sui operibus abstrahantur. Minime tamen sequitur, quin uel per se, uel per alios, probe queant moderari bona sua. Paulus quidem uendebat, emebat, manibus suis operabatur: ut non modo sibiipsi, uerum etiam suis pararet uictum: ea inquam faciebat per ocium, quantum sibi permittebatur, cum a prædicationum laboribus quiescebat. Ille sane inquit: argentum, & aurum, aut uestem nullius concupiui: sed ipsi scitis, quod ad ea, quæ mihi opus erant, & ijs, qui mecum sunt ministrauerunt manus istæ. Si ergo licet Apostolo negociari pro uictu parando, neque tamen interim deficere a militia Christi, cur non magis liceat ea conseruare, quæ habet: non propterea deficiendo a militia domini nostri Iesu Christi?

Tim. 2.

Acto. 20.

Ministros Ecclesiæ posse habere ciuile regimen: et magistratum gerere.

IAm præstandum id nobis est, quod polliciti sumus, de ciuili ecclesiasticorum ministrorum regimine. Itaque plane ostendamus ecclesiasticos ministros, & præpositos posse iure optimo habere ciuile regimen: ac optimo iure posse magistratum gerere. Principio quæcunque utilia sunt Reipublicæ christianæ, & grata & accepta Deo, possunt legitime assumi a quibuscunque idoneis, & aptis hominibus. Ecclesiastica uero ministeria & ciuilia regimina sunt non modo, commoda & utilia christianæ Reipublicæ: sed etiam uehementer necessaria: & Deo acceptißima: quandoquidem illa instituit Deus. Quare sequitur, neminē eē, qui tū ecclesiastica ministeria, tū regimina ciuilia nō queat assumere, dūmodo uocetur ad talia obeūda munia, præcipua uero signa uocationis ea sunt, siquidem is, qui ad gerenda huiusmodi officia uenit, sit prudens, iustus, industrius, solers, & idoneus: si porro eligatur canonice, ab ijs, penes quos est ius & potestas electionis. Præterea, cum utraque administratio, nempe Ecclesiarum & rerum publicarum optima sit, multoq; laudabilißima, non ita inuicem pugnant, ut ab uno eodemq; homine prudentißimo geri non poßint admodum licite. Quid in causa igitur est, cur minime conueniat, unum eundemq; hominem simul esse ministrum Ecclesiæ & principem? seu Episcopum, & magistratum? quæ pugnantia est inter diadema, & mitram? inter pedum, & sceptrum? inter pacis trāquillitatisque tuendæ populorum, & pascendarum ouium curam? Thomas quidem Apostolus, cum tres baptizasset reges, illos etiam ordinauit Episcopos: neque tamen propterea deiecti sunt e regio throno. Apostolorum igitur do

ctrina & consuetudo non prohibet quominus Ecclesiæ ministri fungantur etiam magistratu.

Quomodo Papæ iurisdictio non sit in rebus huius mundi temporalibus.

Quoniam uero Papa ratione pontificatus aliquam habet iurisdictionem in rebus huius mundi etiam temporalibus: quandoquidē Nicolaus Papa inquit Christum beato Petro uitæ æternæ clauigero terreni simul & cœlestis imperij iura commisisse. Quæ Nicolai uerba glossa perpendens ita dicit argumentando, quod Papa habeat utrumque gladium spiritualem scilicet & temporalem, Breuiter exponam, qualis & quanta sit ea iurisdictio in Papa, quatenus Papa est, si prius dixero, quo modo non habeat Papa iurisdictionem in supradictis huius mundi rebus. Itaque Papa non sic habet iurisdictionē in temporalibus, ut iure possit dici rerum dominus, aut Rex, aut Imperator, aut princeps. Nicolaus enim Papa inquit: cum ad uerum uentum est ultra sibi nec pontifex nomen Imperatoris usurpet: Quoniam idem mediator Dei, et hominū homo Christus Iesus actibus proprijs, et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusq; discernit. Præterea non ita seculares iurisdictiones pendent a Romano Pontifice, ut ecclesiasticæ: Ioannes quidem Papa inquit, si Imperator catholicus est, quod salua pace ipsius dicimus, filius est, non Præsul Ecclesiæ: quod ad religionem competit, discere ei conuenit, non docere, habet priuilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est. Glossa habet: Diuinitus, non ergo a Papa: nam Imperium a solo Deo est. Ex his colligitur, Papā

Dif. 22. ca. omnes.

Dif. 96. ca. Cum ad uerum.

Dif. 96 ca. si Imperator.

regulariter et directe in feudis principum, inq; possessionibus dominorum secularium non iudicare. Vnde Alex: 3: dit: sic nos attendentes quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus iudicare ne uideamur iuri regis Anglorum detrahere, qui ipsarum iudicium ad se pertinere dicunt, fraternitati uestræ mandamus, quatenus regi possessionum iudicium relinquentes &c. Deinde colligitur, nemini licere a secularibus dominis & magistratibus prouocare ad Papam. Et hæc sententia est Alex: Papæ: qui sane ad quæst. illam qua quæritur, si a ciuili iudice ante iudicium, uel post, appellatum fuerit ad Papam an huiusmodi appellatio teneat; respondit: tenet quidem in ijs, quæ sunt temporali iurisdictioni subiecta: in alijs non: nisi de consuetudine teneat: secundum iuris tamen rigorem credimus non tenere. Vbi glossa habet: & ita patet, quod iurisdictio temporalis non pertinet ad Ecclesiam: Præterea colligitur, Papam non æque habere ius in laicos principes, atque habet in ecclesiasticos prælatos, integrum enim habet Episcopum, & quemlibet Antistitem alium deponere: sine causa etiam legitima. Quanquam sine causa legitima recte id minime facit. Non ita principem: si enim principem sine legitima causa tentaret deponere, nihil prorsus faceret. Postremo colligitur, Papam haudquaquam posse, ab aliquibus uel secularibus, uel ecclesiasticis auferre temporalia bona illa, quæ minime sint ecclesiastica: quod neque seculares principes queunt facere. Laicorum enim temporalia bona sic neutiquam data sunt communitati hominum, ut bona ecclesiastica: uerum certis definitisq; personis, arte, industria, labore, & proprio

Extra, qui fil. sint legi. c. causam.

extra de appel. c. si duobus.

studio parta sunt: ut personæ illæ ius, dominium, & potestatem legitime habeant rerum earum: poßintq; illas res arbitratu suo tenere, donare, uendere, testamento delegare, sine cuiusquam iniuria. Nec enim inter id genus res ullus ordo est, ullaue connexio ad caput aliquod, siue ad aliquem principem: cuius ordinare illas res, & dispensare omnino intersit: quemadmodum fit in rebus ecclesiasticis. Ad eum quidem pertinet ordinatorem, & distributorem esse laicarum & acquisitarum rerum qui dominus est earum rerum. Diximus quomodo Papa ratione pontificatus non habeat in rebus temporalibus iurisdictionem: nunc uero quo pacto illam habeat dicendum est.

Quanta sit Papę iurisdictio in rebus huius mundi temporalibus.

QVāuis Papa tantā non habeat in rebus tēporalibus iurisdictionem, quantam in spiritualibus: tamen aliquam habet. Quanta nimirum satis est ad dirigendos fideles in ultimum finem, ad corrigenda, & punienda nepharia omnia scelera, quæ ubique gentium christianarū admittuntur: ad conseruandam fidelium populorum cōem tranquillitatem & pacem: denique ad protegenda & defendenda cuncta spiritualia. recte Aug. ait: o mira potētia et ineffabilis gratia saluatoris. Quis plebeū piscatorē Apostolorū facile crederet principē, & regibus obsistere, Reges sanctificare? regnis omnibus imperare? mundū refrænare legibus? Dæmones calcare pedibus? iubere uirtutibus? cœlū hominibus aperire, cum uellet? claudere, cū placeret? immortale regnum conuersis donare? negare peruersis? merita mundi cognoscere? Culpas, & crimina homi- In ser. Apostolorū Petri & Pauli qui incipit fortis & humilis.

nibus relaxare? Hæc Augustinus: Deinde Innocentius
Extra de iudic.c.nouit. tertius inquit: Nullus, qui sit sanæ mentis ignorat, quia ad nostrum iudicium spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet christianum: & si correptionem contempserit per districtionem ecclesiasticæ censuræ coercere. Potest etiam Papa iure optimo a gradu & dignitate sua omnem Regem & principem deijcere, non solum propter hæresim, & schisma, & propter quamuis aliam scelerosam impietatem, uerum etiam propter socordiam, negligentiam, & ad regendum ineptitudinem, si præsertim
15.q.6.cap.alius. eiusmodi sit, ut regnum periclitetur christianorum. Gelasius enim Papa scribit ad Anastasium Imperatorem. Alius item Romanus pont. nempe Zacharias Regem francorũ, non tam pro suis iniquitatibus quàm quod tantæ potestati erat inutilis, a regno deposuit, & Pipinum Caroli Imperat. patrẽ in eius locum substituit; omnesq; francigenas a iuramẽto fidelitatis absoluit. Henricus Gandauẽsis appositissime ait; ut ipsius uerba in medium proferamus, sicut Architectonici est præcipere, qui & quales debeant exercere scientiam medicinalem, Rethoricam, & sic de alijs in ciuitate, & quosdam admittere, quosdam repellere: sic sacerdos apostolicus debet considerare, qui, & quales, regna & principatus regere debeant: & bonos honorare: malos autem, & male regentes deponere, & alios loco illorum substituere. Hæc Gandauensis. Integrum quoque habet Papa declarare, definire, & iudicare quæstiones et al-
quolib.arti.23. tercationes, quæ circa personales hominum actiones oriuntur, quæq; inter iudices controuertuntur inferiores: siue illi sint ecclesiastici: siue laici, et seculares. Quod sacræ scrip.

testimonio cõfirmat Innoc. 3. non solum, ait in Ecclesiæ patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem: uerumetiam in alijs regionibus certis causis inspectis temporalem iurisdictionem casualiter exercemus: nõ quod alieno iuri præiudicare uelimus sed quia in Deut. continetur, si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas uideris uerba uariari: surge & ascende ad locum, quem elegerit dominus Deus tuus: uenies'q; ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore quæres'q; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij ueritatem, Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem eligerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius: sequeris'q; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistrã. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Postremò iurisdictionem temporalem, ut multa, quæ dici possent hoc in loco, missa faciamus, ut de colligendis decimis, de mouendo bello contra hæreticos, & infideles de'q; huiusmodi alijs, eo esse in Papa facile constat, quod ipse Rom. Imperium a Græcis transtulit in Germanos, & ius Imperatoris eligendi certis principibus dedit. Inno. enim. 3. ait: cum ad eos, uidelicet principes ius et ptãs huiusmodi ab apostolica sede peruenerit, quæ Rõ. Imperiũ in personã Caroli a Græcis trãstulit in Germanos. Vbi sic habet Glos. legimus in chronicis, quod, cũ Ro. Ecclesia opprimeretur ab Astulpho Rege Lõgobardorum, petijt auxiliũ a Cõstantino, et Heruesio eius fratre,

Extra cap. per uenerabilem qui. fi. sint leg. Cap. 16.

Extra. de electio. c. uenerabilem.

Imperatoribus Constantinopolitanis, & cum nollent patrocinari Ecclesiæ, Stephanus Papa secundus natione Romanus transtulit Imperium in Carolum magnum, qui fuerat filius Pipini quem Zacharias prædecessor eius substituerat loco regis Francorum, quem deposuerat. De quo 15.q.6.c.alius. Hæc glossa. Nos deinceps argumenta diluamus aduersariorum nostrorum.

Primum argumentum Seruus non est maior domino suo: nec discipulus supra magistrum, sed sufficit discipulo, quod sit sicut & magister eius, ut Christus ait. Cum ergo magister optimus, ac dominus dominorū sit Christus, prælatiq; oēs Ecclesiæ debeāt subesse huic domino et magistro, haudquaquā decet, ut in politico dominio supra eū extollantur: Dixit autem ille: filius hominis nō habet, ubi caput suū reclinet, qua fronte igitur Episcopi nostri Cæsarei audent sic in dominio ciuili seipsos extollere supra Christum. Respondeo: si hoc modo arguentes probe colligerent, ego quoque probarem, nullum christianum, uel Imperatorem, uel Regem, uel Ducem, uel quemuis alium principem, & magistratum posse fungi dominio politico, aut habere, quò sua capita reclinarent: ipsi enim debēt serui esse itidē Christi, qui uniuersorum dominus est. Quemadmodum ergo fatemur solum Christum fidelium omnium esse magistrum & doctorem, tamen interim haudquaquam inficiamur, esse magistros, & doctores in Ecclesia, ut Paulus inquit simili etiam modo fatemur, solum Christum dominorum omnium dominum esse, a quo nemo est, qui pendere non teneatur. In hominum tamen congregationibus oportet dominos esse, qui humanarum rerum habenas moderentur, ut memi

Matth. 10.

Matth. 8.

2. Cor. 12.

nerint se causa rerum publicarum esse, non sui causa respublicas: Ita inquam, ut potius ministri, quàm domini sint, uel potius, ut ita loquamur, sint ministerialiter domini.

Secundum argumentum Scribit Mat. in illo tempore accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, quis maximus est in regno cœlorum? (intelligimus autem per regnum cœlorum Ecclesiam, in qua Christus per Spiritumsanctum regnat) & accersitum ad se puellum Iesus statuit in medio illorum, & dixit: Amē dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri: non ingrediemini in regnum cœlorum. Quisquis igitur humiliauerit semetipsum, sicut est puellus iste: hic est ille maximus in regno cœlorum. Verba hæc clara sunt, atque ostendunt, discipulos tum plane fuisse carnales: dicit enim nisi fueritis conuersi: in quo subindicat affectus esse mutandos, deq; Imperio non magis debere solicitos esse, quam sint pueri: neque in officio prædicandi, neque in alijs, Christus Petrum alijs præposuit: cæterum omnibus ex æquo primatum aperit si uoluerint esse humiles: Qui enim omnibus seruierit, & se infra omnes deiecerit, summus erit, & omnium primus: sic in cæteris quoque uirtutibus colligere licet, ut qui omnium est mansuetißimus, humillimus & patientißimus. Qui ergo pro summa sede pugnat, & summus contendit esse, ac princeps & dominus aliorum, (hac excepta uia) Christi non est: nam qui sit omnium humillimus homines scire non poßūt: solus Deus nouit. Respondeo: Arg. etiam istud probare nititur non solum ministros Ecclesiæ dominari non debere, sed etiam neminem christianum. Deinde ex hoc arg. sequitur, nullo in populo sciri a quoquam nisi Deo reuelante, Cap. 18.

qui sit uerus dominus, aut princeps, cui obtemperare debeant homines. Quis enim agnoscit eum, qui uere sit omnium hominum humillimus? Christus igitur non sentiebat illum, qui sit omnium primus oportere subijci alijs: mira enim esset rerum confusio: at docebat suos fideles, ut uacui essent ambitione, atque arrogantia, ut non tantum sui causa principatum expeterent, sed quoque, & id sane in primis, causa reliquorum. Nempe sic etiam prohibet, ut non desideremus episcopatum nostri causa: tamē inquit Paulus qui episcopatum desiderat, bonū opus desiderare. Quod intelligendum est, si episcopatum desideret eo animo, ut fideles recte doceātur. Itaque princeps, aut minister Ecclesiæ, quantum ad personam attinet, putare debet, se coram Deo uilißimū, et abiectißimū esse: nec enim est eo modo alijs maior aut eccellentior, sed omnibus æqualis, et oīum frater. Philip.2. 1.Pet.5. æque autē dicitur ei atq; alijs, ab Apostolis: humilitate alij alios superiores sibi inuicē arbitrātes. Omnes autē inuicē subiecti humilitatem insinuate. Atq; in hunc, modū suos discipulos cōsiderabat Christus, cū inquit: amē dico uobis: nisi cōuersi fueritis, et efficiamini sicut pueri, nō ingrediemini in regnū cœlorū. Mox princeps aut minister Ecclesiæ, quantū ad officiū pertinet, debet se cæteris oībus supiorē cognoscere, ac diligēter, et strenue agere iuxta officiū suū: quod iniunctū est ei: ut peruigil sit in regimine, ut peccātes arguat, ut puniat sontes, ut optimos quosq; defendat, ut pro æquitate, proq; ipsa iustitia nunquā certare desistat. Paulus enim de principibus loquens, ait: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, de ministris autem Ecclesiæ Roma.13. Heb.13. inquit, obedite præpositis uestris.

Tertium argumentum Petrus princeps Apostolorum ita scribit: presbyteros, qui inter uos sunt, obsecro qui sum & ipse presbyter, pascite, quantum in uobis est, gregē Christi, curam illius agentes non coacte, sed uolentes, non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo, neque ceu dominium exercentes aduersus hæreditatem (nempe Dei) sed sic ut sitis exemplaria gregis. Respondeo, tempore, quo talia scribebat Petrus, ministri Ecclesiæ nullo ad huc magistratu fungebantur. Deinde Paulus hæc eadem fere ad Timot. scribit, seniorem, ait, ne increpaueris, sed exhortare ut patrē: Iuuenes ut fratres: Anus ut matres: Iuuēculas ut sorores in omni castitate, uiduas honora, quæ sunt ueræ uiduæ. Nec propterea tamen retrahit ab officio suo Tim. quin eum mirifice hortatur ad æquitatem ac iustitiam, in eos, qui sibi tanquam iudici accusentur, studiosius exercendam, ait enim aduersus presbyterū accusationem noli recipere: nisi sub duobus, aut tribus testibus. Peccātes corā omnibus argue, ut et cæteri timorē habeāt. Testor corā Deo, et domino Iesu Christo, et electis Angelis, ut hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alterā partem declinando. Nō interdicebant ergo Apostoli ueros ministros Ecclesiæ honesta prælatione, aut scō magistratu: sed nolebāt eos eē tyrannos, uel turpis lucri auidos, nolebant eos inquam esse, quales ij erant, de quibus ait Paulus, Rogo uos fratres, ut obseruetis eos qui dissensiones, & offendicula, præter doctrinam, quā uos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo domino nostro non seruiunt, sed suo uentri et per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium. Ac rursus idem Paulus inquit, mul-

1. Pet. 5.
1. Tim. 5.
Rom. 16.
Philip. 3.

ti ambulant, de quibus sæpe dicebam uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus uenter est, et gloria in confusione ipsorum. Neque Petrus absolute inquit, ut nequaquam dominentur in Ecclesia, quæ est sors, & hæreditas Dei, sed ait, neque ceu dominium exercentes aduersus hæreditatē. Qua clausula studet amouere tyrannidem ex ministris Ecclesiæ, non uerum & legitimum dominium. Quæ petrina quidem sētentia nō magis obseruanda est a ministris Ecclesiæ, quam a principibus, et magistratibus: modo uelint Christiani eē.

Luc.12. Quartum arg. quidam adolescens de diuidēda inter se, & fratrem suum hæreditate, cumpellans dominum, sic responsum accepit: quis me constituit iudicem, aut diuisorem super uos? ecce qui dominus & rex est omniū, a se functionem hanc reijcit, & adolescentem remittit ad iudicem Ii uero, qui se loco Christi esse gloriantur, omnem iurisdictionē ad se trahunt: imo se super omnia iura præferunt: nec tamen sua ipsorum iura seruant. Respondeo, quid mali et scelesti homines faciant inpræsentia non inquirimus, de bonis enim & ueris ministris loquimur. Deinde arg. non magis probat, Episcopos, aut alios proceres Ecclesiæ, nō debere iudices, aut principes esse, quā alios quoslibet christianos. Ex facto igitur illo Christi, qui nullo magistratu fungebatur, admonendi sunt præpositi ecclesiastici, ut, cum nullo funguntur magistratu, causas ciuiles remittant ad ciuilem iudicem, neque falcem suam temere audeant in messem alienam mittere, non tamen hinc proinde sequitur, Episcopos dominio simpliciter interdici.

Quintum arg. Cum discipuli aliquando inter se disce

ptarent, quis inter eos esset maior futurus, audierunt dominum ita loquentem, Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem in eos exercent, benefici uocantur: uos autem nō sic. Sed qui est inter uos maior, fiat sicut iunior, et qui princeps est, sicut qui ministrat. Quid darent pontificij, ut hæc quatuor uerbula: uos autem non sic, essent expuncta? quam breuibus omni interdixit imperio? Sola modestia, et sui deiectione magnos fore pronuntians. His uerbis omnis eorū potestas, splendor, & fastus cedit, imo deijcitur, & subuertitur. Afferant qualia uelint glossemata, alium sensum afferre non possunt, citius ruitura sunt cœlum & terra, quā ut uel apex unus ex his mutetur. Respondeo, Arrogantem splendorem, & fastum ambitiosum plane scimus, & ingenue confitemur, et passim docemus pugnare cum Euangelij doctrina. Neque allaturi sumus ulla glossemata uim inferentia textui, sunt enim illustria, & clarissima uerba domini nostri Iesu Christi. Sed ex his pulcherrimis, & memorabilib. uerbis astruere ac defendere uolumus principatus legitimos, tyrannicos autē subuertere, penitusq; demoliri. Primum igitur de ijs loquebatur Christus, qui erant duntaxat futuri Ecclesiæ ministri absque ulla magistratus functione. Debent quidem perpetua solicitudine Episcopi tanquam ueri omnium ministri aliorum inseruire commoditatibus docendo, consulendo, corrigendo, & faciendo huius generis alia. An obsecro, talia pugnant cum uero magistratu? Imò principes christiani debēt sic animati esse, ut se arbitrentur subditorum suorum ministros, & se quidē, ut paulo ante diximus, reip. causa esse, non sui causa Rēp. alioqui non essent ueri magistratus, sed tyrāni, quanquā

ergo solis Episcopis dicebantur quatuor hæc uerba, uos autem non sic, tamen & christianorum principibus ea quoque sunt inculcāda, uos autem non sic, idest ne uos animo illo dominemini, quo Reges et principes gentium dominantur, hoc est propter inanem gloriā, fastū, et propriā utilitatē et cōmodū, cū iactura, et incōmodo populorū. Itaque uerbis illis nō aboletur dominiū absolute, nec eo interdicitur ulli aut principes, aut præpositi ecclesiastici, sed christianis omnibus præposterus et peruersus dominādi modus prohibetur. Nemini nō dicit Christus, ut nō dominetur sic nimirum, ut et principes gentiū, qui, cum potestatē contra suos exerceant, idest cum tyranni sint, uocari tamen uolunt benefici. Porrò id factum est optimo iure, quoniam filij Zebedæi cum existimarēt dominum Iesum post resurrectionem Hierosolymis dominaturum carnali et temporali regno, uolebant non sine ambitione illi assidere, ad dexterā quidem unus, alter autem ad sinistram, fuit ergo declarandum, quo fidelium principes debeant á principibus gentiū differre. Num hac igitur de causa oportet sequi, ministros Ecclesiæ omnino interdici quocunque magistratu?

Sextum argumentum. Rex Christus apud Mat. grauibus uerbis minatur ministro, qui conseruos uerberat absente domino. Hæc causa fuit, ut eos sine sacco, pera, et uirga in officium prædicationis amandaret, ne diuitijs cōgregandis inhiarent, neue tyrannidē in quenquam exercerent. Hoc idem apud Luc. uidere est. Respondeo si absente domino Iesu Christo, qui est rex regum, & dominus dominantium, licet nemini conseruos suos uerberare, idest punire, sontes & facinorosos homines, ergo tollendi sunt

Cap. 24.

Ca. 9. et. 10.

Rom. 13.

magistratus, ergo sine causa principes ferunt gladium, ergo male ac perperam docet Apostolus, ciuilem potestatem ordinationem Dei esse. Quis uero talia dicere auderet, nisi omnino seditiosus, atque impius? sed aliud agit Christus apud Mat. & Lucam: Vult enim ut nemini faciamus iniuriam, ut aboleamus priuata odia, ut priuatas uindictas obliuioni tradamus, atque ut inimicos nostros etiam diligamus. De congregatione diuitiarum, deq; tyrannide iam antea, quantum par erat egimus.

De erroribus Concilij Constantiensis & Basiliensis, ac multorum aliorum, circa potestatem summi Pontificis, & Conciliorum siue vniuersalis Ecclesiæ.

Disseruimus, quantum par erat, mea quidem sententia de ecclesiastica potestate: qua in re, quoniam Parisienses catholici & doctißimi alioqui uiri Conciliorum sanè tum Constantiensis, tum Basiliensis authoritate delusi, nobiscum uehementer pugnant: Ne simili etiam modo alij complures decipiantur, subiectis omnibus his, quæ de Ecclesiastica potestate in hoc libro edocuimus, non grauabor ultimo loco subijcere, quantum Parisienses, & Galli ferè omnes, cum suo Gersone, cumq; illis patribus qui primum Constantiæ, deinde Basileæ ad Synodum celebrandā congregati fuerunt, errauerint, circa potestatem Ecclesiasticam: In primis igitur annotatione dignum est, duo illa concilia quamplurima & egregia & memorabilia decreuisse (quæ propterea solemus interdum allegare) At profecto illa omnino esse nullius authoritatis, quandoquidem patres illi congregati separauerunt se a capite suo Roma-

no Pontifice, undè omnis per uniuersam Ecclesiam ad generalia Concilia manat authoritas: quippè cum ea in solo Romano Pontifice sit ab Optimo Maximo Deo immediate, quod nos antea non obscuris argumentis probauimus, tum confirmata ueritate, tum aduersariorum nostrorum nugis atque impietatibus confutatis. Ea uero tantum duorum illorum Conciliorum pondus authoritatis habent, quæ duo maximi Pontifices Martinus quintus, & Nicolaus diplomatibus suis nominatim confirmauerunt: quædā uidelicet per Nicolaum ad censuras & ad beneficiorum causas pertinentia eo confirmata: ut sederentur populorū turbæ atque dißidia: Et per ipsum Martinum condemnationem impie doctrinæ Vigleffi & Ioannis Hus, & Hieronymi Pragensis. Age porrò ut quid senserint, omnes probe intelligant, eorum placita distinctißimè & clarißimè in capita distribuentes proferamus: & breuiter & singillatim quidem reijciamus.

Primo generale, aiunt, Concilium ritè ac legitimè congregatum immediate a Christo habet iurisdictionem, & cohibitiuam potestatem in foro quidem externo, & publico: non autem in secreto atque interno foro. Cum enim generale Concilium sacerdotio minimè sit initiatum, haud quaquam integrum habet sacramentaliter absoluere: sed ne potestatem quidem habet consecrandi. Concilium uero potestatem cohibitiuam immediate a Christo suscipere hoc modo probantur. Dominus & Deus noster Iesus Christus Petro immediate dicebat: Si peccauerit in te frater tuus &c. ac tandem ait: Dic Ecclesiæ, si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: Deinde pluraliter

liter subiecit: quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cœlis: & quæcunque ligaueritis super terram erunt ligata & in cœlis. Christus igitur Ecclesiæ dedit authoritatem cognoscendi, ligandi soluendi, et in omnes incorrigibiles, sententiam proferendi, & eos damnatione liberandi, qui resipiscerent, & pœnitentiam agerent, inquit Gerson, duobus illis Concilijs nimium addictus, & Parisiensium doctorum corypheus, in uerba cuius omnes propemodum Galli coniurarunt: Ait Christus: dic Ecclesiæ, non ait. dic prælatis: cum Petro enim, qui futurus erat prælatus, loquebatur, quique proinde non poterat simul esse, accusator, testis, & iudex: Dedit igitur Ecclesiæ potestatē cognoscendi. Ex quo generale Concilium, (quod uniuersalem propterea Ecclesiam representat, quia uocati sunt ex particularibus omnibus Ecclesijs ad constituendum ipsum Concilium, quotquot ad esse conuenit) haud dubie potestatem habet immediate ab Optimo Maximo Deo cognoscendi super quemcunque fidelem, & post habitam cognitionē proferendi etiam sententiam, & censuris ecclesiasticis omnes rebelles atque inobedientes puniendi. Respondeo: Ante Constantiense Concilium omnia semper Concilia, & prouincialia, & sacerdotalia, seu mediocria, & oecumenica, unanimi & perpetuo consensu existimauerunt, crediderunt, & docuerunt, potestatem Conciliorum esse a Romano & Maximo Pontifice: quod multi catholici & doctißimi uiri, facta longa inductione, ostenderunt: quod & nos magna ex parte fecimus. Deinde nusquam in diuinis literis apparet datam esse iurisdictionem, & ecclesiasticam potestatem uel ipsi Ecclesiæ, uel generalibus Concilijs. Locum

propositum suum, ex ijs manifestum esse nullo negocio potest, quæ nos in illius ipsius loci enarrationem diximus antea, cum de excommunicatione differebamus.

Secundo: generale Concilium authoritate siue iurisdictione a Deo sibi communicata immediate, potest edere pœnitentiarios, castigatorios & punitiuos Canones: Basilienſe quidem Concilium decreuit, ut sacerdotes qui publice fornicarij essent, fructibus omnino beneficiorum suorum per tres menses priuarentur: Si porrò in idem relaberentur flagitium nec se emendarent, beneficijs suis perpetuo priuarentur. Et Gangrense Concilium definiuit pœnitentiam, quæ fornicatori sacerdoti, cum fuerit conuictus, imponenda sit. Respondeo: quod Basiliense Concilium fecit, uanum atque irritum est: quippè cum se dirimisset a Papa; a quo solo immediate pendent Concilia, penitus fuit absque omni authoritate: quod si patres in ea Synodo congregati quemadmodum & in Constantiensi, aliqua bona & laudabilia statuerunt: ea legimus, habemus in manibus, & citamus aliquando, ut scripta etiam priuatorum quorumque aliorum doctorum solemus adducere in testimonium earum rerum quæ aliquando in priuatis controuersijs & disputationibus definimus. Gangrensis autem Concilij acta firma esse debent: quanquam enim prouinciale fuit, tamen confirmatum est in sexta generali Synodo, quam Leo iunior Papa confirmauit.

Dis. 82. ca. presbyter.

Tertio: generale Concilium potest Indulgentias christianis hominibus conferre: nam Indulgentiarum communicatio a claue proculdubio est ipsius Ecclesiæ: huiusmodi uero clauis data est Petro non tanquam priuatæ personæ,

ſed quatenus Eccleſiam uniuerſalem repræſentabat, quemadmodum exponit Auguſtinus, cum generale igitur Concilium uniuerſalem referat Eccleſiam, ſequi neceſſe eſt ipſum à Chriſto immediatiùs Romano pontifice hanc poteſtatem habere. Reſpondeo: iure non poteſt Concilium indulgētias, niſi poteſtatem id faciendi habeat à Papa, unquam elargiri. Quod Auguſtinus autem dicere ſoleat, Petrum quando accepit claues geßiſſe perſonā Eccleſiæ, id accipiendū eſt in eo ſenſu, ut Eccleſiam quidem intelligamus eas claues recepiße, at in capite ſuo Petro. Baſilienſe igitur Conciliū errauit, & cum Indulgentias tentauit diſtribuere, nihil fecit: quoniam præſtare illud non poterat, cum eſſet à Papa omnino ſegregatum. 24.q.1. ca. quodcunq;.

Quarto: poteſt generale Concilium indulgentiarum diſtributionem & elargitionem moderari ac limitare in prælatis Eccleſiæ: quod & aliquando fecit: quemadmodū enim de pœnitentijs & remißionibus habemus: decreuit Concilium, ut cū dedicatur baſilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, ſiue ab uno ſolo, ſiue à pluribus Epiſcopis dedicetur: utque in aniuerſario dedicationis tempore, quadraginta dies de iniunctis pœnitentijs indulta remißio non excedat. Deinde hunc quoque, ait, dierum numerum indulgentiarum literis præcipimus moderari: quæ pro quibuslibet caſibus aliquoties conceduntur, cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis hoc in talibus moderamen conſueuerit obſeruare. Reſpondeo: totum illud authoritate Innocencij Papæ factum eſt à Concilio, quod etiam ſui decreti ſtatutique illius reddens optimam rationem, ut cita- Extra de pœ.& rem. c.cū ex eo.

uerunt aduersarij, cum Romanus, ait, Pontifex qui plenitudinem obtinet potestatis &c.

Quinto potest Conciliũ excõmunicare: quandoquidẽ Christus ait: si Ecclesiã nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus, et public. et generale quidem Concilium eos excommunicat, qui semel in anno Eucharistiam non suscipiunt. Respõdeo: & sententiam illam Christi apud Mattheum non esse ad propositum demonstrauimus antea: & statutum illud in generali Concilio aduersus non communicantes æditum, fuit ab Innocentio Papa confirmatum.

Extra de pœ. & rem. c. omnes utriusque.

Sexto dispensare Concilium potest a pœnitentiarijs canonibus eos qui censuris ecclesiasticis omnino sint obnoxij, ut Grangense Concilium, cum presbyter fornicarius secundum Apostolorum Canones deponendus esset, eum tamen constituit permittitq; in susceptis ordinibus post peractam decem annorum pœnitentiam ministrare. Respondeo: statutũ Gangrensis Concilij ualidum fuit, quatenus ipsum Romanus Põtifex, ut paulò ante diximus, cõfirmauit.

Septimo generale Concilium supra sedis Romanæ Põtificem habet authoritatem: quandoquidem Zozimus Papa inquit: contra statuta patrum condere aliquid uel mutare nec huius quidem sedis potest authoritas: apud nos enim inconuulsis radicibus uiuit antiquitas cui decreta patrum sanxere reuerentiam. Respondeo. Zozimus de statutis Prophetarum & Apostolorum loquebatur. Nam Gratianus hoc probè innuens, Zozimi uerba statim adiecit, his Vrbani Pappæ iam recitatis uerbis: sunt quidam ait Vrbanus dicentes, Romano Pontifici semper licuisse nouas condere leges: quod & nos non solum non negamus, sed

25. q. 1. cap. contra statuta.

etiam ualde affirmamus. Sciendum uero sumopere est, & quia inde nouas leges condere potest, unde Euangelistæ aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Vbi uero aperte dominus, uel eius Apostoli, & eos sequentes sancti patres sententialiter aliquid definieruut, ibi non nouam legem Romanus pontifex dare, sed potius quod prædicatum est usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli & Prophetæ destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare conuincere tur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper domini Ecclesiã cõtra luporũ insidias optime custodierũt. Hæc Vrbanus.

Octauo. Concilium potest certis legibus Papam astringere, ita nimirum, ut secundum eas leges teneatur iudicare: atque isto modo quantum ad beneficiorum collationes Põtificia Papalisq; authoritas in regno Franciæ astricta est, ut reseruare illa beneficia non queat amplius: quod si tentet facere, ipsius uana, & irrita fuerit sententia. Hoc ipsum uero ita probatur: si duo sint quorum unus possit errare, alter nequaquam: potestas eius, qui potest errare, subesse alterius potestati merito debet: cũ igitur Papa queat oberrare, Concilium autem nequaquam, optimo iure Papa subijciendus est generali Concilio. Respondeo, quomodo fieri potest ut summus Põtifex aut a Concilio, aut a regno aliquo certis legibus uinciatur, cum sine maximi Pontificis authoritate nulla sit ecclesiastica lex ualida & rata? Deinde probant in generali Concilio esse maiorem sapientiam, rerum cognitionem, & prudentiam, quod nos etiam confitemur, quam in Papa: sed nihil de potestate ac iurisdictione probant: quæ tantum in Papa est inmediate ab Optimo

Maximo Deo, & quidem plenissima: ut nos contra illos firmissimo animo asserimus.

Nono: christiani homines possunt a Romano Pontifice ad generale Concilium prouocare atque appellare, quandoquidem Papa errare potest, Concilium uero nequaquam. Respondeo: nulla est appellatio, cum sit ad eum cuius potestas ab eo pendet, a quo facta sit appellatio. Cum ergo potestas Concilij a Romano Pontifice sine dubio pendeat, nulla prorsus ab eo fieri potest ad generale Concilium appellatio.

Decimo: Concilium potest citare, iudicare, punire, excommunicare, & deponere summum Pontificem: illi etiam in pontificia existenti profectò dignitate, iubere potest, ut aliquorum iam commissa & præterita peccata, non cognoscat, non puniat, non denique ullo modo iudicet. Respondeo: sunt hæc mera somnia, & figmenta uana: quandoquidem perspicuum est nullam in Concilio esse potestatem nisi a Romano Pontifice.

Vndecimo. In tribus casibus potest Concilium congregari sine maximi Pontificis authoritate: 1. si Papa obierit mortem aut ciuilem, aut naturalem: duobus enim aliquando & pluribus etiam annis uacauit sedes Apostolica. 2. cum rogatus legitime ac iustissimis de causis Papa, ut Cōcilium uocet, obstinato ille animo, contradicat. 3. quando præcedens Concilium & tempus & locum futuro Concilio definiuit, quemadmodum Basiliense Concilium determinauit, ut Lugduni post septennium celebraretur Concilium. Respondeo: In omnibus concilijs ueram esse opportet illā Damasi Papæ sententiam, quam Aphricanæ prouinciæ

Concilijs respondens, hoc modo scripsit in calce suæ episto læ. Definire ecclesiasticas summas querelas causarum, uel damnare Episcopos absque huius sanctæ sedis authoritate, minimè licet, quam omnes appellare si necesse fuerit, et eius fulciri auxilio oportet. Nam ut nostis, Synodum sine eius authoritate fieri, nõ est catholicũ, nec ulla Concilia rata leguntur, quæ nõ sunt fulta apostolica authoritate. Hæc Damasus. Quacunque igitur de causa congregentur Concilia, etiam si Episcopi adsint innumerabiles: nihil tamen deliberare quod sit ratum, queunt, nisi authoritate summi Põtificis accedente, nulla enim proculdubio est ecclesiastica potestas, nisi per Papam.

Duodecimo. Non Romanæ sedis authoritas, sed generalis concilij est certißima catholicæ atque orthodoxæ fidei regula. Respondeo: satis superque reiecimus antea hunc errorem. Et contra illum sanè catholicorum omnium patrum & sanctarum omnium Ecclesiarum à temporibus Apostolorum communem habemus consensum, in Concilijs quidem generalibus & prouincialibus illæ ipsæ ante Synodum Constantiensem quæstiones & dubitationes inter se ortas omnino absque ambiguitate semper ad Romanam sedem retulerunt, ab illa postremam expectantes declarationem, & sententiam, ita Mileuitanum Concilium egit: quod ea facile monstrat epistola, quam scripsit ad Damasum Papam: unanimiter ad sedem Apostolicam confugimus, ut certi de ueritate simus.

Tertio decimo. Quoniam in statutis & decretis modo reperitur hæc loquẽdi forma: nos sacro approbãte Cõcilio

statuimus: modo hæc, sancta Synodus statuit: modo hæc: sacri authoritate Concilij inhibemus. Propterea quæri solet. quæ sit commodior & magis ad propositum, ac tandē aiūt aut sic definiendum, sancta Synodus statuit: aut sic: authoritate sacri Concilij statuimus, ut non nomine summi Pontificis, sed nomine Concilij rata sint omnia decreta, & statuta, & omnes Canones. Respondeo, ut supra quantum conueniebat, explicauimus, partes Concilij sunt, componere decreta, statuta, Canones, & alias uniuersales Ecclesiæ constitutiones, leges, sanctiones: at nullum habent pondus authoritatis, & ad sui obseruationem obligant neminem: nisi a Papa confirmentur, in quo solo est a Christo immediate plenitudo potestatis. talis igitur esse oīno debet eorū oīum quæ in Concilijs ordinantur & santiuntur loquēdi forma, ut plane constet, illa esse a Cōcilijs declarantibus, approbātibus, definientibus & componentibus: a Papa uero ipso authoritate sua immediate ab Optimo Maximo Deo ipsi communicata & donata, illa omnia confirmante, a quo nimirum postquam fuerint confirmata, perinde sunt rata et firma, ac si Deus illa per se ipse confirmasset, atque ad sui obseruationem omnes quotquot sunt in Ecclesia obstringunt & obligant, ut sane transgressores eorum pœnis & censuris ecclesiasticis proculdubio subijciantur.

IOANNIS AN-TONII DELPHINI CONVENtualis Franciſcani è Caſali Maiore, de cultu Dei & Sanctorum; qui eſt de Eccleſia Liber Tertius.



DVO fuerunt in hac ipſa fluxarum rerum confuſione omnibus ætatibus genera hominum, alij quidem illico ab ineũte pueritia, uel parentum diligentia & ſtudio, uel cura & induſtria magiſtrorum, bonis moribus & uirtutibus excellentisſimis imbuti, uiam ſibi ad bene beateq; uiuendum magno cum honore parauerunt, aggeneratis paulatim in ſe firmis & ſtabilibus moralium uirtutum habitibus, quos nimirum qui frequentibus in animo ſuo actionibus pepererunt, ij ſane mira delectatione res optimas quaſque aggrediuntur, & perficiunt: quibus profecto ſi charitas & gratia Dei, quæ eſt per Ieſum Chriſtum dominum et Deũ noſtrum una cum alijs uirtutibus & donis ſupercœleſtibus diuinitus elargiatur, diuini ſane cœleſtesq; homines, ut pote Chriſto mirabili & diuina ratione inſiti et cõfigurati, nominantur ac ſunt proculdubio, ut uere cum Paulo quãt dicere, conuerſatio noſtra in cœlis eſt.

Deinde alij omni conatu, omniq; labore & induſtria, uel procurauerunt, uel certe permiſerunt omnino ſemper, ut peccatum in mortali corpore ſuo regnaret, ac ſibi magnopere dominaretur. imo qui ſunt eiuſmodi ab ipſius incunabulis, a tenerisq;, ut græci dicunt, unguiculis omni pra-

uitate, ſummaque impiarum opinionum peruerſitate inſi-ciuntur, ac propemodum cum lacte nutricis pernitioſiſſi-mos co mbibunt errores, quibus procul à uia bonorum mo rum & ſyncerae ueritatis mentem animumq; auertant, ac magis in dies turpitudinibus atque impietatibus inquinen tur, Ab his oriuntur & excitantur ſeditiones, bella haere-ſes, & mala omnia: hi ſemper odio habuerunt iuſtos ho-mines, & aſsiduis perſecutionibus pro uirili ſua, furore pluſquam diabolico agitati, perturbauerunt, & a uero cultu ueraque adoratione Optimi Maximi Dei, tanquam inpij Satanae miniſtri, alienare fidelium animos elabora-uerunt omni ſtudio & conatu. Fuit enim tempus cum la-triae ſanctiſsimum cultum, qui lumen & ſplendor, & fir-mamentum eſſe deberet Eccleſiae, obſcurantes denſiſsimis fallaciarum offuſis tenebris ad execrandam idololatriam pellexerunt, imo & impulerunt. feceruntque ut homines creaturae potius confiderent & ſeruirent quam ſummo re rum omnium creatori atque opifici execrabilemque omni-no abominationem in ſanctam Dei Eccleſiam inducerent. At cum poſtea boni iuſtique homines beneficio Dei probè cognouiſſent quam ſit horribilis, quamque peruerſa ido-lolatriae abhominatio, ſummis laudibus efferentes illi qui-dem latriae cultum, atque adorationem, ſic ad praepotentem Deum inuitauerunt homines diligendum & colendum, ut bonam eorum partem nepharij & impoſtores a cultu coe litum ſanctorumque hominum & Angelorum penitus auerterint, ut diuorum pias orationes atque neceſſarias nobis in hac tanta miſeriarum mole interceſsiones de me-dio ſuſtulerint, ut denique beatorum ſimulachra, imagines,

& reliquias fregerint, aboleuerint, ac spurcißime fedauerint, in ignominiam & dedecus illorum, qui sunt iam prorsus in cœlo, & una cum Iesu Christo beato & perpetuo æuo fruuntur, quod sane cum alias parrauerint sæpenumero, tum id maxime longeque ardentius præstiterunt hac misera & lamentabili ætate nostra, magisque id ipsum in dies pertinaci atque obstinato animo moliuntur, non sine pernitiosißimis tumultibus, ac pestilentibus piorum & fidelium omnium scandalis atque offendiculis ubique nationum christianarum. Fuerunt autem, qui tum ut redderent me pijs & bonis odiosum, tum ut ad impiorum defensionē propellerent, inscium & inuitum, non spectatorem huius tragediæ, sed actorem finxerint mille dolis & imposturis, tanta est iniquitas hominū. Ego uero pro sancta et catholica Ecclesia paratus sum mori, nedū scribere. Hac ipsa inquā adeo turbulēta seditione, ut ad institutū redeā, ita quidem sunt mentes humanæ confusæ turbatæque, ita inquam. Scinditur incertum studia in contraria uulgus.

Vt multis in prouincijs & regionibus christiani orbis, nulla sit propemodum cognitio & scientia, nullumq; appareat uspiam conuenientis adorationis uestigium: imo ut sanius & laudabilius de illa mundani sapientes, in quorum quidem mentes illustrandas fulgens plusquam dici poßit, lux Euangelij, descendit nunquam, senserint, Balbus enim apud Ciceronem, diuinum cultum his uerbis explicauit, Li.2.de natura deorū. Cultus autem Deorum est optimus, idemq; castißimus, atque sanctißimus, plenißimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta mente & uoce ueneremur, Persius etiam elegantißime inquit.

Quin damus id superis, de magna quod dare lance,
Non poßit magni Messalæ lippa propago.
Compositum ius, fasque animi, sanctosq; recessus.
Mentis & incoctum generoso pectus honesto.
Hoc cedo, ut admoueam templis, & farre litabo.

Itaque multos ego abhinc annos, cum tantam uiderem, tamque pestiferam, & impiam seditionem in populo christiano, ut per nos inter infideles nomen Dei Optimi Maximi *turpißime blasphemetur, expectaui semper magno cum desiderio, ut grauißimus uir aliquis exurgeret, prodiretq; in medium forti & constanti animo, quem cum populi aspicerent, cum eius audirent uocem, aut scripta legerent, continuo reuocarentur ad obedientiam, sanctæ & catholicæ* Ecclesiæ, *adeoq; ad sanam doctrinam, atque ad sanctos maiorum nostrorũ ritus, ac ueluti alter* Esdras *fere collapsam* Relligionem *ad pristinum statum repararet.*

Tandem ego qualiscunque theologus hoc libello, quem feci de cultu Dei *&* Sanctorum *quem & uolui tertium librum esse de* Ecclesia, *imprimis enim ad cõponendas multas* Ecclesiasticas *lites contra impios & hæreticos homines pertinet, ad cognoscendamque omnino militantis & triumphantis* Ecclesiæ *mutuam charitatem & beneuolentiam, in harenam tantæ seditionis, gratia* Dei *& fauore adiutus, quemadmodum spero, descendi, eo quidem animo ut uel confirmentur in uero & relligioso cultu, qui nondum a* Romana Ecclesia *recesserunt, uel ii resipiscant qui ab hæreticis & scelestißimis hominibus delusi mille imposturis commouerunt in christiana* Republica *seditionem contra honorem* Dei, *& sanctorum.* Hæc *uero ipsa quæstio dili-*

genter explicata & ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam Relligionem necessaria.

Quid apud latinos authores cultus nomine significetur.

CVltus aut cultura, nam utrunque dicimus, a colo descẽdit, colo autem multa uariaque apud latinos authores habet significata, Primo quidem colere est exercere, Liuius, Abi nuncia Romãis, cœlestes ita uelle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit, proinde rem militarem colãt. Lib.1.
Secundo, est habitare, Vergilius, quam dira Celeno, Harpyæq; colunt aliæ. Vnde coloni uocantur habitatores, ut Li.3. æneï.
Vergilius idem ait, ueteres migrate coloni. Hinc etiam coloniæ dicuntur, & cœlicolæ, & ruricolæ, & alia denique In bu.egl.1.
huiusmodi composita nomina, de quibus in præsentia nobis minime agendum est. Tertio, est diligere, Vergilius: solam Li.4.æneï.
nam perfidus ille te colere. Ita colimus parentes, liberos, propinquos, & in malam partem accipitur aliquoties, ut cum dicimus, aliquem meretrices colere, ut illa inquit apud Terẽtium: Quippe forma impulsi nostra, nos amatores colunt. In Heautõ.
Quarto est ornare. Varro in segetibus post messem colligebant stramenta, qui domicilia colerent: Vnde & ornatam orationem uocat Cicero interdum cultam orationẽ, Quinto est, ducere, Vergilius: hanc olim ueteres uitam coluere Sabini. Li.3: geor.
Sexto, illa est facere quæ ad rura & agros pertineant, Columella. nam ubi sedulo colitur ager, et Vergilius: Fructusq; feros mollite colendo Lib.1. Lib.1.gior.
Septimo colere est adorare, Vergilius, summe Deum sancti custos Soractis Apollo, quem primi colimus. Nunc omißis omnibus alijs Li.9. æneï.
significatis accipiemus colere pro adorare, & cultum pro

adoratione. Quoniam uero adorare, quod ex ad, & oro componitur, ſignificat multa, nempe orare, uenerari, & ſupplicare, idcirco, eadẽ ſimiliter colo ſignificat, pro eodẽ igitur ſumemus cultum, & adorationem, atque his duobus utemur nominibus tanquam ſynonimis. Quid cultus, quidue adoratio ſignificet, hactenus quantum par erat, expoſuimus: deinceps ut omnis penitus amoueatur ſermonis noſtri inſtitutæque a nobis pulcherrimæ diſputationis con fuſio, de cultus, deque adorationis multiplicitate agendum eſt.

Variam & multiplicem eſſe adorationem.

Cultus aut adoratio eſt duplex, una quæ latria dicitur a patribus orthodoxis: altera dulia: hæc uero item du plex eſt, una minor quæ ſimpliciter uocatur dulia, ma ior altera, quam hyperduliam appellamus. græcis autem nominibus utimur, quod etiam in multis alijs ſacris rebus explicandis facimus, propterea quod latina nomina id exa cte, & proprie ſignificantia, quod ſignare & exprimere uolumus, nulla extant. Eccleſiaſtici uero & catholici doctores iudicauerunt omnino cultum diſtribuendum eſſe in ſpecies uarias, ut ſciremus quo Deus cultu adorandus ſit, quoue ſancti homines & Angeli. De cultu Dei & ſanctorum martyrum Auguſtinus ait: colimus ergo martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac uita coluntur homines ſancti Dei, quorum cor ad talem pro euangelica ueritate paßionem paratum eſſe ſentimus, ſed illos tanto deuotius, quanto ſecurius poſt incerta omnia ſuperata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus, iam in uita feliciore uictores, quam in iſta adhuc uſ-

Lib. 22. cõtra Fauſtũ.

que pugnantes. At illo cultu qui græce latria dicitur, latine uno uerbo dici non poteſt, cum ſit quædam proprie diuinitati debita ſeruitus: nec colimus, nec colendum docemus niſi unum Deum: *Hæc.* Auguſtinus. *Cæterum hæc ipſa recte a nobis & a catholicis omnibus dicuntur, ſi quando enim aliquid in multis diuiſum ita concluditur, ut in uno aliquo eorum peculiariori modo contineatur, id etiam peculiare habet nomen diſtinctum ab alijs, ut de curuitate manifeſtum eſt, quæ nimirum cum partita in multis uarijsq; ſubiectis concludatur, ſed in naſo tamen peculiariore quadā ratione, in eo quidem proprio nomine uocatur ſimitas ut* Vergilius *capellas eo uocat ſimas, qđ ſint preſſo naſo, inquit.n.* Dum *teneră attondent ſimæ uirgulta capellæ.* In Bucoli.

Simili quoque modo, cum Deus. Angeli, *& homines recte adorentur, ſed rationibus tamen diuerſis, propterea his adorationibus diuerſa etiam nomina imponere, uiſum eſt, quemadmodum paulo ante diximus, orthodoxis & catholicis patribus, quibus placuit, latriam qua* Deum *colimus, peculiarius & ſacroſanctius nomen alijs eſſe, quandoquidem in* Deo *eſt infinita maieſtas ſupremumque omnium rerum dominium & imperium.*

Latriam eſſe quat rinominem.

V*Erumenimuero ſignificatur latriæ cultus quatuor nominibus appoſitiſsime,* Primo *enim dicitur pietas, quantum ad interioris ardētisq; deuotionis affectum, quo mens noſtra in* Deum Optimum Maximum *colendum rapitur, eiq; propter ipſum amore inhereſcit.* Deinde Theoſebia, *hoc eſt diuinus cultus: uel* Euſebia, *hoc eſt bonus cultus appellatur, quantum ad attentam ſpectat in-*

tentionem, & uoluntatem, colimus quidem omnia, quibus ſtudemus, ut literas, arma, ludos, terram, animum, corpus, & alia id genus. Preterea *uocatur latria, ideſt ſeruitus, quantum ad opera illa pertinet, quæ nos præpotenti* Deo *exhibemus eo animo eoq; propoſito, ut feramus acceptum ei dominium, & adminiſtrationem omnium rerum: quas cum ille mirabili ratione condiderit, etiam conſeruat, regit, & moderatur, eisq; omnino prouidet.* Denique *relligio dicitur, quantum attinet ad certa opera, quibus homo ſe ultro aſtringēdo ad cultum diuinum ſanctiſsime applicatur:* De *his loquitur in hunc modum* Auguſtinus. Latriam *noſtri ubicunque ſanctarum ſcripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſeruitutem, ſed ea quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcipit* Apoſtolus, *ſeruos dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine græce nuncupari ſolet: latine uero ſecundum conſuetudinem, quā locuti ſunt qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut ſemper aut tam frequenter, ut pene ſemper ea dicitur ſeruitus quæ pertinet ad colendum* Deum: Proinde *ſi tantummodo cultus ipſe dicatur, non ſoli* Deo *deberi uidetur. dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica uel recordatione, uel præſentia frequentamus: nec ſolum ea quibus nos relligioſa humilitate ſubijcimus, ſed quædam etiam quæ ſubiecta ſunt nobis, coli perhibentur: nam ex hoc uerbo agricolæ & coloni, & incolæ uocantur, & ipſos* Deos *non ob aliud appellant cœlicolas niſi quod cœlum colant, non utique uenerando, ſed inhabitando tamquam cœli quoſdam colonos: non ſicut appellantur coloni qui conditionem debent genitali ſolo propter agriculturam ſub dominio poſſeſſorum, ſed ſicut ait*

De ciui. dei lib. 10. ca. 1.

Ephe. 6.

quidam

quidam latini eloquij magnus author, Vrbs antiqua fuit Tirij tenuere coloni, ab incolendo enim colonos uocauit, non ab agricultura: hinc & ciuitates a maioribus ciuitatibus, uelut populorum examinibus conditæ, coloniæ nuncupantur. Ac per hoc cultum quidem non deberi nisi Deo propria quadam notione uerbi huius uerißimum est, sed quia & aliarum rerum dicitur cultus, ideo latine uno uerbo significari cultus Deo debitus non potest: nam & ipsa relligio, quamuis distinctius, non quemlibet sed Dei cultum significare uideatur. Vnde isto nomine interpretati sunt nostri eam quæ græce θρησκεία dicitur, tum quia latina loquendi consuetudine, non solum imperitorum, uerum etiam doctißimorum, & cognationibus humanis atque affinitatibus, & quibusque neceßitatibus dicitur exhibenda relligio, non eo uocabulo uitatur ambiguum, cum de cultu deitatis uertitur quæstio, ut fidenter dicere ualeamus relligionem non esse nisi Dei cultum, quoniam uidetur hoc uerbum a significando obseruantia propinquitatis humanæ insolenter auferri. Pietas quoque proprie Dei cultus intelligi solet, quã græci εὐσέβειαν uocant: hæc tamen & erga parentes officiose haberi dicitur: more autem uulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur. Quod ideo arbitror euenisse quia hæc fieri precipue Deus mandat, eaque sibi uel pro sacrificijs, uel præ sacrificijs placere testatur, ex qua loquendi consuetudine factũ est, ut & Deus ipse dicatur pius quem sane græci nullo suo sermonis usu εὐσεβεῖν uocant, quamuis εὐσέβειαν pro misericordia illorum etiam uulgus usurpet, Vnde in quibusdam scripturarum locis, ut distinctio certior appa-

Ver. libr. 1. æneid.

reret, nõ εὐσέβειαν, qđ ex bono cultu, ſed θεοσέβειαν compoſitum reſonat dicere maluerunt. Vtrumlibet autem horum, nos uno uerbo enunciare non poſſumus; quæ itaque λατρεία græce nuncupatur, & latine interpretatur ſeruitus, ſed ea qua colimus Deũ Vel quæ θρησκεία græce, latini autem religio dicitur, ſed ea quæ nobis eſt erga Deũ. Vel quã illi θεοσέβειαν, nos uero non uno uerbo exprimere, ſed Dei cultũ poßumus appellare: hanc enim tantum Deo deberi dicimus, qui uerus eſt Deus, facitq; ſuos cultores Deos. Quicũque igitur ſunt in cœleſtibus habitationibus immortales & beati, ſi nos non amãt, nec beatos eſſe nos uolunt, colendi utique non ſunt: ſi autem amant & beatos uolunt, profecto inde uolunt, unde & ipſi ſunt. an aliunde ipſi beati aliunde nos? hactenus Auguſtinus.

Qualis uirtus Latria ſit.

Latria uel hæret ſtabilis in anima, & ſic habitus quidam eſt fere indelebilis, & mobilis difficulter, uel ipſe actus ipſaque operatio eſt, quæ inclinatione habitus elicitur a nobis. Itaque primo modo latria eſt uirtus, altero aũt modo nõ uirtus, ſed uirtutis actus et opatio eſt: quandoquidem uirtutes nequaquam ſunt actus aut operationes, quales ſunt iuſte agere, fortiter cum hoſtibus pro patria pugnare, frugaliter uiuere, liberaliter donare, ſed habitus quidam ſunt ex actibus frequenter iteratis aggenerati: aut etiam, quemadmodum placet nonnullis, ex uno, totis collectis animi uiribus elicito: quo fit ut duo actuum genera ſint, alij quidẽ ſunt priores habitibus, alij poſteriores: et alij qui producunt habitus, alij qui ab ipſis produ-

cuntur habitibus: & alij perfecti, imperfecti alij: & alij cum uoluptate, sine uoluptate alij. Verum hæc de habitibus & actibus omittenda esse hoc in loco animum meum induxi: redeo igitur ad latriam. Ea si exterior sit, utpote inclinans & dirigens ad exteriorem cultum, minime quidem theologica uirtus est, quippe cum theologicarum uirtutũ operationes internæ sint, nempe fidei, spei, charitatis: Fides quidem est in intellectu, spes, in uolnntate, quantum ad cõmodi pertinet affectionem, charitas in ipsa etiam uoluntate, sed quantum ad iustitiæ affectionem. Itaque moralis uirtus latria est, si exterior sit omnino ad iustitiam pertinens, ordinat enim ac ducit homines, a quibus parta est in alterum aliquem nempe in Deũ, ac speties quidem est relligionis. Sin latria interior sit, haud dubie triplex est, quandoquidem in uero cultu præpotentis Dei triplicem nobis actum sine dubio inesse oportet. quorum unus est plane dictans quo tempore, quibus ritibus, quoue modo, & qua ratione colendus sit Deus ab hominibus in sancta & catholica Ecclesia. Hic uero actus ad prudentiam spectat quandoquidem in ipsum Deum tãquam in obiectum suum minime refertur, sed in cultum diuinum. Alter uero est actus uoluntatis, quo uoluntas recte rationi consentit, ille inquam est, quo uoluntas Deum uult colere, & huic sane actui idem est commune obiectum cum primo actui, ac pertinet quidem hic secundus actus ad religionem, quæ est pars iustitiæ. Postremo tertius est ipsius aut intellectus, aut uoluntatis actus, quo mens fertur in Deum, ipsum credendo esse omnipotentem, sapientem, fontem deniq; aut pelagus immensum atque infinitum omnis boni: deinde sperã-

do & collocando in eum uniuersam fiduciam nostram: præterea ipsum diligendo & uehementer amando ante omnia, etiam plus nobis: Hi uero actus inclinatione fidei, spei, & charitatis eliciuntur, ex quibus aggenerantur habitus quiescentes in facultatibus animæ, quorum sane quilibet uocatur latria. Itaque latria, si habitus primorum actuum sit, ad prudentiam pertinet: sin autem pro secundorum actuum habitu capiatur, ad religionem, quæ est pars iustitiæ, & proculdubio est moralis uirtus: sin denique tertiorum actuum sit habitus, indubie theologica uirtus est, quæ minime distinguitur a fide, spe, & charitate, siue hi quemadmodum paulo ante dixi generentur, siue diuinitus effundantur in animam nostram, quamquam si hoc posteriore modo sumantur hi recitati habitus, cum uerius tum magis proprie theologici sunt, quam si priori modo accipiantur. Verum de his rebus a nobis alio in loco disserendum est commodius.

Latriam duplicem esse.

LAtria duplex est, quemadmodum iam disseruimus: una interior, & exterior altera. Interior latria constat tribus theologicis uirtutibus, nimirum fide, spe, et
Ioan. 4. charitate: harum enim trium uirtutum actibus Deum proprie colimus, ueneramur, & adoramus: de hac adoratione Christus ait, Veri adoratores adorabũt patrem in spiritu, & ueritate. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare, nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Deinde latria exterior, est opus aliquod sensile, quo protestamur & profitemur nos Deũ colere interiore latria: talia opera sunt, canere psalmos et

spirituales laudes, offerre sacrificium, tondere pectus, genua flectere, aperrire caput, eleuare oculos et manus, thura incendere, atque alios ritus obseruare, qui ordinati fuerunt in hunc usum a sancta & catholica Ecclesia. De hac duplici latria inquit Damascenus: Quia ex duplici natura compositi sumus, intelligibili scilicet & sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, spiritualem quæ consistit in interiori mentis deuotione, & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. De Latria quantũ par erat diximus, reliquum est ut dicamus de Dulia, deque hyperdulia. Lib. 4.

Quot modis accipiatur Dulia, & quo pacto nos utamur hoc nomine.

DVlia solet accipi uarijs modis ab authoribus, cum prophanis, tum ecclesiasticis, cum enim duliam interpretemur seruitutem: nunc duliam sumunt pro seruitute, quam debent serui dominis suis, ut Petrus ait, serui subditi estote dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. nunc pro seruitute aut subiectione qua subditi ijs subijciuntur, qui sunt in præcellentia constituti, siue illi sint magistratus ciuiles, ut Paulus inquit, omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus: siue ecclesiastici sint Prælati, ut ait Paulus, obedite præpositis uestris. nunc pro honore de quo Petrus ait, omnes honorate, nunc pro reuerentia qua ueneramur aliquos, aut propter eorum beneuolentiam captandam, aut propter mitigandam iram, aut ostẽdendæ gratia singularis uirtutis & beneuolentiæ, ut Moses egressus in occursum cognati sui Ietro ipsum adorauit, ut Iacob de Mesopotamia regrediens in terram pronus 1.Pet.2. Rom.13. Heb.13. 1.Pet.2. Exo.18.

adorauit septies fratrem suum Esau. denique ut Dauid Io-
Gen. 33. 1. Reg. 20. natham filium Saulis adorauit. Dulia igitur uarijs modis accipitur. Nos uero, ne ipsius nominis æquiuocatione confundamur, in præsentia Duliam sumimus, omnibus alijs significantijs omissis, pro cultu & reuerentia qua cœlites in gratia Dei confirmatos ueneramur, colimus, & honoramus. Sic Abraham adorauit Angelos. sic Iosue cecidit pronus in terram adorans Angelum. Quod si Angelus adorari noluit a Ioanne, id non eò prohibuit, quemadmodum exponit Gregorius, ut ostenderetur eiusmodi prohibitionẽ esse aliqua exparte illicitam, sed magis ut nos admoneremur, de præcellentia quã natura humana cõsecuta est per filium Dei, quatenus eam in suppositi unitate mirabili modo assumpsit ut homo esset Deus. Duliam uero isto modo acceptam, sic definiunt; Dulia est pius honor exhibitus creaturæ cum patrocinij apud Deum imploratione prosequenda gratia.

Gen. 18. Iosue 5. Apo. 22. homil. 5. Buã. fol.

De operibus externis, quibus internus cultus significatur.

EX his quæ disseruimus patefieri existimo, opera illa externa, ut genuflexiones, cantica spiritualia, & reliqua huius generis, quibus interdum cultum protestamur, æquiuoca signa esse, nunc internam quidem latriam, nunc duliam internam significantia, qua de re summo studio, summaque diligentia monere atque instruere oportet fideles & pios homines, ut honor qui soli Deo prudenter est referendus, insipienter non transferatur ad creaturas. Sunt profecto qui opera illa externa internum cultum significantia præter Deum exhibenda nemini esse arbitrẽ-

tur, & omnibus uirium suarum neruis contendant, potissimum exemplo Mardochei, qui Aman hoc modo noluit adorare, sed inquit libenter pro salute Israel etiam uestigia pedum eius deosculari paratus essem, sed timui, ne honorem Hester.13.
Dei mei transferam ad hominem. Verum ijs Liranus quã In hester.
optime respondet, cuius equidem non grauabor sententiam cap.3.
hoc in loco ponere quæ talis est. Quanquam adoratio præcipue atque ante omnia consistit in interiori mentis actu, Deum Optimum Maximum, ut decet reuerentis: actum aliquem tamen exterius habet consequenter eiusmodi ut plane sit nota et signum interioris actus. Verumenimuero inter omnes, cum hebræos, tum latinos doctores facile conuenit, esse aliquem exteriorem cultum soli Deo exhibendum: sed qui particulariter sit cultus ille, magnopere altercantur: quidam enim contendunt & mordicus tenent eum cultum esse unius aut duorum flexionem genuum, ac ij Mardochei exemplo nituntur: fuerunt autem qui explicatius dicerent, unum genu duntaxat coram præcellentibus hominibus flectendum esse, at duo coram summo rerum omnium conditore & conseruatore Deo: sed hi uehementer decipiũ I.reg.25.
tur, quippe cum scripturæ sacræ testimonio Abigail procciderit super faciẽ suam coram Dauide, ac super terrã ado- 4.Reg.1.
rauerit, & Abdia precans Heliam ad ipsum genua curuauerit. hoc autem nec Abdias fecisset, nec Helias permisisset unquam si minime liceret genua coram hominibus flectere: imo & catholica Ecclesia prudens & sciens permittit huiusmodi fieri genuum flexiones tanquam licitas et omnino laudabiles. Quo uero ista ipsa magis illustrentur, & planius intelligantur, scire operæpretium est, aliqua de

honoribus diuinis, qualis est genuum flexio, traducta esse tribus potißimum de causis, ad prestantiores animi & uirtutis creaturas, aut quidem timore, aut adulatione, aut humilitate nimia; non tamen illis tanquam Deo *exhiberi, sed tanquam creaturis talibus, quæ sint propter sanctitatem aut dignitatem, excellentiæ diuinæ participes; Quanquam uero fuit huiusmodi traductio aut mala ratione, aut certe parum bona facta initio, tamen postquam longo usu factũ est, ut uiri excellentes genuum flexione colantur atque honorentur, hic iam licitus est colendi modus, si quidem probe discernatur ab eo quo* Deum *colimus; & falso errore delusi, non existimemus creaturam ullam quamlibet præcellentem, aut* Deum *esse, aut æqualem* Deo. *Cæterum sacrificij oblatio, actus quidam est, & cultus exterior, qui tanquam exterioris latriæ actus debet soli* Deo *exhiberi, nec ulli potest creaturæ offerri sine maxima impietate, qua de re ita loquitur* Augustinus, Multa *denique de cultu diuino usurpata sunt quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera, ita tamen ut quibus ea deferuntur, homines habeantur, qui dicuntur colendi & uenerandi, si autem multum additur &c.* Paulò *post etiam inquit, quis uero sacrificandum censuit; nisi ei quem* Deum *aut sciuit, aut putauit, aut finxit? neque debet permittere quis, ut exemplo* Mardochei *trahatur in alienam & peregrinam opinionem, aliquid enim est licitum, quod ratione tamen alicuius circunstantiæ fit non licitum, sic genuflexio* Mardochei *facienda coram ipso* Aman *simpliciter quidem fuit licita, sed propter* Aman *illicita; quippe cum adorari uellet eo animo ut regnum conseque-*

De ciui. dei lib. 10. ca. 4.

retur, & haberetur tanquã Deus: ut Nabucdonosor Rex Aßiriorum mandauit Holoferni, ut omnes Deos terræ exterminaret, quo ipse nimirum solus Deus uocaretur. Iudit. 3.

De Hyperdulia.

H*Yperdulia est maior & præcellentior Dulia, qua ueneramur, colimus, & honoramus beatam creaturam, cui datum a præpotente Deo est singulare priuilegium, tali adoratione Mariam colimus, utpote quod tali, tantoque sit priuilegio donata, ut Deipara et genitrix, materque Dei sit uerißima, unde merito etiam super choros Angelorum, ut canit Ecclesia, delata & exaltata est. Humana uero natura domini nostri Iesu Christi adoranda est tum latria, tum hyperdulia. quatenus enim coniuncta est cum natura diuina, suprema est adoratione colenda, nempe latria, eo quidem modo non propter se natura colitur humana, sed propter diuinam, qua patri Deo æqualis est Christus, quemadmodum enim caro quæ cum anima coniungitur eadem ueneratione qua & anima ueneratur. ita quoque natura humana eadem ueneranda est ueneratione, qua et diuina, cui sine dubio copulata ẽ, ut in symbolo Athanasij dicitur, Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Vnde probe Augustinus super illud, adorate scabellũ pedum eius. ait, in Christo terra, idest caro, sine impietate adoratur a nobis, quia nemo spiritualiter carnem eius manducat nisi prius adoret. Quod dicimus, naturali potest confirmari exemplo. Timemus eodem timore cum ignem ipsum, tum candens ferrum contrectare. Cum natura igitur humana uerius, præcellentiusque coniuncta sit cum diuina, quam ferrum can-*

dens cum igne, utrique naturæ una eadem adoratio exhibẽda est. Quod si forte fortuna quis dicat, duas illas naturas in Christo minime permisceri, aut confundi, Respondemus, regium quidem uestimentum quo Rex induitur, esse particeps honoris & reuerentiæ, quamuis regiæ minime sit naturæ particeps. Deinde si natura humana Christi absque diuina consideretur, ut si dimitteretur a uerbo aut a persona filij Dei, non adoratur latria, quandoquidem penitus creatura est, sed hyperdulia, quippe cum plena sit gratiæ & ueritatis, cui & datus omnino sit absque mensura spiritus sanctus. Vnde inquit Damascenus: caro ergo Christi secundũ ipsius naturam (si subtilibus cogitationibus quod uidetur, ab eo quod intelligitur, cogitationeque humanitatem a diuinitate præscindas) inadorabilis est, ut creatura, unita autem Deo uerbo propter ipsum & in ipso adoratur, eo namque modo quo Rex & nudus adoratur & indutus, & purpura & nuda purpura, & conculcatur & proijcitur, facta autem Regis amictus honoratur, & glorificatur, & si quis illam proterere præsumpserit, persæpe morte mulctatur: Et quemadmodum lignum nudum non est tactui inaccessibile, aliqui igni coniunctum, & carbo factum, non propter coniunctum ignem accessibile sit, ut non ut ligni natura tactu inaccessibile est, sed ut carbo, idest quando ignitum est lignum. sic & caro secundum sui naturam non est adorabilis, adoratur autem in incarnato Deo uerbo non propter se ipsam, sed propter coniunctũ ipsi secundum hypostasim Deum uerbum: Et non dicimus, quod carnem adoramus nudam, sed carnem Dei hoc est incarnatum Deum. Hæc Damascenus.

Lib. 4. de fide orthodoxa, Cap. 3.

Scripturam sacram ostendere: non tantum Deum sed Angelos etiam, & homines adorari ab hominibus.

QVoniam sunt qui mordicus teneant, solum Deum ita colendum, atque adorandum esse, ut nulli exhibenda sit creaturæ ullo pacto adoratio, ac propterea non esse uarias illas adorationes fateantur et prædicent, de quibus nos antea disseruimus. age breuiter ostendamus, non solum Deum coli atque adorari, uerum etiam Angelos & homines. Abraham quidem Angelos adorauit, & Iosue cecidit pronus in terram adorans Angelum. De Iacob legitur iuxta 72, interpretes adorauit in summitate uirgæ suæ. & Isaac benedicens Iacob inquit, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus, esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Sic & Iacob benedicens Iudam, Iuda inquit, te laudabunt fratres tui. manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Abigail uxor Nabal procidit coram Dauid super faciem suam & adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius, sed & mißis a Dauide seruis, qui mortuo eius marito eam illi uxorem peterent rursus prona in terram adorauit. Sic Miphibosetb ad Dauidem proficiscens corruit in faciem suam et adorauit. et Iacob septies adorauit fratrē suum Esau. quod ipsius quoq; filij et, uxores fecerūt. Et in Paralipomenon libro dicitur Benedixit omnis Ecclesia domino Deo patrū suorum, et inclinauerunt se, et adorauerunt Deum, deinde Regem et Bethsabeæ adorauit Regē quod eo minime fecit, ut illi adularetur, nam & de Propheta Nathan dicitur cū introisset Nathan Probeta ante

Gen. 18. Iosu. 1. Gen. 47. In. 7. fine. do Gen. 27. Gen. 49. 1. Reg. 25. 2. Reg. 9. Gen. 33. 1. Par. 29. 3. Reg. 1.

conſpectum regis, & adoraſſet eum pronus in terrã &c. Quis audeat uero Natham incuſare adulationis? Itaque iam eſſe manifeſtum exiſtimo, non ſolum Deum coli atque adorari, uerum etiam Angelos & homines; ac propterea neceſſarium eſſe, ut uaria cultuum & adorationum genera explicemus, & doceamus quo diſerte intelligant pij, quæ ſit adoratio illa quæ Deo exhibetur, & quæ alijs.

Partium adorationis collatio.

POſtremo ut multo exactius partes adorationis appræhendantur, multoq; intelligantur facilius & planius, age ipſarum efficiamus breuiter collationem. In primis quidem Latria, Dulia, & hyperdulia, ſubijciunt in eo quem colimus, duo, bonitatem ſane ac beneficentiam, hoc autem differunt, quod ea ipſa duo latria ſupponit infinita eſſe, quippe quæ in Deo ſint, imo & Deus ipſe, qua de cauſa & Deo ſoli exhibenda latria eſt, ſed dulia & hyperdulia ſubijciunt bonitatem, beneficentiamque finitam, ſic tamen, ut requirat maiorem hyperdulia quam Dulia. Et bonitas beneficentiaque illa ſubſtantia eſt, quam præſupponit latria, ſed ea omnino eſt accidens, quæ a Dulia & hyperdulia exigitur, quo fit, ut in Deum nullo modo quadrent, uerum in beatos homines, & Angelos duntaxat. Deinde latria conſtat fide, ſpe, & charitate, uirtutibus quidem theologicis, quibus ferimur in Deum ſolum, non item dulia & hyperdulia, nec enim hæ duæ adorationes in Deum tanquã in obiectum ſuum tendunt, quemadmodum theologicæ illæ uirtutes. Præterea, qui aliquem ueneratur aut latria, aut dulia, aut hyperdulia, ſuam plane oſtendit & reuera confitetur imperfectionem, atque imbecillitatem, ac proinde ab

eo, quem colit, auxilium implorat, ſed omnino uaria eſt diuerſaque poſtulandi ratio; quandoquidem latria tantum exhibet amoris & ſeruitutis, quantum eſt in humanis uiribus, ac propterea Deum colere, atque amare debemus tota anima, toto corde, tota mente, totis denique uiribus. Dulia porro non quantam poteſt, ſed magnam quidem ſeruitutem exhibet, longe aũt maiorem hyperdulia. Deinde illa poſcit a præpotente Deo latria, quorum egemus, tanquam a primo gratiarum domino & donatore quam liberaliſsimo: uerum hyperdulia petit a Chriſto quidem præſidium tanquam a primo noſtro aduocato: commendationem uero, excuſationem & fauorem a Deipara Maria, tãquam a principe, & præcipua inter ſanctos patrona & aduocata noſtra. Denique poſtulat a reliquis cœlitibus dulia gratiã tã quam a procuratoribus noſtris, procurant illi quidem nobis gratiam, & bona omnia, ſunt etiam aduocati magni quidem non tamen æque præſtantes ac Maria ipſa.

Argumentum Laurentij Vallæ quo probare nititur nullam eſſe differentiam inter Latriam & Duliam.

LAurentius Valla in ſuis annotationibus quas in nouũ teſtamentum ædidit, conatur omni labore, ſtudio, & diligentia oſtendere uana illa omnia eſſe atque abſurda, quæ nos iuxta grauiſsimam catholicorum patrum ſententiam hactenus de latria & dulia exeruimus. Nomine, inquit ille, quod eſt latria utuntur latini, uolentes hunc actũ ſoli Deo deberi: Is & ſi frequenter Deo exhibetur, non tamen ſemper: nam quantum ego ſentio, magis ad homines pertinebat, ideoque principes græcæ linguæ, quorum au-

thoritate nitimur in uerborũ significationibus, ita usurpant ut apud Xenophontem libro tertio in Cyripedia ἐγὼ μὲν ἔφη, ὦ κῦρε, κἂν τῆς ψυχῆς πριαίμην ὥστε μήποτε λατρεύσαι ταύτην. hoc autem est equidem Cyre, ego uel anima redimerem nequando ista seruiret. Hæc uiri sunt uerba. Tum uxor eadem loquitur alio uerbo, ut appareat inter ipsa uerba latriam & duliam nihil interesse. ὡς τῆς αὐτοῦ ψυχῆς ἀντπρίαιτο ὥστε μὴ μὲ δουλεύειν. Et certe cum priores fuerint authores gentiles quam fideles siue græci siue latini nimirum multo plus obtinent authoritatis, quippe cum eos omnis posteritas tam fidelium quam infidelium habeat authores, & eatenus recte loquatur, quatenus ab illorum usu non discrepat, nam consulto quidem & de industria uelle ab illis dissentire, nisi uehemens causa coegerit, insania est: inscienter uero hæc facere, inscitia: Quanquam sint, qui negent theologiam inseruire præceptis artis grammaticæ. at ego dico, illam debere seruare etiam cuiuslibet linguæ usum, qua loquitur, nedum literatæ. Nam quid stultius quam linguam qua uteris uelle corrumpere, & committere ne ab iis, apud quos loqueris, intelligaris? nemo enim intelligit eum, qui proprietatem linguæ non seruat quam nemo unquam fuit, qui non seruaret uolens & prudens, sed per imprudentiam labens. Sed ut ad latriam redeam, ne solum uidear exempla è gentilibus attulisse, afferam ex Ecclesiasticis quoque, in Leuitico, omne opus seruile non facietis in eis, λατρευτόν. & iterum, de semine tuo non dabis seruire principi, λατρεύειν, et in Iob, mendica, λάτρις. Proinde mihi faciendum puto, ut cum hæc dictio ua-

rie transferatur, ubicunq; reperero, nō referri ad Deū lectorem eius admoneam.

Inter latriam & duliam intereſſe, ac Vallæ argumentum diluitur

LAurentius Valla multos hæreticißimos quidem errores, ut mordax & impius erat, ſparſit in populis, & reliquit poſteritati etiam legendos, ut de ſummi Pōtificis authoritate, de libero arbitrio, de rerum contingentia, deque neceßitate, ac alijs rebus quamplurimis, ita quoque uehementer circa latriam & duliam errauit. nec argumentum quo nititur, ullius momenti ac roboris eſt. In quo tametſi dicat multa repræhenſione digna, nos tamen ſoluemus duntaxat argumētum, plane oſtendentes, id nihil prorſus facere aduerſus ea quæ docent catholici de latria & dulia. Itaque grauißimi fere omnes latinæ linguæ authores hauddubie aßeuerant non nulla uocabula fuiſſe aliquādo in honore, quæ poſtea reiecit uſus, & alia quæ prorſus inaudita omnibus ſæculis fuerāt, ſuſcepta magno applauſu eſſe, et multa quæ olim ceciderāt. uſu releuata eſſe et renouata. Poſtremo quædā quæ prioribus ætatibus multa habuerāt ſignificata, uel quorū ſignificatū multis atribuebatur, fuiſſe ad unū certū ſignificatum doctißimorū uirorū uſu reſtricta. Tale uocabulū eſt latria, quod ſane, cū antea ſignificaret actū qui nō ſolū Deo uerū etiā hominibus iure exhibetur, poſtea contractū eſt, ad eū ſolū actū ſignificādū, qui ſoli Deo exhibēdus eſt, quod facere ſapiētißimis et orthodoxis patribus uiſū eſt, ut in ſatis ſuperq; neceſſario adorationis negocio explicando haberēt certū nomen quo diuinum cultū exprimerent, idem eadē quoq; ratione præ-

ſtiterunt de dulia. quod uocabulum ad cultum Angelorum atque hominum ſignificandum contraxerunt: quæ diximus allatis in medium Horatij, & Quintiliani teſtimonijs confirmemus, itaque Horatius in arte poetica, & ſi parce & appoſite nouis & antiquis uocabulis utendum ſit, omnium tamen rerum uiciſsitudine admonet quandam etiam eſſe uocabulorum uicisſitudinem, ait enim.

In uerbis etiam tenuis cautuſque ſerendis.
Dixeris egregie, notum ſi callida uerbum
Reddiderit iunctura nouum, ſi forte neceſſe eſt
Indicijs monſtrare recentis abdita rerum.
Fingere cincturis non exaudita cethegis
Continget, dabiturq́; licentia ſumpta pudenter
Et noua, fictaq́; nuper habebunt uerba fidem, ſi
Græco fonte cadant parce detorta, quid autem
Cecilio, Plautoq́; dabit Romanus, ademptum
Vergilio Varioq́;? ego, cur acquirere pauca
Si poſſum, inuideor? cum lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerint? licuit, ſemperq́; licebit,
Signatum præſente nota producere nomen.
Vt ſyluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita uerborum uetus interit ætas.
Et Iuuenum ritu florent modo nata uigentq́;
Debemur morti nos, noſtraq́;, ſiue receptus
Terra Neptunus claſſes aquilonibus arcet,
Regis opus, ſterilisue diu palus, aptaq́; remis.
Vicinas urbes alit, & graue ſentit aratrum,
Seu curſum mutauit iniquum frugibus amnis

Doctus

Doctus iter melius, mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos & gratia uiuax.
Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentq́;
Quæ nunc sunt in honore uocabula, si uolet usus,
Quem penes arbitrium est & uis & norma loquendi.

Præterea Quintilianus in institutione oratoria inquit, At in tractu & declinatione talia sunt, qualia apud Ciceronem, beatitas, & beatitudo, quæ dura quidem sentit esse, uerum tamen usu putat posse molliri. nec a uerbis modo, sed a nominibus quoque deriuata sunt quædam, ut a Cicerone subuculatum, & ab Asinio fimbriatum, et fibulatum: multa ex græco formata noua, ac plurima a Sergio, Flauioq́;, quorũ quædã admodũ dura uidentur, ut ens, et essentia, quæ cur tantopere aspernemur, nihil uideo, nisi quod iniqui iudices aduersus nos sumus, ideoq́; paupertate sermonis laboramus: quædam tamen perdurant. Nam et quæ uetera nunc sunt fuerunt olim noua, & quædam in usu perquam recentia, ut Messala primus reatum, munerarium Augustus primus dixerunt. reatum nemo ante Messalam munerarium nemo ante Augustum dixerat. Piraticã quoque, & musicam, & fabricam dici adhuc dubitabant mei præceptores, fauorem, & urbanum Cicero noua credit, nam & in epistola ad Brutum, eum, inquit, amorem, & eum (ut hoc uerbo utar) fauorem in consilium aduocabo, & ad Appium Pulchrum, te hominem non solum sapientem, uerum etiam (ut nunc locuntur) urbanum. Idem putat a Terentio primum dictum esse, obsequium. Cecilius ad Cisennam, albenti cœlo, ceruicem Hortensius primus dixisse, nam ueteres pluraliter appellabant. audẽdum itaq;.

neq; enim accedo Celſo, qui ab oratore uerba fingi uetat, nã cum ſint eorum alia (ut dicit Cicero) natiua, ideſt quæ ſignificata ſunt primo ſenſu, alia reperta quæ ex his facta ſunt, ut iam nobis ponere aliqua, quæ illi rudes homines primiq; fecerunt, fas non erit? at deriuare, flectere coniungere, quod natis poſtea conceſſum eſt, quando deſiit licere? & ſi quid periculos ius finxiſſe uidebimur quibuſdam remedijs præmuniendum eſt, ut ita dicam, ſi licet dicere, quodam modo, permitte mihi ſic, quod idem etiam in ijs quæ licentius translata erunt, proderit, quæ non tuto dici poſſunt in quo non falli iudicium noſtrum ſolicitudine ipſa manifeſtum erit, qua de re græcũ erit illud elegantiſsimum, quo præcipitur ita προεκπλήσσειν τὴν ὑπερβολήν. translata probari in contextu ſermonis non poſſunt. Hactenus Quintilianus.

Liceat ne res colere inanimes, quæ tamen aliquo modo referuntur ad ſanctos, & quot modis referantur.

HActenus de cultu ſiue adoratione, deque ſpetiebus eius cumulate diſſerui, iã reliquum eſt, ut diligenter etiam per tractemus obſcuram & difficilem quæſtionem illam, an probe & conuenienter homines colant, res quæ ad ſanctos aliqua ratione referantur, etiam ſi expertes animæ ſint. Res igitur inanimes duobus modis referuntur ad cœlites, aut quidem repræſentatione, aut peculiari quadam coniunctione.

Quot modis ſanctos aliqua repræſentent.

TRibus aũt modis repræſentatio ipſa intelligitur fieri, Primo quatenus id quod repræſentat imita-

tur eos qui repræsentantur in lineamentis, effigiationibus & protractionibus mēbrorū, ut imagines, & statuæ. Deinde quatenus cruriū, & brachiorū extensio ponitur quodam modo ante oculos, ut cruces, aut sculptæ aut pictæ, aut confectæ alio quouis modo, ex quauis materia, ab artifice quolibet, offerunt quodā pacto aspicientiū oculis dominum nostrū Iesum Christū, qui traditus est pp delicta nostra, et resurexit pp iustificationē nostrā, ut Paulus ait, qui et pertulit, peccata nostra sup lignū in corpore suo, quēadmodū Petrus inquit. Postremo quatenus iuxta diuinū beneplaci tū aliqua uenturū Christū tanq̄ suauißimi typi, et dulcißimæ figuræ & umbræ amenißimæ ante ipsius aduentum monstrabant, & fideles in optimo studio religionis. atq; in stabili & firmißima diuinarū promißionū expectatione, qualis erat serpens æneus erectus in deserto ac solitudine illa uasta, qua Israelitæ quadraginta annis diuinam omnipotentiā, sapientiā & bonitatē erga se mirabiliter experti sunt, imo & uiderunt quasiq; contrectauerunt manibus suis. de quo serpente Christus ad Nicodemum ita concionatur apud Ioannem, sicut Moses exaltauit serpentē in deserto, ita oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.

Rom. 4. 1. Pet. 2.

Ca. 3.

Quę fuerunt olim figurę uenturi Christi minime adoranda esse.

R*Es quæ tertio modo Christum ante ipsius aduentum repræsentabant, haudquaquam colebantur, & ne nunc quidem ullæ res si modo aliquæ uspiam reperiantur huiusmodi, colendæ sunt: proprie quidem & re ipsa non erant figuræ, sed mysticæ quædam imagines dunta-*

xat: quod certe cum sanius Ezechias Rex pio et fideli ani-
4. Reg. 18. cap. mo suo reputaret, & religiosissime consideraret, æneum illum serpentem iussu Dei a Mose in deserto erectum penitus fregit & contriuit omnino, quo reuocaret homines ab impietate, idololatria, & uana superstitione ad ueram et sanctam religionem.

Res, quæ imitatione sanctos repræsentāt colendas esse, & quomodo intelligere hunc cultum oporteat.

DEinde res primo atque altero modo sanctos repræsentantes, omnino colendæ sunt, & eadem quidem spetie adorationis, qua nimirum qui repræsentantur cœlites, beatamque & sempiternam uitā agentes colimus quotquot sumus catholici, sic tamen ut actus adorationis non in ipsas feratur imagines, aut statuas, aut cruces, uerū proprie ad sanctos ipsos quippe qui obiecta sint uera & propria cultus eiusmodi, cum autem sanctos hic nomino haudquaquā excludo a numero eorum dominū nostrum Ie-
Lib. sen. 4. sum Christum utpote coripheum & principem & caput omnium sanctorum. Optime ait Damascenus, honor qui exhibetur imagini, refertur ad illum cuius est imago. & sexta Synodus, ut in libro de consecratione habetur, dixit,
Dis. 3. cap. venerabiles uenerabiles imagines Christi non Deos appellant, neque seruiunt eis ut Dijs, neque spem salutis ponunt in eis, neque ab eis expectant futurum iudicium, sed ad memoriam, & recordationem primitiuorum uenerantur eas, & adorant,
De consec. dis. 3. C. perlatum. sed non seruiunt eis cultu diuino, nec alicui creaturæ. Deinde Gregorius acerbe repræhendens Seruium Episcopum Maßiliensem, quod imagines cōfregisset, inquit, Aliud est

enim picturam adorare, & aliud per picturæ hystoriam quid sit adorandum addiscere: Nam quod legentibus scriptura, hoc & idiotis præstat pictura cernentibus. quia in ipsa ignorantes uident, quid sequi debeant & ipsis qui literas nesciunt, pro lectione, pictura est. Hac etiam de causa idem Gregorius ad Secundinum misit imagines Christi, & gloriosæ matris Dei, semperq; uirginis Mariæ ac Petri & Pauli Apostolorum, dicens, imagines quas tibi dirigendas per Dulcidium Diaconum rogasti, misimus, unde ualde nobis tua postulatio placuit. quia illum toto corde diligis cuius imaginem præ oculis habere desideras. Deinde aliquanto inferius inquit, scio quidem quod imaginem saluatoris non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem in eius amore recalescas, & nos quidem non quasi diuinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum aut passum aut in throno sedentem recordamur, & dum nobis ipsa Pictura quasi scriptura ad memoriam filium reducit, animum nostrũ aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. Et si genuflexi homines coram aliqua imagine, aut triumphali signo sanctæ crucis precantur, non lignum hoc siue lapidem adorant figuratum, sed summum Deum colunt, & quem sensibus conspicere non ualent, imaginem ex instituto illum referentem uenerantur, & adorant, non quidem in illa sistentes, sed adorationem ad repræsentatum transferentes. Hactenus ex Grægorio. Præterea in Oecumenica Synodo, quæ septima dicitur, quæque per Irenem matrem Imperatoris Constantini sexti ex Asianis & Græcis Episcopis conuocata & celebrata fuit apud Nicæam ante

septingentos annos, dogma et decretũ de imaginibus explicatũ fuit a patribus illis orthodoxis, qui cõgregati erant, his duobus uersiculis, a nescio quo uersis è greco in latinũ.

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa.
Hanc uideas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Et hi duo quidem uersiculi proprie intelligendi sunt de imaginibus Christi qui sic homo est, ut etiam sit Deus, patri & spiritui sancto consubstantialis, aliter enim Deus referri aut repræsentari minime potest, quemadmodum in Deuteronomio scribitur, At rogo illud ipsum aliquanto copiosius illustremus, & exprimamus.

Cap. 4. Quid sit causæ, cur Deus ante aduentum Christi non figurabilis esset, post uero aduentum eiusdem sit figurabilis.

CVm filius Dei nostram penitus infirmam, & omni ex parte debilem humanitatem nondum assumpsisset, diuina lege cautum fuit, ne quis ullam aut faceret aut haberet imaginem referentem Deum, propterea nondũ eo figurabilem, quod eo tempore omnino esset inuisibilis, ita quidem spiritus erat Deus, ut nondum esset homo: Sapientissimus quidem hebræorum Moses inquit, non uidistis aliquam similitudinẽ, aut imaginem masculi uel fœminæ, similitudinẽ omniũ iumentorũ, quæ sunt super terram uel auiũ sub cœlo uolantium, atque reptilium quæ mouentur in terra, siue piscium qui sub terra morantur in aquis ne forte eleuatis oculis ad cœlũ uideas Solẽ, et Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit dominus Deus tuus in ministerium cunctis gẽtibus, quæ sub cœlo sunt. Cæterũ Deus iam figurabilis est,

Deut. 4.

postea quã ita factus homo est, quatenus humanã uere assumpsit naturã cũ diuina in persona uerbi coniunctã mirabiliter, ut familiariter cõuersari uoluerit cũ hominibus, et eũ uiderint Apostoli, et manibus suis contrectauerint, post insignibus tropheis quã ornatißimã resurrectionem, nedũ priusquã suffixus in crucẽ moreretur, factus pro nobis coram Deo propitiatorium, reconciliatorium, & satisfactorium sacrificium. Vnde qui uulgo circunferuntur memoria digni sunt hi uersiculi: Ioan.1. 1. Ioan.1.

Effigiem Christi qui transis pronus adora,
Non tamen effigiem, sed quod designat adora
Esse Deum ratione caret cui contulit esse
  Materiale lapis, effigiale manus,
Nec Deus est nec homo præsens quam cernis imago
Sed Deus est & homo, quem sacra figurat imago.

Vetustißimum esse vsum imaginum in Sancta & Catholica Ecclesia.

VSum imaginum & simulacrorum fuisse in Ecclesia ab Apostolorum temporibus facile est uidere apud Eusebium Cæsariensem, atq; in tripartita hystoria. Imo Athanasius inquit, Nicodemũ illũ qui ad Iesum nocte uenit, quẽadmodũ narrat Ioãnes, proprijs manibus imaginẽ Christi cõposuisse, ac eũ ipsum morientẽ Gamalieli dedisse illã imaginẽ, Gamalielẽ uero qui doctoris gentiũ Pauli διδάσκαλος fuit, cũ diẽ cognosceret extremum sibi adesse, illam eandem reliquisse Iacobo, deinde Iacobum Simoni & Zacheo, quæ quidem imago per succeßiones temporum fuit Hierosolymis. Porrò inde traslata in Siriã tandem in ciuitatem Berythum in finibus Tyri & Sydo- Lib.6.histo Eccl.14. lib.6.c.41. Cap.3.

nis sitã, translata, cunq; a Iudæis cõtumelijs affecta, in eiusque latus fixa lãcea eẽt, ex ea nõ sine magno stupore oĩum sanguinis & aquæ riuuli promanarẽt, itaq; nemo ambigere debet usum imaginũ antiquißimũ in Ecclesia Dei esse.

Quibus de causis in Ecclesia Dei situsus imaginũ.

TRibus autem potißimum de causis introductæ fuerunt imagines. Primo quia uulgares, idiotæ, ac rudes homines, qui literas plane ignorant, quasi legunt uidentq; in picturis perinde atque in libris Christianæ religionis mysteria, & Christi & sanctorum omnium gesta, & egregia facinora. Hoc ipsum dicitur in libro de cõsecratione, quemadmodum antea citauimus: hoc idem quoque monstrauimus Gregorium scribere ad Serenum Episcopum Maßilensem. & Adrianus Papa in epistola ad Constantinum Imperatorem, & Irenem matrem idem confirmat: & Basilius pulcherrime & disertißime inquit, quin etiam bellorum trophea, & uictorias, & hystorici scriptores, & pictores demonstrant, illi quidem oratione rem exornantes, hi uero in talibus depingentes, multos ad uirtutem & uirilitatem excitauerunt, siquidem quæ hystoria oratione exprimit, hæc tacens pictura per imitationem ostendit. Idem igitur tum usus, tum utilitas est scripturæ & picturæ, nam quæ leguntur ubi ad aures uenerint, ad animum deinde transmittimus, et quæ oculis uidemus in picturis, ea quoque mente complectimur, atque ita per duo ista inuicem consequentia (lectionem dico, & picturam) unam cognitionem acquirimus, qua ad recordationem peruenitur. Sed & peculiare semper fuit Deo, ut non solum per scripturas, sed etiam per imagines

Dist. 31. cap. perlatum. si no. 7. act. 2.

Sermo. 1. quadragin. ta. mar.

hominibus uoluntatem suam manifestaret, quod multæ Prophetarum, & patrum ueteris testamenti, & quædam etiam Apostolorum aliorumq; fidelium in nouo testamento uisiones apertißime demonstrant: Et quid aliud sunt signa & portenta quæ olim in cœlo & in terra apparuerunt, & hodie etiam apparent sæpenumero, & in posterum quoties diuinæ sapientiæ uidebitur & placuerit apparebunt, nisi diuinæ uoluntatis quædam imagines? Deinde introductæ sunt imagines propterea quod humanus affectus, qui tardus & plumbeus est in rebus diuinis & spiritualibus, quandoquidem corpus quod corrumpitur aggrauat animam, cum per imagines, quid pro nobis fecerit Christus, quidq; propter Christum alij sancti omnes præstiterint in oculos nostros incurrit, tum & commouetur ad synpathiam, & ad bene beateq; uiuendum, ut uerba quidem apta & idonea ipsa in oratione audientes, ita uultus & gestus in imagine contuentes graphice expressos ad misericordiam, ad lachrymas, ad gaudiū, ad aliosq; affectus commouemur. Qua profecto in re pictores æque ualent, atque oratores & Poetæ, nam & pictura ipsa tacens ac muta est Poesis quidem, ait Gregorius: & picturæ sane miram emphasim, plurima & egregia quidem exempla ob oculos passim in templis & uarijs locis alijs contuentibus & probe speculantibus ponunt, quorū unum dignum perpetua memoria de sanctæ Euphemiæ imagine affertur & describitur elegantißime a beato Asterio Episcopo, ut uidere est in septima Synodo. Idem plane ostendit Gregorius Nissemus Abrahæ filium sacrificantis memorabili exemplo, in eadem Synodo, & Vergilius

inducit Aeneam sperantem salutem ex pictura, & melius
Actio.4. Lib.1.xn. consulentem afflictis rebus, inquit enim.
Constitit, & lachrymans, quis iam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus, sunt hic etiam sua præmia laudi.
Sunt lachrymæ rerum & mentem mortalia tangunt.
Solue metus, feret hæc aliquam tibi fama salutem.
Sic ait, atque animum pictura pascit inani,
Multa gemens, largoque humectat flumine uultum
Namque uidebat uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graij, premeret troiana iuuentus
Hac Phriges, instaret curru cristatus Achilles
Nec procul hinc Rhesi niueis tentoria uelis
Agnoscit lachrymans, primo quæ prodita somno
Thidides multa uastabat cede cruentus,
Ardentesque auertit equos in castra priusquam
Pabula gustassent Troiæ, Xantumque bibissent, &c.

Ouidius quoque miram esse imaginum emphasim, easque uehementer mouere affectum nostrum insinuat, cum Laodameiam scribentem ad Protesilaum facit hoc modo.

Dum tamen arma geris diuerso miles in orbe
Quæ referat uultus est mihi cerà tuos,
Illi blanditias, illi tibi debita uerba
Dicimus, amplexus accipit illa meos.
Crede mihi plus est, quam quod uideatur imago,
Adde sonum ceræ Protesilaus erit.
Hanc specto, teneoque sinu pro coniuge uero,
Et tanquam poßit uerba referre queror.

Postremo introductæ sunt eo imagines, q̄d nobis cū il-

læ occurrũt, in memoriã quæ alioqui ẽ labilis atque infirma, ilico redeũt beneficia et merita Christi, et sanctorum omnium uirtutes, quas oporteat nos imitari, et cõplecti, ut si tales fuerimus quales fuerũt illi, eo sublimitatis proueha mur auxilio et gratia Dei per Christũ, ut cũ Christo, & cũ illis perpetuo æuo fruamur, et in æternũ patris Dei pos sideamus optabilißimã hæreditatẽ. Debẽt profecto imagi nũ adoratores ita affecti et animati esse, ut ea quæ per ima gines repræsentãtur, nõ contẽplentur modo tanquã inanẽ quandã picturã, uerũ etiã opere imitando præstent accura tißime, et quo fieri potest exactius. Est enim adoratio imaginũ satis superq; inutilis, et uana, si quidẽ uirtutũ imitatio eorũ quos repræsentat, nõ comitetur adorationẽ illã. Occurrat nobis in memoriã quã acerbe punitus eò sit Ozam, quod arcam domini attigerit indigne: et Epiphanius in septima Synodo inquit, curæ nobis est, uirtutes bonorũ uirorũ eligere, et operũ illorũ meminisse, et politiã illorũ imitari. Ipsis autẽ tẽpla sacrificare, aut imaginẽ illorũ in tabulis circunferre, cõtemnẽtes interim illorũ uirtutes haud quaquã laudabile est, nemo enim laudauerit uirũ quẽ uiderit uirtutes sctõrũ auersantẽ, et quotidie illorũ imagines circũferẽtẽ aut tẽpla illis ædificãtẽ aut uasa cõparãtẽ illis sui aũt ipsius tẽplũ diuinis uirtutibus nõ ornãtẽ, hæc Epi. 2. Reg. 6. Acti. 6.

A Conciliis condemnatos & punitos esse imaginum contemptores.

IAm puto conspicuũ esse, iure optimo Cõcilia in aspernatores imaginũ durius animaduertisse. sub Gregorio qdẽ. 2. cõuocatũ et cõgregatũ est Romanũ Cõciliũ, in quo mille, ppemodũ Episcopi fuerũt, aduersus Leonẽ tertiũ

Imperatorem, qui priuatus Imperio & communione est, propterea quod statuas et imagines sanctorum fregerat, & aboleuerat, quemadmodum narrat Platina. Et Nicænũ Concilium secundum, per Irenem uiduam conuocatum & congregatum est, in quo trecenti & quinquaginta præsto fuerunt Episcopi, qui magna & diligenti consideratione inter se facta ædiderunt hoc ipsum decretum Si quis dixerit imagines delendas, anathema sit. Adrianus etiam primus conuocauit & congregauit Franconiam Concilium a quo Feliciana hæresis de tollendis imaginibus condemnata est. Huc usque de ijs quæ sanctos imitatione quadam repræsentant egimus, restat iã ut de ijs etiam diligenter agamus & ad unguem, quæ sanctos ratione peculiaris coniunctionis repræsentant.

Quot modis res cõiũctas cũ sctis fuisse ĩtelligãus.

RES quantum ad peculiarem cum diuis coniunctionem spectat duobus modis referuntur, aut sane quatenus fuerunt eorum partes ut cadauera, membra, ossa, & alia quæ nomine reliquiarum intelliguntur, aut quatenus aliquo modo sanctos aliquando tetigerunt, ut uestes, & arma quibus martyrio coronati sunt, quæ sunt tryumphalia quædã trophea, & insignia partæ uictoriæ. Porro ut crux, Lancea, flagella, claui, & alia quibus afflictus, & cruciatus, & occisus est pro salute hominium Christus.

Multa beneficia consecutos esse homines contactu rerum, quæ fuerunt cum cœlitibus coniuncta quandoque.

EX utrarumque rerum contactu, plurima Deus pijs hominibus contulit beneficia, ut qui mortuus iam

erat in uitā a præpotēte ipso Deo reuocatus est, cū ossa cōtigißet Helisæi Prophæte, & cum è Pauli corpore sudaria, & semicinctia deferrentur super languidos, & uarijs laborantes infirmitatibus ac morbis, continuo pristinam illi recuperabant sanitatem, & malis, nequamue spiritibus multi liberabantur. Porro cum beatæ Luciæ mater sepulchrum diuæ Agathæ contigisset, a profluuio sanguinis curata est: Infinita sunt huius generis exempla, quæ recensere nihil interest. 4. Reg. 13. acto, 19.

Quo sint cultu res adorandæ, quæ sanctos contigerunt.

HAE res eodem sunt cultu prorsus adorandæ, quo beatos ipsos adoramus & colimus, ad quos quidem res huiusmodi referuntur, ut ea tamen adoratio, isque cultus ad res tales minime terminetur, sed quemadmodum antea disputauimus, ad sanctos & in eis tanquam in ueris & legitimis eius adorationis aut cultus obiectis, omnino sistat et requiescat, quibus cū aliquādo fuerunt coniunctæ.

Pastores debere cautos & diligentes esse in explicando cultu Dei & Sanctorum.

QVoniam uero externa opera minime habemus plane distincta, quibus internam aut Latriam, aut duliam, aut hyperduliam distincte ualeamus protestari, idcirco eisdem externis operibus crebro utimur, cum tamen uarias adorationum species animo protestemur, ut flectimus genua patrem Deum colentes, & coram domino nostro Iesu Christo, qui uerus Deus & uerus homo est in Eucharistia, atque idem facimus coram imagine aut statua Christi, & coram picta, & sculpta, & quouis alio modo

facta ab artificibus cruce, & coram sanguine Christi, qui seruatur, in aliquibus locis, quod etiam sine dubio faceremus coram præputio Christi, si quidē certo aliquo in loco seruaretur, hæ profecto reliquiæ sunt memorabiles & magna reuerentia dignæ (nempe sanguis ille, & præputium Christi) eaque hyperdulia non tamen latria, quandoquidē separatæ sunt a diuinitate, nam quod inquit Damascenus, quòd uerbum semel assumpserit, nunquam dimisisse, exponunt grauissimi theologi de principibus partibus Christi, quales certe non sunt reliquiæ illæ sanguis & præputium. Verum hoc in aliud tempus, in alterūque locum prorogato nunc id prosequamur, quod explicandum suscepimus. Denique genuaflectimus coram beatorum statuis, imaginibus, uestibus, & quibuslibet reliquijs, cum tamen diuersi actus adorationis, & cultus omnino sint, qui ad Christum & ad beatos, atque ad imagines & reliquias eorum terminantur. Qua in re pastores Ecclesiæ, & prædicatores, cum sermonem ad populum habent, omni studio, & diligentia debent simplices monere, atque instituere, idque præstare debent creberrime; hoc enim in negocio adorationis, quam facillime imponunt simplicibus hæretici, & doctores impij, ac in plebecula dolis & fraudibus capta boant & uoci ferantur aduersus sanctam Dei Ecclesiam.

Quare imagines, & reliquias sanctorum osculemur.

Qvemadmodum Iacob accipiens a filijs suis uestem filij sui Ioseph sanguine conspersam cum lachrymis eam osculatus est, non ipsam quidem uestem Gen.37. diligendo imprimis, & contuendo, siue habendo in precio

& honore. atqui per eam existimabat omnino se osculari Ioseph, illamq; tenebat manibus perinde atque filium suũ, sic etiam christiani & fideles homines, reliquias, & cruces & imagines, & statuas Christi, aut Apostoli, aut martyris, aut sancti cuiuslibet, manibus tenentes & osculantes, animo ipsum uidentur Iesum Christum, aut Apostolum, aut martyrem, aut sanctum alium complecti, osculari, & amorem erga illum, obedientiam, honoremque testari, Sic et Iudæi olim uirgam Mosi, tabulas a Deo fabricatas, Heb.9. rubum in combustum, arcam, urnam, manna continentem, propitiatorium, uelum & similia uenerati sunt: librum Deut.31. quoque legis, in quo non ipsas membranas sed uerba Dei 2.Paral.34 quæ in ipsis continentur, adorant. Et hodie consuetudo etiã est Ecclesiæ, ut librum Euangeliorum sacerdotes in sacrificio deosculentur, & fidelibus, qui præsto sunt, deosculandũ porrigant, quo ritu, non membranas, non aurum, non imagines, sed ipsum Iesum Christum, et illius uerba colimus et ueneramur, regulariter enim harũ omniũ rerũ ueneratio, ut supra disseruimus, refertur in prothotypũ: An putãdum est Laodameiã requieuisse in cerea illa imagine, quæ Protesilaũ repræsentabat, ac nõ potius animũ suum per eam imaginem retulisse in amatum protesilaum? cũ illa inquit.

Dum tamen arma geris diuerso miles in orbe
Quæ referat uultus est mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita uerba
Dicimus, amplexus accipit illa meos.

Vigilantĳ argumentum aduersus cęlitum reliquias, & Hieronymi solutio, & contra Vigilantium inuectiua.

Libet hic recitare memorabilia & grauißima Hieronymi uerba, quibus memorat, quo pacto hæreticißimus Vigilantius inueheretur contra ſanctorum & reliquiarum uenerationem, quibus & Vigilantij impietatibus reſpondet, quid, inquit, neceſſe eſt, te tanto honore, nō ſolum honorare, ſed etiam adorare illud neſcio quid, quod in modico uaſculo trāsferendo colis? quid puluerem linteamine circundatum adorando oſcularis? & in conſequentibus prope ritum gentilium uidemus ſub pretextu relligionis introductum in eccleſijs: Sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & ubicunque puluiſculum, neſcio quid in modico uaſculo prætioſo lintheamine circundatum oſculantes adorant. Hæc Vigilantius, cui reſpondet Hieronymus in hūc modum. Dolet, inquit, martyrum reliquias præcioſo operiri uelamine, & non uel pannis uel cilitio colligari, uel proijci in ſterquilinium, ut ſolus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur, ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum baſilicas ingredimur: ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim? apud quas Demones rugiunt, & habitatores Vigilantij illorum ſe ſentire præſentiam confitentur. Sacrilegus dicendus eſt & nunc Auguſtus Archadius, qui oſſa beati Samuelis longo poſt tempore tranſtulit in Thraciam? omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui iudicandi ſunt, qui rem uilißimam & cineres diſſolutos in ſerico et uaſe aureo portauerunt? Idē quoque Hieronymus alio in loco, rurſus os fetidum, inquit aperire nititur Vigilantius, & nos qui reliquias martyrū ſuſpicimus, appellat cinerarios, & idololatras, qui mortuorum

Hieō. par. 1. ep. 10. cōtra Vigil.

In epi. 2. ad Rip.

tuorum

tuorum omnium ossa ueneramur. O infelicem hominem, et
omni lachrymarum fonte plangendum, qui mortuorum cor
pora pro immundis habet: honoramus seruos ut honor ser
uorum redundet ad dominum, qui ait, qui uos suscipit me Mat. 10.
suscipit. Ergo Petri & Pauli immundæ sunt reliquiæ? Er
go Mosis corpusculum immũdum erit, quod iuxta hæbrai
cam ueritatem ab ipso sepultum est domino. Et quotiescun
que Apostolorum, & prophetarum, & omnium martyrũ
basilicas ingredimur, toties idolorum templa ueneramur?
accensiq; ad tumulos eorum cærei idololatriæ insignia
sunt? Plus aliquid dicam quod redundet in authoris caput,
& insanum cerebrum uel sanet aliquando, uel deleat, ne tan
tis sacrilegijs simulacrum animæ subuertatur: ergo et do
mini corpus in sepulchro positum immundum fuit? & An
geli qui candidis uestibus utebantur mortuo cadaueri, at-
que polluto, præbentes excubias? Atque idem paulò post in
quit, si non sunt honorandæ reliquiæ martyrum, quomodo
legimus, preciosa in conspectu domini mors sanctorum
eius? si ossa mortuorum polluũt contingentes, quomodo He
liseus mortuus mortuum suscitauit & dedit uitam corpo-
ri? ergo omnia castra Israelitici exercitus, & populi Dei
fuerunt immunda? quia Ioseph, & Patriarcharum corpo-
ra portabant in solitudine? Ioseph quoque sceleratus fuit,
qui tanta ambitione Iacob in Hebron ossa portauit ut im-
mundum patrem auo & atauo sociaret? & quid passi sunt
Apostoli ut immundum Stephani corpus tanta funeris am
bitione præcederent, ut facerent ei plãctum magnũ, ut eo-
rum luctus in nostrum gaudium uerteretur? Hæc Hiero-
nymus.

Quid dicant de ligno dominicę crucis Damascenus & Augustinus, deque alijs quæ coniuncta fuerunt aliquando cum Christo, & de reliquis crucibus.

QVomagis magisq; illustrentur & confirmentur quæ de ijs hactenus disputata sunt a nobis, quas referri coniunctione quadam exeruimus, age quid loquantur Damascenus & Augustinus de cruce illa cui affixus est dominus noster Iesus Christus, ea ratione factus maledictum ut nos maledictione liberaremur, quidq; de alijs rebus, quæ coniunctæ aliquando fuerunt cum Christo, quid postremo de reliquis crucibus dicant, & præsertim Damascenus, diligenter animaduertamus. Itaque Damascenus ait, ipsum nimirum preciosum & per quam uere uenerandum, in quo semet ipsum in hostiā pro nobis Christus obtulit, ut sanctificatum tactu sancti corporis & sanguinis decenter adorandum, clauiq;, & lancea, & indumenta, & sacra ipsius tabernacula, quæ sunt præsepe, spelunca golgota salutaris, uiuificum sepulchrum, Sion Ecclesiarum propugnaculum, & similia, ut Dauid inquit, introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius. Preterea idem ait Damascenus, adoramus etiam figuram tanquam Christi signum, dixit enim discipulis suis, tunc apparebit signum filij hominis in cœlo, crucem dicens. Ac paucis interpositis subiungit, adorandum est igitur signum crucis, ubi enim fuerit signum eius illic & ipse erit. materia autem ex qua figura crucis exprimitur, siue sit aurum, siue sint lapides preciosi, aut alia quæuis materia post figurationem si contingat dissolui, non est ado-

Lib. 4. De fi. orth. cap. 12.

Math. 24.

rada.omnia igitur quæ Deo adiacuerunt adoramus, ipsi reuerentiam, pietatisq; cultum exhibentes. Hactenus Damascenus. Augustinus præterea disertißime inquit. habent siquidem christianorũ arcana illius dominicæ crucis quoddam uenerabile monimentum, quod de crucis ipsius imaginatione crucem cognominant, quod nos etiam omni ueneratione dignißimum fatemur, & ad recordationem crucifixi nostri ueneramur. habet enim in cruce quædam hominis uerbera patientis imago, per quam salutifera nobis Iesu Christi renouetur paßio. Hanc complectere humiliter, uenerare simpliciter. tamen hoc ad memoriam reducas. Li.de visit. infir.3. c.3.

Nec Deus est, nec homo, præsens quam cerno figura.
Sed Deus est, & homo, quem signat sacra figura.
Verus homo, uerusque Deus, tamen unus uterq;
Probra crucis patitur, mortem subit, & sepelitur
Viuit, & is crucis hæc per signa triumphat ab hoste
Id notum uobis crucis huius littera reddit.

Scilicet ipsius nõ sunt crux et crucifixus, hæc Augustinus.

De adoratione iterum crucis dominicæ, Eucharistiæ, et animæ Christi, & corporis.

Colere omnino debemus animam, & corpus domini nostri Iesu Christi, & ipsam Eucharistiam, denique ut iam probauimus, crucem dominicam. Quemadmodum testantur ac docent orthodoxi & grauißimi patres, & catholicæ quidem Ecclesiæ summi doctores. Dauid sane inquit, adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Quem locum exponens elegantißime Hieronymus ait, multæ opiniones de scabello sunt: Sed hoc proprie corpus dixit dominicum, in quo maiestas diuinita-

nitatis tanquam super scabellum stetit. Quod autem adorari debeat, eo ascendente, docuerunt Apostoli, cum adorantes regreßi sunt in Hierusalem. ad crucem dominicam & ad animam sanctam hæc referenda sunt. Hactenus Hieronymus. Porro Augustinus eundem locum psalmi enarrans inquit, exponens mihi scriptura quid sit scabellum pedum
Esa. 66. eius, dicit: Terra aūt scabellum pedum meorum, anceps factus sum. timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram, rursum, timeo non adorare scabellum pedum domini mei, quia Psalmista mihi dicit, adorate scabellum pedum eius, quæro quid sit scabellum pedum eius, & dicit mihi scriptura, terra scabellum pedum meorum. Fluctuãs cõuerto me ad Christũ, quia ipsum quæro hic et inuenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. & quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem ad manducandum ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum domini & non solum non peccemus non adorando. Hæc Augustinus. Cæterum hoc in loco animaduersione dignũ est, accidentia illa panis & uini, quæ sunt proculdubio sacramentum ipsum Eucharistiæ coli atque adorari eo modo a nobis, quo reliqua omnia colimus atque adoramus, quæ coniuncta sunt cum Christo, quandoquidem mirabili quadam coniunctione reuera est Christus sub accidentibus illis, qua de re cumulatius disputauimus libro de sacrificio Missæ, & libro de Sacramento Eucharistiæ. Cæterum

quia ijs reclamant aduersarij nostri quæ de carentibus, anima, ratione, mente, ac sensu aperuimus, faciendum putaui, ut eorum diluamus argumenta, quæ illi præcipua & fortiora in medium proferre solent.

Primum aduersariorum nostrorum argumentum, eiusque solutio.

SI *quemadmodum sapientes omnes philosophi & theologi docent, communisq; sensus naturæ plane ostendit, creatura quælibet uiuens multo dignior est multoq; præcellentior, utpote summæ uitæ propinquior & similior, quam quæuis expers animæ: Quid est in causa cur potius non colamus atque adoremus talpas, noctuas, & formicas, imo etiam pediculos & cimices? quam simulachra, statuas, imagines, aliaque opera & figmenta hominum? Hæc & similia deliramenta, in ignominiam & ludibrium sanctorum, deblacterari cum exaggeratione solent aduersarij nostri in familiaribus colloquijs, & in publicis concionibus, & in libris etiam quos edunt eo studio, ut cultum sanctorum penitus de medio tollant, reddant ipsosq; cœlites omnibus in christianorum populis cõtemptibiles. Quibus ita respondendum est: uiuentia esse quidem beatorum statuis ac imaginibus, & simulachris nobiliora & præstantiora, quantum sane ad rerum ipsarum naturam spectat: longe autem secus est, quantum ad rerum significationem pertinet ac repræsentationem. quod si præterea forte fortuna obijciant: homines ueriores imagines, Christi esse, quam pictas imagines, ac ideo magis adorandos homines, quam inanem picturam, & opera hominum quælibet. Iis dicẽdum est, imaginẽ Christi quæ in nobis ab Opt. Max.*

Deo ineſt haud ſane offerri nobis tanquam in aliud quippiam directiuam, ſed tanquam rem participem rationis dignamq́; honore, quo fit, ut honor qui exhibetur hominibus in aliud quippiam non referatur: honor autem, quem pictæ imagini exhibemus aut ſtatuæ, referatur ad eum quem illa & repræſentat, & nobis quaſi ante oculos ponit, quemadmodum ait Damaſcenus.

Lib. ſen. 4. Secundum aduerſariorum noſtrorũ argumentum.

VAnum olim & inane prorſusq́; nullum imaginũ uſum fuiſſe in primitiua Eccleſia, adeoq́; ipſa ætate Apoſtolorum, facile confirmatur duabus Epiphanij patris ortrodoxi & antiquiſsimi epiſtolis, quarum alterã ad Theodoſium Imperatorem ſcripſit, & ad Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum alteram: ac utranque a beato quidem Hieronymo uerſam in latinum: Porro tanquam uere catholicam ſuſcepit eccleſia & opprobauit, ne de ijs iure poſſet quis dubitare unquam.

Quæ aſcribantur Epiphanio epiſtolę contra imaginum uerum et legitimum uſum commentitias eſſe.

EPiphanium ſummis laudibus tollendum eſſe in cœlum nemo ſanæ mentis eſt, qui audeat ire inficias, quippe cum ille de pijs & ſtudioſis tã bene meritus haud dubie ſit, quam qui maxime: at duas illas epiſtolas quæ citantur ab aduerſarijs noſtris tanquam ſcriptas æditasq́; ab Epiphanio, catholici ſciunt Epiphanio aſcriptas eſſe immerito, ac iniuria, & in fronte quidem titulum prorſus fictitium & ementitum habere. Quod plane ignorantes aliqui turpiſsime ceciderunt in abſurdiſsimos errores. Id

uero confirmatur ſeptimæ Synodi grauißima quidem authoritate, quod nos de duabus contra imagines citatis epiſtolis dicimus. Hæc ſane uerba ſunt memoratu digniſſima patrum ſeptimæ illius Synodi, ne quis forte in re tanti momenti ea deſideret: libri inquit, beati patris noſtri Epiphanij, præcipue is qui dicitur Ancyrotus, & reliqui quoque per uniuerſum terrarum orbem ſunt famigerati, quod ſonus eorum ita ſit per omnes Eccleſias, paucis etiam temporibus ſparſus: at quæ contra ſanctas imagines uerbula ſcripta ſunt, eorum uix tres aut quatuor libelli per omnem Eccleſiam reperiuntur, modo non ſint nuper editi, quod ſi autem eſſent legitimi in catholica Eccleſia, quemadmodũ eſt Ancyrotus beati Epiphanij, profecto per omnes Eccleſias eſſent diſperſi: uerum ut nouitij, & alieni, falſique ab Eccleſia exiſtimati ſunt, nec unquam fuere recepti, quam ob cauſam, neque nunc etiam recipiendi ſunt, quo pax Dei quæ ab initio traditio exiſtit in Eccleſiis conſeruetur. Neque hic linguas ſuas acuant, & exerceant uaniloqui accuſatores recte ſentientium, quaſi illi qui antiquam Eccleſiæ traditionem recipiunt, beato Epiphanio aduerſentur, nequaquam: commentarium enim illum reiicimus, beatum autem patrem catholicæ Eccleſiæ doctorem agnoſcimus: nam & diuini patres qui in quarta uniuerſali Synodo fuerunt congregati, epiſtolam, quæ nomine Ibæ Epiſcopi Edeſſæ ad Marin Perſam circumferebatur, anathemate damnarunt, quaſi Neſtorio conſentientem. Eodem modo qui in ſacra quinta Synodo cõuenerant, ipſum autẽ Ibã nequaquã, non enim demonſtrari poterat, quod eſſet Ibæ, quamobrem in anathematiſmis non ipſum Ibam denouerunt, ſed Ibæ

Act. 6.
Rom. 5.

epistolam. dicebatur enim Ibæ. cum tamen illius haudquaquam esset. Sic igitur illa falsa scripta contra uenerandas imagines, dicuntur quidem a quibusdam Epiphanij, non tamen sunt, ut demonstratum est. Nam & illius discipuli templum in Cypro, quod eiusdem patris nomine appellauerūt ædificarunt, & cum multis alijs picturis, illius quoq; imaginem ibidem collocarunt. Quid si autem is tantopere uenerandarum imaginum inspectionem fuisset execratus, quomodo in tantam audaciam illius discipuli erupissent ut illi imaginem collocarent? Iudicate omnes qui auditis, & uerum a falso discernite, quia editiones istæ non sunt beati istius patris: sed potius Manicheaicæ, quas ueluti amara bile plenas fugiamus. Sed fingamus antedictas episto. fuisse ab Epiphanio scriptas, non tamen probant illius patris tēporibus imaginum usum fuisse nullum, nam in ea quam ad Theodosiū scriptam esse dicunt, circa finem epistolæ, hæc uerba continentur, sæpe cum ministris meis de imaginum ablatione egi: sed ab ijs non receptus sum, neque uel in paucis uocem meam audire sustinuerunt. Hic audimus epistolæ auctorem a ministris suis de ablatione imaginum non fuisse auditum. Sed quæ ablatio esse potuit imaginum, quarum nullus usus fuit? aut quomodo de ablatione imaginum agētem audire non sustinuerunt, qui imaginum usum non habuerunt?

Tertium aduersariorum nostrorum argumentū.

Elius Lampridius in uita Alexandri Sæueri ad hunc modum scribit, Capitolium septimo die, cum in urbe esset, ascendit, templa frequentauit, Christo templum facere uoluit, eumque inter Deos recipere, quod & Adria-

nus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus, sine simulachris iusserat fieri, quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab ijs, qui consulentes sacra, repererant omnes christianos futuros, si id optato euenisset, & omnia templa deserenda. Hæc Lampridius, quibus testatur, eum morem christianis fuisse, ut in domibus suis & templis nulla simulachra, nullasque imagines haberent.

Ex nullis hystorijs colligi, statuas & imagines prohibitas fuisse, aut floccipensas a christianis, diluiturque aduersariorum nostrorum argumentum.

ADuersarij nostri maxime decipiuntur, Nam ætate illa Sæueri Imperatoris, (qui centesimo post natalem diem Christi anno, supra quintum & nonagesimum, Romanum adeptus quidem est Imperium) conspicuum est manifestißimumque, statuarum atque imaginum usum fuisse apud christianos, quippe quas Romani eo tempore idololatræ satis superque habuerunt ludibrio. ut ex Tertuliani Apologetico facile constat, qui profecto eisdem ferme temporibus floruit. Ducentesimo enim & decimo a natiuitate Christi anno fuit. Præterea ne hilum quidem prodest aduersarijs nostris, quod Adrianus & Alexander Sæuerus templa quædam in gratiam christianorum sine statuis, & simulachris, & imaginibus construxerint, nempe ut hæc uia esset illis, commodius ritum christianorum inducendi, quanuis enim more quidem ethnicorum princeps ille Christum dominum & Regem nostrum coluerit, & fa Cap. 16.

ne imaginibus ij principes uoluerunt, propterea quod exploratum habebant, christianos ab idololatria, & cultu simulachrorum atque imaginũ tali, qualis cultus erat ethnicorum, adeoque Romanorum ipsorum uehementer abhorrere, si nimirum in templis fuissent imagines & statuæ, ac illas nequaquam simul cum Romanis uoluissent adorare, omnia illico pænarum genera & suppliciorum miserrime luissent, Itaque principes illi christianorum fautores, eo noluerunt esse in templis imagines, ut omnis tolleretur occasio persecutionis contra christianos, quibus propitij erant magnopere.

Quartum aduersariorum nostrorum argumentũ.

Diuina scriptura locis prope innumeris, homines ab imaginibus & simulachris pariterque ab eorum cultu, grauißimis uerbis & sententijs dehortatur & reuocat, ut cum ait Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo de super, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt inaquis sub terra, neque adorabis ea, & huiusmodi alia per quam multa, quæ recensere in præsenti nihil interest, quandoquidem nemo fere non habet illa in promptu. Exo.20. Deu.4. et.5

Nec imagines, nec earum cultum pugnare cum sacra scriptura, et qua ratione interdum abolitæ sunt imagines, ac earum vsus, & argumentum diluitur aduersariorum nostrorum.

Vbicunq; diuina scripturaimagines, et simulachra pariterq; ipsorũ cultũ, et adorationẽ tãquã rem

impiam execratur, id ea ſane de cauſa facit, ut nos ab idolo latria procul auertat, ad quam ſine dubio propenſa natura noſtra eſt plus ſatis, ut inquam non adoremus imagines requieſcente in eis animo quaſi eſſent illæ quidem ipſa cultus atque adorationis obiecta: uerum ſcriptura ſacra minime uetuit, quo minus adorent imagines chriſtiani, modo is cultus, eaque adoratio terminetur & referatur ad eos qui per imagines huiuſmodi repræſentantur, quemadmodum antea explicauimus, atque iſto pacto illud Elibertini Concilij decretum accipiendum, & exponendum eſt quo
Cap.36. ſtatuitur, picturas in Eccleſia non eſſe debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur. Forte etiam patribus orthodoxis qui Elibertino Concilio intererant uiſum fuit neceſſarium edere tale decretum, quoniam populus eo uenerat ſuperſtitionis, ut picturas tanquam numen aliquod uenerarentur & colerent, quod ſi aliquando, ut eſt humana inſipientia & temeritas, in populis obtingat, ne ſuperſtitio atque idololatria figat altius radices, quam porro difficillimum ſit reuellere, tum poſſunt ac debent catholici paſtores, & proceres Eccleſiæ curare diligenter ut quibus in locis tantum periculum ſit, tantaque abominatio, ad tempus imagines & ſimulachra omnia tollantur de medio, actu interim bene inſtituantur et admoneātur ſimplices & rudiſſimi quique de cultu Dei & ſancto-
Num.21. rum. Ita Ezechias Rex æneum ſerpētem, quem antea Moſes fecerat, & erexerat, mandato præpotentis Dei, confregit, zeloque motus relligionis demolitus eſt. Quod ſane facinus egregium, & perpetua dignum laude minime præſtitit Ezechias, propterea quod malum eſſet æneum ſerpē

tem habere, sed quia uidebat pijßimus uir, æneum illum ser pentē, sic adorari a populo quasi numen et diuinitatis aliquid, in eo ipso hæreret. uidebat inquam diuinum honorē et cultum deferri, maxima quidem cum impietate, ad uilißimam creaturam. thus enim illi antea Israelitæ adoleuerāt. 4.Reg.18.

De adoratione, deque inuocatione sanctorum.

VT probe cultum sanctorum illustremus, & confirmemus, plurimi refert scire, homines christianos degentes in Ecclesia militante, suas orationes ad beatos homines & Angelos effundere laudabiliter, ac cœlites pro nobis Deum aßidue precari, atque apud eum pro nobis intercedere. Itaque mihi faciendum putaui, ut hæc ipsa etiam diligenter explicem, & firmißimis contra aduersarios nostros rationibus probem, quod ut faciam dilucide & perspicue: ante omnia demonstrabo Ecclesiam sanctam & catholicam duo præstare accuratißime in sanctorum commemorationibus & quotidianis orationibus: Primum sane illam orare Deum Optimum Maximum per merita sanctorum: Deinde cœlites pro nobis precari aßidue, atque apud præpotētem Deum intercedere, postremo etiam ostēdemus Ecclesiam Dei, precari sanctos ut pro nobis orent, ac intercedant coram benignißimo & clementißimo Deo.

Nos orare Deum per merita sanctorum.

IN oratiōibus nostris, quas effundimus creberrime ad Deum in sancta & catholica Ecclesia, mentionem facimus de meritis cœlitum: quæ illi profecto, dum uiuerent in corpore mortis huius, operati sunt, et gratia Dei cooperante, mirum in modum cumulauerunt, quod perpetuis tēporibus Ecclesia Dei sanctißime obseruauit, ac Deus qui-

dem Optimus Maximus beneficia semper cõtulit propter merita beatorum pijs hominibus, quod grauißimis diuinæ scripturæ testimonijs facile probari potest. Deus inquit,
Gen.26. ad Isaac: multiplicabo semen tuum sicut stellas, cœli, daboque posteris tuis uniuersis regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quod obedierit Abraham uoci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & cerimonias legesque seruauerit. Noli timere, quia ego tecũ sum, benedicã tibi, et multiplicabo semẽ tuũ pp seruũ meũ Abrahã. Ecclesia inquã in orationibus recolit memoriam sanctorum, ut Deus propter eos digetur piorum hominum preces exaudire. atque id non sine antiquorum exemplis facit, quæ paßim in diuina scriptura obuia sunt diligentibus & studiosis lectoribus. Sic enim pro peccante populo intercedens Moses ait, recordare Abraam Isaac
Exo.32. & Israel seruorum tuorum. deinde scriptura inquit, placatusque est dominus. Sic Azarias in succensa fornace ait,
Dan.3. ne auferas misericordiam tuam a nobis domine Deus noster propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum
3.reg.11. tuum, & Iacob sanctum tuum, dominus quoque ad Salomonem dixit, scindam regnum tuum & dabo illud seruo tuo, ueruntamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum. de manu filij tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum unã dabo filio tuo, propter Da-
4.reg.20. uid seruum meum, & Hierusalem quam elegi. Et Ezechiæ diuinum auxilium postulanti respondit Deus, protegam urbem istam & propter me, & propter Dauid seruum meum. Ex his & huius generis compluribus alijs testimonijs, quæ facile possent colligi, & huc citari & pro-

duci ex diuinis scripturis, habemus exploratißimum, effundi recte orationes per merita sanctorum ad Deum, & Ecclesiam in orationibus suis recte sanctorum facere cōmemorationem. Reliquum est iam ut probemus sanctos orare, atque intercedere, imo & mediatores & aduocatos esse apud Deum pro nobis: id uero faciemus bifariam, Primo quidē sanctarum scripturarū authoritatibus Deinde uetustißimorum & orthodoxorum patrum testimonijs.

Sanctos pro nobis orare ac intercedere sanctarū scripturarum authoritatibus probatur.

SVmmus omnium rerum opifex Deus plane ostensurus Hieremiæ ipsius orationem haudquaquam exaudiendam esse, qua ille quidem pro populo suo precabatur, sic ait: si steterint Moses & Samuel coram me non est anima mea ad populum istum: quasi diceret, si etiam orarent pro populo isto existentes in sinu Abrahæ, atque in gratia mea confirmati, et longe ad omni immortalitate semoti, non exaudirem eos, quanto minus exaudiam te o Hieremia, qui uiuis adhuc mortalis & peccabilis? itaque supponit Deus uerbo illo suo firmißimo & Mosem, & Samuelem, & reliquos cœlites, orare pro agentibus adhuc uitam infortunijs obnoxiam, alioqui uana & inepta esset diuini oraculi ad Hieremiam citata responsio. Deinde Baruch ait Domine Deus audi nunc orationem mortuorū Israel. Zacharias etiam testatur. Angelum orasse pro Hierusalem, & in Machabeis dicitur de Hieremia, qui uita functus erat, apparuit Onias Iudæ Machabeo, dicens, hic est fratrum amator, & populi Israel, hic est qui multum orat pro populo

Hier. 15.
Bar. 3.
Zach. 1.
2. Mach. 15

& pro uniuersa sancta ciuitate Hierusalem, Hieremias Propheta Dei. Exauditam uero esse Hieremiæ orationem, appertissime constat illo eodem in loco, ubi dicitur sic, & extendit Hieremias dexterã, et dedit Iudæ gladiũ dicens, accipe sanctũ gladium aureum munus a Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel. Porro Christus quatenus homo interpellat pro nobis perpetuo, sedens ad dexteram patris Dei, & pro nobis aduocatum agit. Quæ autẽ aduersarij nostri colligunt argumenta & proferre in medium solent, ut facile imponunt promiscuæ multitudini, cõtra sanctorum orationes atque intercessiones pijssimas, eodem quoque modo contra ipsius Christi orationem & intercessionem colligi & proferri haud dubie queunt. Cæterum si ridicula & friuola sunt, contra orationem & intercessionem Christi, quod nemo sic desperatæ audaciæ ac temeritatis est, ut inficietur, eadem proculdubio ratione sunt leuissima & prorsus inania, contra sanctorum orationes & intercessiones. Quæ omnia, cum eorum a nobis argumenta diluentur ostendemus euidentissime.

Rom. 8. 1. Ioan. 2.

Alia ratione sanctos pro nobis orare, atque intercedere, ac mediatores esse, alia Christum.

Hoc in loco præcipue notandum est, alia ratione sanctos pro nobis orare, intercedere, mediatores & aduocatos esse, quam Christum. Vt nos enim, qui sumus ad huc superstites, alij pro alijs oramus, intercedimus, & quasi patrocinamur, nec tamẽ propterea obscuratur Christus, nec illius imminuitur gloria, quandoquidem nos id modo quodam gratuitæ impetrationis efficimus. Quod enim orationibus nostris a præpotente Deo alij pro alijs postulamus,

lamus, id gratia Dei & bonitate impetramus & consequimur. Christus autem orans, pro meritis suis exauditur, quippe cum ille promeruit nobis apud patrem suum Deũ redemptionem & salutem. Beati quoque itidem faciunt pro nobis, neque tamen Christi propterea intercessio atq; oratio ulla ex parte obscuratur. imo ne obscuraretur quidem, si etiam nos aut illi oraremus, intercederemus, patrocinaremur, mediatores, & aduocati essemus, per merita propria: omnium sane hominum merita pendent a merito Christi, per meritum enim Christi nobis datur gratificans gratia, quæ proculdubio est meritorum omnium formalis causa. Loquor autem de meritis, quibus æternam uitam promeremur, non de illis quæ denominantur quidem & sunt merita congrua, de quibus in libro de iustificatione disseruimus.

Sanctos pro nobis orare atque intercedere vetustissimorum & orthodoxorum patrum testimonijs probatur.

Nunc age testimonijs priscorum, & catholicorũ patrum id probemus; quod iam diuinarum scripturarũ grauissimis confirmauimus authoritatibus. Hieronymus ait, si Apostoli & martyres adhuc in corpore cõstituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti: quanto magis post coronas, uictorias, & tryumphos? unus homo Moses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo ueniam, & Stephanus imitator domini sui, & primus martyr in Christo pro persecutoribus ueniam deprecatur; & postquam cum Christo esse cœperint, minus ualebunt? Deinde Augustinus, ad mensam, in- Contra. Vigil. Epi. 10.

quit domini non sic sanctos martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis orent. Et *Chrysostomus, idcirco eos, dicit, inuisamus, & tumulos adornemus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur. Etenim sicut milites uulnera, que in prælijs fuere sibi inflicta, regi monstrantes fidenter locuntur, ita & illi manibus obsecta capita gestantes, & in medium afferentes, quæcunque uoluerint apud regem cœlorum impetrare possunt.*

Tract.84. super.Ioan. in ser.s.Maximi & iuuenti.

Probatur Conciliorum decretis sanctos pro nobis orare atque intercedere.

PRæter euidentißima catholicorum patrum & doctorum testimonia, ordinant quoque & præcipiunt multa Concilia, ut in Ecclesia quotannis, et statutis temporibus litaniæ, hoc est cœlitum rogationes, magna fiant cũ solennitate, quibus rogantur sancti ut Deum pro nobis orent. Aurelianense quidem Concilium ait, rogationes, id est litanias, ante Ascensionem domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum ieiunium in dominicæ paßionis solennitate soluatur, per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur quo magis plebs uniuersa conueniat, quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utãtur. Hæc Aurelianense Concilium. Porro etiam litanias fieri mandat Concilium Gerundense. & Toletanum quintum & Toletanum sextum, & Braccharense alterum. Verum hæ rogationes, quæ a tribus his postremis Concilijs ordinantur & decernuntur, ab illis differunt, quæ Aurelianense Concilium statuit, ac celebrari iubet: illas quidem in Ve

Cap.23. Cap.3. Cap.1. Cap.2. Cap.6.

re nempe ante ascensionem domini celebrare oportet. has uero in mense Decembri. hoc autem sine dubio inter Concilia omnia illa conuenit, quod omnia decernunt ut aliquo certo tempore, solennes celebrentur litaniæ. Cæterum si orandi haudquaquam essent beati Angeli & homines, huiusmodi litaniæ a Concilijs non præciperentur fieri. Si quidem beati nostras orationes minime audiunt, aut si orãtes illi pro nobis non exaudiuntur, frustranea & uana sunt prorsus illa Conciliorum decreta, quæ nobis, ut sanctos oremus, præcipiunt.

Homines, qui sunt in Ecclesia militante precari sanctos, vt Deum pro se orent.

HActenus perspicuum & exploratum habemus orthodoxos, & catholicos, & antiquißimos Ecclesiæ doctores, & Concilia, una cum sanctis scripturis docere inuitis obstinatißimis hæreticis, beatos homines & Angelos pro nobis orare atque intercedere: ostendamus etiã ipsos Ecclesiæ patres & doctores, beatos orauisse, ut pro se Deum rogarent, ac intercederent, quo facile constabit, quemadmodum etiam liquet, ex paulò ante citatis concilijs Ecclesiã Dei orare sanctos, ut pro nobis orent ac intercedant coram benignißimo & clementißimo Deo. quod a nobis tertio loco prestitũ iri antea polliciti sumus. Hoc autẽ satis superq; necessarium est propterea efficere, quod non desunt qui studeant hominibus persuadere, sanctos, etiã si pro nobis orẽt, nõ tamen esse orandos a nobis. Gregorius igitur Naziãzenus ita defunctũ Basiliũ magnũ precatur: tu mihi ĩ tesperãti hãc gratiã rede, tu obiter e cœlo nos respice, et datã mihi renũ debilitatẽ, ac articulorũ dolorẽ, uel In monodi.

iube discedere, uel adiuua, et hortare me, æquo ferre aio, ut hinc demū discedentē me in æterna tabernacula recipias. Deinde Hieronymus Paulam cum iam decessisset in Bethleem hoc modo supplex orauit, uale o Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus iuua. Porro Augustinus mortuum Hieronymum sic orat, quæso tui seruuli quā quam uilissimi, quem dilexisti in mundo nimia charitatis affectione, recorderis, ut tuis interuentionibus a peccatis emender, tua gubernatione recto calle, inoffenso pede procedam, defensionibus tuis assiduis ab inimicis mihi continue insidiantibus protegar, tuoque sancto ductu salutis attingam portum. Idem quoque Augustinus orat sanctos hoc modo: felices sancti per uestram charitatem, qui securi estis de uobis, soliciti estote de nobis, per ipsum uos rogo, qui uos elegit, estote iugiter memores nostri, subuenite nobis miseris, qui adhuc in salo huius uitæ agitamur procellis, data manum & erigite iacentes, intercedite, & orate constanter, et indesinenter pro nobis miseris peccatoribus, ut per uestras orationes sancto consortio uestro coniungamur, quia aliter salui esse non possumus.

In epithaphio Paule. in epi. ad cyrilum epis. Hieroso. de de magnificentiis Hieronymi.

In medil. c. 24.

Sanctorum commemorationem esse admodum utilem nobis.

Annotatione dignum est, memoriam seu commemorationem sanctorum, fidelibus prodesse ac uehementer esse utilem, Primo quidem, ut nos qui fragiles & mortales sumus, eorum meritis, eorumque assiduis intercessionibus & precibus consequamur immortalitatem, & adiuuemur in præsentis uitæ necessitatibus. Deinde ut agamus Deo gratias, quod ostenderit nobis exempla misc

ricordiæ suæ, quod tam familiariter significauerit se uelle hominibus largiri uitam æternam, quod præterea dederit Ecclesiæ patres, doctores, & eiusmodi membra, quæ digna sint corpore Iesu Christi domini & Dei nostri, ac postremo infinita alia dona. Tertio ut fides nostra magis magisque in dies confirmetur, & nos in spem erigamur futuræ gloriæ. Denique, ut eorum fidem ac cæteras uirtutes imitetur unusquisque iuxta uocationem suam. Quanquã uero tot ac tantas nobis affert sanctorum commemoratio utilitates, haudquaquam tamen debemus ita in sanctos curam salutis nostræ conijcere, ut nos pro illa consequenda nihil interim soliciti simus: Cæterũ sentẽtia illa memorabilis atq; aurea Chrysostomi, perpetuo nobis ante oculos uersetur, Deus, inquit ille, salutem nostram non tam alijs rogantibus pro nobis, uult donare, quam nobis, ut hoc ipso quo irã in nos eius placare cupimus, ad studia meliora migremus. hæc dicimus, non ut pro peccatoribus supplicandum esse negemus, sed ne nosmetipsos in ocium ac desidiã resoluamus, & dormientes ipsi, alijs tantummodo nostra curanda mandemus. Hæc Chrysostomus. Super Mat. hom. 5.

Qua ratione quoue pacto sanctos inuocemus.

ID præcipue sciendum ac in memoria semper habendum est, ne sanctorum inuocationem cum inuocatione Dei confundamus, ut immerito aduersarij nostri nobis obijciunt, neue cultum Dei & sanctorum uniuersum perturbemus, nos inuocare sanctorum patrocinium & suffragia orationesq; ad illos frequenter effundere, non tanquam ad bonorum, et gratiarum datores, quandoquidem solus Deus est bonorum & gratiarum dator, ad quem solum orando

Ecclesia dicit,præsta nobis,da nobis,parce nobis,miserere nostri,ac huiusmodi alia. Sed inuocamus & precamur sanctos tanquam patronos & intercessores nostros,quemadmodum aperuimus antea,ad quos piorum Ecclesia concinit,orate pro nobis,intercedite pro nobis. Quod si doctores aliqui reperiãtur interdum postulauisse gratiam a sanctis quasi a datoribus gratiæ, quemadmodum Gregorius

In monodi. Nazianzenus a Basilio magno postulauit,cuiusquidẽ uerba paulo ante recitauimus,intelligendum est,beatos gratiarum quidem esse datores, nõ tanquam dominos, qualis est solus Deus,sed tanquam Dei ministros,œconomos & di

Cap.3. spensatores. Ita Petrus in actis Apostolicis ad uirum qui erat claudus ex utero matris sue inquit,argentum & aurum non est mihi,quod autem habeo hoc tibi do, Ita Ecclesia de Maria matre Christi et uirgine perpetua canit, Maria mater gratiæ,mater misericordiæ tu nos ab hoste protege,& in hora mortis suscipe. Dicitur autẽ mater gratiæ,materq; misericordiæ honoris causa, cum enim præcellentiore cultu adoranda sit,quam reliqui beati,dona etiã Dei peculiariore quadam ratione dispensat,& propterea etiam uocatur regina misericordiæ,uita,dulcedo, spes nostra,& alijs id genus titulis decoratur. Postulamus igitur proprie a Deo gratiam,& misericordiam,& omnia quorum egemus,a cœlitibus autem intercessionem. Dauid sane

ps.120. ne inquit,leuaui oculos meos in montes,unde ueniet auxiliũ mihi,& nequis errore deceptus,falso existimaret,a montibus,hoc est a sanctis auxilium esse,illico subiecit, auxi-

Super psal. lium meum a domino,qui fecit cœlum et terram. Quæ uerba exponens Augustinus ait, noli putare.quia ipsi montes

tibi dabunt auxilium, accipiunt enim quod dent, non de suo dant. Sed huc nos rationē breuiter afferamus quare Deus mirifica dona sua per sanctos eroget ac dispenset.

Quare velit Deus, vt sancti pro nobis orēt utque sint donorum suorū et gratiarū dispensatores.

R*Atio cur placeat Deo, ut sancti orent ac intercedant pro nobis, utque praecellentia dona, & suas praestantes gratias dispensent, praeterquam quod ea est, ut perpetuo maneant in exercitio charitatis occupati pro fratribus suis, quo nullum est melius, nullum beatius, & nullum diuinius: ea est praeterea, non quod minus ab ipso diligamur Deo, quàm a sanctis quādoquidē infinito nos Deus amore diligit, qui etiam tradidit filium suum propter delicta nostra, illumque a mortuis propter nostram excitauit iustificationē, sed quia Deus operatur in suis creaturis omnia per intermedias & posteriores causas. (tametsi proculdubio quiret per se omnia facere ac moderari) quod manifestum quidem est in angelis, in globis coelestibus, in elementis, in mixtis, in plantis, in animalibus. Porro quis nesciat, Deū posse hominū coetus regere sine legibus & magistratu? homines erudire sine doctoribus? electos donare uita aeterna sine morte et resurrectione Christi? peccatores iustificare sine īfusis habitibus? sine sacramētis, sine certis ministris? Ecclesiā deniq; prouincias, regna, et unumquēq; hominē sine Angelis curare et conseruare? sed talis diuina est prouidentia, ita uisum est ei cuncta efficere.*

Quomodo sancti orent.

S*Ancti Angeli, et sancti homines, quorū pauci nempe Christus et mater sua, ut Ecclesia catholica sine dubio*

tenet, organa formãdæ uocis habẽt, reliqui enim exuti suis corporibus in cœlo sunt, olim superinduendi: Sed cum homines constent ex anima & corpore, sintque beatorum animæ in cœlo, denominantur illæ quidem tanquam partes digniores, a nobis sancti homines, dicimus enim sanctus Petrus, & sanctus Paulus, sancta Magdalena, quamquam non desunt, qui mordicus teneant hominem esse non ipsum ex corpore, & anima compositum, sed animam solam quæ utatur corpore tãquam uehiculo quodam. Verum hæc sententia explosa & confutata est iam in scholis a doctissimis probe omnibus theologis. Sancti Angeli & sancti homines inquam pro nobis orãt assidue. non uocibus, non clamoribus, sed pio affectu & desiderio, qui etiam nostras clarißimo uident intuitu preces atque orationes, dum præsentem diuinam essentiam, in qua omnia supereminenter collucent, ipsi contemplantur, atque uti est, uident, ac ea ratione beantur, quippe cum essentialis beatitudo, felicitas, uita æterna, in Dei consistat uisione atque fruitione: Beati uero non omnia indiscriminatim uident, quæ in diuina collucent essentia, uerum duntaxat ea, quæ nimirum Deo placet contuentibus illis repræsentare, non est enim quoddam quasi speculum naturale, aut quod neceßario in se collucentia, cuiquam præter diuinum intellectum, ostendat diuina essentia, sed uoluntarium, liberum & omnino contingens.

Non eodem modo sanctos donorum Dei esse dispensatores, ac propterea diuersa a diuersis cœlitibus petenda esse.

Porro quanquam sunt uarij gradus beatitudinis in diuersis cœlitibus iuxta uaria illorum merita (di-

cit enim Augustinus, quia uita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est, quia uero in ipsa uita distincta fulgebunt lumina meritorum, multæ mansiones sunt, apud patrem, ac per hoc in denario quidem non impari non uiuit alius alio prolixius, in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius) quanquam sunt gradus inquam uarij beatitudinis, tamen uel singulorum, uel omnium, uel aliquorum cœlitum suffragia imploramus, siue illi quidem sint maiores, siue minores in cœlesti regno, sanctorum enim diuersorum intercessione, diuersa dona & diuersa consequimur a Deo beneficia, nam alij crebrius expulerunt Dæmones, ut Cyriacus diaconus: alij sæpius cæcos illuminauerunt, ut Laurentius: alij procellas & tempestates maris sedauerunt frequentius, ut Martinus & Nicolaus: alij cœlo, nubimus, & planetis, imperauerunt, ut Iosue & Helias: alij bestias curauerunt, ut Hieronymus & Blasius: alij feras in domitas ac truces cicurierunt, ut Franciscus: alij suis orationibus impetrauerunt postulantibus a Deo præpotente hominibus, ut carnis incendia uel prorsus extinguerentur, uel certe mitigarentur, ut Agnes, Andreas, Hieronymus, Nicolaus: alij donum obedientiæ, ut Petrus, alij donum illuminationis, ut Paulus, alij charitatis donum, ut Ioannes, alij denique alia dona ijs qui ad eos orationibus assidue cõfugiũt hauddubie impetrauerunt. Imo sic certi sancti certis donis, & beneficijs, & gratijs communicandis & distribuendis ab Optimo Maximo Deo præficiuntur: aliquãdo sanctus unus, eum qui postulabat donum aliquod a se remiserit ad sanctum alium, ut Gregorius narrat de beato Petro, qui

De sancta uirginitate.

3.dial.35. puellam quandam paraliticam, ut sanitatis beneficium con sequeretur, ad Abundium remisit Ecclesiæ sue custodem & præfectum. quanquam uero certis conferendis gratijs certi ab ipso Deo sancti præficiuntur, tamen integrum illi habent in alijs quoque præsidium ferre atque auxiliari: sic legimus quaslibet sine discrimine infirmitates ab Apostolis curatas esse: maiores autem sancti ad minores aliquando remittunt eo, ad se confugientes, ut minorum sanctitas nondũ manifestata euidenter patefiat, aut oblatẽtionem aliam causam.

Certis locis, ac certis hominibus & certis quidem temporibus certos sanctos patrocinari.

VIsum est etiam diuinæ bonitati facere, ut certi sancti certis faueant locis certisque hominibus patrocinentur, ac in eos dona sua cumulate dispergant, si cre
Heb.1. dimus enim hoc de Angelis, quos Paulus uocat spiritus administratorios, ut quoque paßim legimus in scripturis, præsertim in Tobia & Daniele, & Prophetis alijs, cur non idem etiam de sanctis hominibus, quos Deus ad cœtum, & societatem Angelorum euexit, credamus, illi profecto ijs hominibus, ijsque præcipuis in locis auxiliantur & dona ipsius Dei ubertim communicant, in quibus dum uiuerent olim uersati sunt, uel quibus præfuerunt uel in quibus corpora sua, & reliquiæ honorifice conseruantur, uel ubi denique sibi extant Ecclesiæ dedicatæ, sic de beato
2.dial.ult. Benedicto scribit Gregorius, cum stulta mulier quædam, & expers mentis, erraret, fortuitoque ad beati patris specum uenisset, totaque in eo fuisset nocte sana exiuit mane,

fuitque reliquo uitæ suæ tempore sana et mentis & ratio nis compos. Sic beatus Martinus Turonensis undecim mille uirgines Colonienses hostium liberauit insidijs atque obsidione. sic diuina recitat scriptura, cum mortui cuiusdam exangue corpus & inanime in sepulchrum Hælisei proiectum fuisset, continuo reuixisse, sic mater beatæ Luciæ, cũ Agathæ sepulchrum tetigisset, profluuio sanguinis liberata est. Denique testimonio scripturæ sic Hieremias orauit multum pro populo, & sancta ciuitate Hierusalem, in qua olim prophetæ munus obierat. Deinde sancti magis aliquo certo tempore, quam reliquis temporibus, exaudiunt præces nostras, quippe in suis natalibus inque suis solemnitatibus alijs, in promptu est exemplum de Martino atqui dum transferre magno studio sarchophagum eius conarentur nonnulli, continuis tribus diebus & noctibus in uigilijs orationibus & ieiunijs frustra elaborauerunt, in die uero ipsius natiuitatis & Pontificatus cœlesti quadam uirtute, intercessione quidem & cooperatione beati Martini quod antea efficere non potuerant, facile præstiterunt, de omnibus his Augustinus ait, ubiq; Deus ẽ, nullo loco clauditur qui condidit omnia, & eum a ueris adoratoribus in spiritu & ueritate adorari oportet ut in occulto exaudiens in occulto iustificet & coronet. Verum ad illa quæ omnibus nota sunt, quis potest eius perscrutari consilium? quare in alijs locis hæc miracula fiant, & non in alijs? multis enim notissima est sanctitas loci, ubi sancti Felicis Nolensis corpus conditum est, quo uoluit ut pergerent, quia nobis facilius fideliusq; scribi potest quidquid in eorum altero fuerit diuinitus propalatum: nam & nouimus Mediola-

4. reg. 13.

Ad Ecclesiam hipp.

3.dial.35. *puellam quandam paraliticam, ut sanitatis beneficium con sequeretur, ad Abundium remisit Ecclesiæ sue custodem & præfectum. quanquam uero certis conferendis gratijs certi ab ipso Deo sancti præficiuntur, tamen integrum illi habent in alijs quoque præsidium ferre atque auxiliari: sic legimus quaslibet sine discrimine infirmitates ab Apostolis curatas esse: maiores autem sancti ad minores aliquando remittunt eo, ad se confugientes, ut minorum sanctitas nondũ manifestata euidenter patefiat, aut oblatẽ tio-rem aliam causam.*

Certis locis, ac certis hominibus & certis quidem temporibus certos sanctos patrocinari.

V*Isum est etiam diuinæ bonitati facere, ut certi sancti certis faueant locis certisque hominibus patrocinentur, ac in eos dona sua cumulate dispergant; si cre*
Heb.1. *dimus enim hoc de Angelis, quos Paulus uocat spiritus administratorios, ut quoque paßim legimus in scripturis, præsertim in Tobia & Daniele, & Prophetis alijs, cur non idem etiam de sanctis hominibus, quos Deus ad cœtum, & societatem Angelorum euexit, credamus, illi profecto ijs hominibus, ijsque præcipuis in locis auxiliantur & dona ipsius Dei ubertim communicant, in quibus dum uiuerent olim uersati sunt, uel quibus præfuerunt uel in quibus corpora sua, & reliquiæ honorifice conseruantur, uel ubi denique sibi extant Ecclesiæ dedicatæ, sic de beato*
2.dial.ult. *Benedicto scribit Gregorius, cum stulta mulier quædam, & expers mentis, erraret, fortuitoque ad beati patris specum uenisset, totaque in eo fuisset nocte sana exiuit mane,*

fuitque reliquo uitæ suæ tempore sana et mentis & ratio nis compos. Sic beatus Martinus Turonensis undecim mil le uirgines Colonienses hostium liberauit insidijs atque ob sidione. sic diuina recitat scriptura, cum mortui cuiusdam exangue corpus & inanime in sepulchrum Hælisei proie ctum fuisset, continuo reuixisse, sic mater beatæ Luciæ, cũ Agathæ sepulchrum tetigisset, profluuio sanguinis libera ta est. Denique testimonio scripturæ sic Hieremias orauit multum pro populo, & sancta ciuitate Hierusalem, in qua olim prophetæ munus obierat. Deinde sancti magis aliquo certo tempore, quam reliquis temporibus, exaudiunt præ ces nostras, quippe in suis natalibus inque suis solemnitati bus alijs, in promptu est exemplum de Martino atqui dum transferre magno studio sarchophagum eius conarentur nonnulli, continuis tribus diebus & noctibus in uigilijs orationibus & ieiunijs frustra elaborauerunt, in die uero ipsius natiuitatis & Pontificatus cœlesti quadam uirtute, intercessione quidem & cooperatione beati Martini quod antea efficere non potuerant, facile præstiterunt, de omni bus his Augustinus ait, ubiq; Deus ẽ, nullo loco clauditur qui condidit omnia, & eum a ueris adoratoribus in spiritu & ueritate adorari oportet ut in occulto exaudiens in oc culto iustificet & coronet. Verum ad illa quæ omnibus no ta sunt, quis potest eius perscrutari consilium? quare in alijs locis hæc miracula fiant, & non in alijs? multis enim notissima est sanctitas loci, ubi sancti Felicis Nolensis cor pus conditum est, quo uoluit ut pergerent, quia nobis fa cilius fideliusq; scribi potest quidquid in eorum altero fuerit diuinitus propalatum: nam & nouimus Mediola-

4. reg. 13.

Ad Eccle- siam hipp.

ni apud memorias ſanctorum,ubi mirabiliter & terribiliter Dæmones confitentur,furem quendam qui ad eum locum uenerat,ut falſum iurando deciperet, cõpulſum fuiſſe furtum confiteri, & quod abſtulerat reddere, nunquid Aphrica martyribus plena eſt? & tamen nuſquam ſcimus talia fieri: ſicut enim quod Apoſtolus dicit, non omnes ſancti habent curationem, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum,ita nec in omnibus memorijs ſanctorum iſta uoluit fieri ille qui diuidit propria unicuique prout uult. hæc Auguſtinus.

Suffragiorum diuerſitas cœlitibus a Deo communicata,confirmatur.

QVod cœlitibus diuerſis cõmiſerit Deus pro infinita bonitate ſua,ut diuerſa illi beneficia et dona tanquã miniſtri et œconomi ſui diuerſis hõibus in diuerſis locis diſtribuãt,cõfirmari poteſt exẽplo Angelorũ,quorũ diſtincta & uaria quidem officia ſunt, quibus alij præſunt alijs regnis,prouincijs,perſonis, quemadmodum legimus
Daniel. 10. in Daniele,ut nemini dubium ſit eos facilius & crebrius ijs beneficia impetrare,quibus præſunt,quam cæteris. Vnde apertiſſime reuelatum eſt Danieli,Perſarum principem Gabrieli reſtitiſſe uno & uiginti diebus,propterea quod Perſis obfutura eſſet Gabrielica legatio.Gregorius certe Angelum Perſas cuſtodientem,Perſarum principem uocari dicit.quo autem pacto reluctatus fuerit princeps ille Perſarum Gabrieli exponit Lyranus. Deinde cum narret Mattheus,multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexiſſe, & ueniſſe in ciuitatem ſanctam & multis apparuiſſe,conſtat euidentiſſime,Deum poſt domini noſtri, &

Cap. 27.

filij sui resurrectionem, ita mundum hunc regere & gubernare, ut instruat, & doceat, & custodiat homines non iam solum per beatos Angelos, uerũ etiam ministeria sanctorum hominum: haudquaquam enim ij de quibus Mattheus loquitur, sine causa multis apparuerunt, sed ut eos de uero Meßia deq; resurrectione illius ipsos admonerent, atque instruerent: quæ mysteria quidem altißima & saluberrima, si Deus noluisset beatos homines diuinæ ordini gubernationis erga nos coniunctos merito paßionis & resurrectionis Christi manifestare, Angelos profecto in Hierusalem misisset, qui multis apparerent, quiq; instruerent eos ac docerent. Cum igitur Deus tum sanctos Angelos, ut euangeliorum hystoria monstrat, ad mulieres amandauerit, quibus in sepulchro apparuerunt, tum sanctos homines, ut diximus, plane ostendit ministerio Angelorũ, se ministerium sanctorum etiam hominum addidisse.

Qualem oporteat esse cultum sanctorum.

DEinceps accurate nobis aperiendũ est, qualẽ cõueniat et deceat esse cultũ sanctorũ. Id uero annotãdũ est imprimis, nos in cultu quidẽ cœlitum, non tam cœlites uenerari & adorare, quam in cœlitibus Deum, quippe cum gratiam, & præcellentia dona, & opera satis superque eximia pro uiribus & captu nostro laudamus; tum Deum ipsum qui omnia sane operatur in omnibus mirabilem prædicamus in sanctis suis, quandoquidem ut Iacobus ait, omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens a patre luminum. In cultu inquam sanctorum, si eos quidem recte adoremus, efferimus diuinam & summopere laudamus potentiam, sapientiam, & Iac. 1.

bonitatem. Vnde & nimirum triplex ratio est colendorũ cœlitum, iuxta tria illa Dei attributa, ut uocant: Primus in quam modus colendi est, ut uehementi afficiamur gaudio propter munera & dona cœlestis gratiæ, propter beatitudinem & gloriam sanctorum, & gratias Deo immortales agamus, quod talia & tanta dona elargiri hominibus dignetur, uehementer etiam gaudeamus propterea quod proficere nos intelligimus quotidie tum sanctorum orationibus, tum eorundem exemplo & imitatione, atque magis indies gratia Dei & uirtutibus fulti ad ipsorum gloriosum contubernium aspiremus, & omni studio cõtendamus. Hoc uero modo extollimns diuinam bonitatem, clemẽtiam & misericordiam, atqui dona eximia & gratuita Dei cõfitemur & prædicamus, Deinde sanctos colimus, cum pro uirili nostra complectimur, & quo ad eius fieri potest imitamur fidem & doctrinam eorum quam spiritusancto afflati opere ac uerbo magno cum fructu sparserunt in populis, qua in re dininam confitemur sapientiam, cuius quidẽ magisterio, & ductu, & unctione illi diuina mysteria, certißimamq; uiam uitæ monstrauerunt. Denique sanctos ueneramur, dum nos infirmi & miseri ad suffragia & auxilia eorum confugimus, & diuinam ut possumus omnipotentiam laudamus, & re ipsa confitemur, quæ tantam communicauerit hominibus potestatem: Hos tres modos colendorum cœlitum exactißime obseruat Ecclesia sancta Dei, atqui sanctorum uirtutes in eorum solennitatibus commemorat, & laudibus in cœlum extollit mira cum exultatione atque lætitia: tum doctrinas & exempla, quæ homines christiani diligenter imitentur, proponit, denique interces-

siones,& suppetias,& patrocinia sanctorum implorat.

Quo pacto sit ordinandus cultus sanctorum.

N*E stulte oberremus,neue ingrati Deo simus,dum ei studemus grati esse,debemus adorare omnino sanctos,quam rectißimo & ordinatißimo cultu,quod sane quomodo præstari & effici opus sit,exquisitius tractandũ est,iuxta tres illos modos colendorum cœlitum,quos breuiter exposuimus. Quantum igitur ad primum attinet modum,longe propensiores,& multo frequentiores debemus esse ad laudandnm Optimum Maximum Deum, atq; ad agendas gratias ei pro susceptis innumerabilibus propemodũq; infinitis beneficijs,quam cuiuis beatorum opus est maiora laudũ præconia ijs cœlitibus cantare in eorum presertim solennitatibus, qui copiosiora beneficia & cumulatiorem in præsenti uita gratiã, & gloriã felicitatẽq; in altera consecuti a præpotente Deo sunt, quosq; magis Ecclesiæ profecisse atq; utiles fuisse credimus beneficio et munere ipsius Dei,quam cæteris:ac propterea iuxta ritũ sanctæ & catholicæ Ecclesiæ.Marie uirgini ac matri domini Deique nostri debemus omnino solennioribus cerimonijs gratias agere, eamque multo maiore reuerentia uenerari & colere, quam sanctos reliquos,præter Christum filium eius unicum, qui sic homo est creatura, ut uerus etiam Deus sit. Præterea Ioannes Baptista quo maior inter natos, mulierum testimonio Christi nunquam surrexit adorandus est. Deinde primi patres nostri beatißimi Apostoli, quos nimirum sancta scriptura uocat fundamenta Ecclesiæ. Postea Euangelistarum & doctorum qui uberrimos fructus tulerunt & pe-*

pererunt nobis, quos duplici merito colimus offitio, quemadmodum statuit Ecclesia. Reliquos autem minores martyres, cõfessores, uirgines, minori etiam ueneramur cultu, minoriq; adoratione, ac reuerentia. Eo uero hanc uarietatẽ & diuersitatem cultus probißime & rectißime obseruat Ecclesia, quod ut Paulus ait, sicut stella differt a stella in claritate, sic futura est resurrectio mortuorum. Deinde quantum ad alterum adorationis modum pertinet, tametsi uita & doctrina cœlitum omnium talis fuerit, quam debeamus tanquam exemplar uitæ nostræ nobis ante oculos proponere, ut dirigamur, & animemur, et accendamur ad bene beateq; uiuendum, eos tamen imprimis contueri atq; imitari operæpretium est, quorum mores & uirtutes cum nostris uicijs pugnent: aut qui spectent aliquo modo ad statum nostrum, & ad conditionem nostram uiuendi, siue ad nostram uocationem. Ita regulares imitari habent comprimis regulæ suæ institutores, ut Heremitani Augustinum, Prædicatores Dominicum, Minores Franciscum, atque alij alios, Cæterum si quis aliquo impetitur uicio & oppugnatur uehementius, quam ut poßit ei resistere, illius recordetur beati, eumq; humiliter colat qui opposita uirtute simile uicium expugnarit olim & uicerit magna cum gloria & tryumpho, ut qui se infirma titubantem senserit fide, uigilantius exemplum Abrahæ, ac Petri habeat in memoria, teneatq; firmius, ac eos maiore diligentia & affectione ueneretur, quorũ alter, quemadmodum ait Paulus in spem contra spem credidit, ut multarum fieret gentium pater, nec in promisſione Dei hesitauit diffidentia, cum Isaac iuberetur unicum filium sacrificare, in quo iã Deus multiplica-

Lib. 6. cap. gloriosus Deus. de rel et uen. sanctorum.

1. Cor. 15.

Ro. 4. heb. 11.

multiplicationem seminis et posteritatis Abrahamicæ pollicitus fuerat: alter autem cum uariæ diuersæq; opiniones de Christo in populis hæbreorũ spargerētur diuina monitus reuelatione confessus est eum forti constantique animo filium Dei esse. Qui persecutionibus magnis obruitur Dauidem & Stephanum colat, nam ille capitalem inimicum suum quærentem se interficere, cum de eo posset nullo negocio pænas sumere, ne hilum quidem offendit, hic uero dominum pro ijs etiam orauit, a quibus occidebatur. Qui liuida torquetur inuidia, confugiat ad Samuelem & Paulum, primus quidem populum a quo deijciebatur & conculcabatur ita dilexit, ut pro eo intermittere orationem, grauißimum arbitraretur peccatum esse Alter autem pro suis persecutoribus anathema fieri etiam optabat a Christo. Qui carnis petulantia & aculeis, aut inflammatur, aut pungitur, honoret Ioseph, & Ioannem Zebedæi: nimirum ille ab hera sua oppugnatam castitatem non sine periculo uitæ maluit custodire, quam eam perdere cum uoluptate & delitijs: hic uero ut Hieronymus ait, ascriptus nuptijs, lene coniugis respuens pectus, dominum uirgo secutus est. Quem duri ac terribiles rerum euentus, casusq; uarij opprimunt, & aduersus diuinam prouidentiam quasi cogunt impatienter obmurmurare, is Iob & Alexium reuocet illico in memoriam, unus quidem cum prædijs, armẽtis, gregibus, liberis, externis denique bonis omnibus orbaretur, quasiq; malis & calamitatibus omnibus oppressus de improuiso, excruciaretur, nihil stultum contra dominũ locutus est, imo gratias ei semper egit, eumq; laudauit, & benedixit. Alter in copia & ubertate diuitiarum, inq; ipsa

Mat. 16. 1. reg. 24. 1. reg. 12. Rō. 9. Gen. 39. In prolo. super Ioann. Iob.

domo, & familia patris, æquo animo seruorum contumelias, & inediam tulit incognitus. Qui gehennæ metu, ac horrore peccatorum despondet animum, Manassem prius
2. paral. 33. idololatram, & occisorem Prophetarum, porro in captiuitate resipiscentem, ad pœnitentiamq; redeuntem, & Mariã Magdalenam famigeratißimam peccatricem colat, pa
Luc. 7. riterq; imitetur. Qui superbia tumescit ac inflatur, exemplum Mariæ perpetuæ uirginis ob oculos tanquam speculum semper habeat, quæ profecto cum uilißimam, & humillimam reputaret se, fuit mater Dei, & exaltata super choros Angelorum ad cœlestia regna. Quantum postremo ad tertium cultus atque adorationis modum spectat; possumus auxlia, et patrocinia efflagitaturi nunc recurrere ad sanctum unum nunc ad alium quam plurimis de cau-
In tract. de orati. sis & rationibus, qua de re quoniam Gerson probe loquitur minime grauabor eius uerba subijcere: Conuertere, inquit, ad aliquem sanctorum, uel sanctam, quæ Deo proximior est in glorificatione, sicut & meriti maioris fuit, aut ad aliquẽ sanctorũ qui familiari quadam deuotione, cognitus est, ut patronus Ecclesiæ, in qua baptismum suscepisti, uel in qua beneficium uel ordinem sortitus es uel cuius tẽplũ ingressus es, aut cuius nomine insigniris, seu cuius uitam imitari soles, & colere, ex literis tibi cognitam. Inter hos mira fiducia semper adeũdus ẽ Angelus propriæ custodiæ deputatus, & pari ratione sanctus ille, uel sancta, quẽ uel quã sibi quilibet elegit singulariter in patronum: sicut commendabilis multorum mos habet, eligere unum ex Apostolis, quem inter cæteros spetiali uenerationis deuotione amplectuntur, hoc uero ipsum, alio in loco probat, &

uehementer commendat idem Gerson, neque putandum est ab re ac sine causa id fieri, quos enim peculiariter uene ramur cœlites, ij peculiaribus quoque donis & beneficijs nos participes reddunt cumulatißime, & suppetias nobis peculiariter ferunt, quod exemplo matronæ cuiusdam probat Gregorius & confirmat: ea sane cum martyrum Proceßi & Martiniani Ecclesiam pie, religiose, & creberrime inuiseret: die quadam sancti illi martyres, obuiam proficiscentes mulieri dixerunt. Tu nos modó inuisis nos te conquiremus diligenter in extremo iudicij die, ac tibi quidquid uires nostræ ualuerint, ex animo præstabimus. Præclara uero & digna cœlitibus fuit hæc promissio, qua debeamus accendi nos & inflammari ad studium relligionis, adeoque ad sanctorum pijssimum cultum: Rogari enim uolunt sancti (ut ita dixerim) ait Gregorius quærunt, ut quærantur: ac idem subijcit, hos ergo adiutores uestris orationibus quærite, hos protectores uestri reatus inuenite, quia ne peccatores puniri debeant, rogari uult & ipse, qui iudicat.

In tract. de mendi. spiri tuali.

Homil. 32.

Ordinatum sanctorum cultum nobis etiam atque etiam prodesse.

MVltos fructus, multasque utilitates affert nobis ordinatus beatorum cultus, fidem enim confirmat, spem erigit, auget charitatem, affectum iustitiæ inflãmat et accẽdit, bonos afficit gaudio, malos pudefacit, Quippe cum audimus, eos qui constanter fidem tenuerunt, ab ipso Deo ita exaltatos esse, ut facti hæredes Dei sint, & cohæredes Christi, ipsamq; iam poßideant hæreditatẽ, tũ

fides nostra maiores acquirit uires, & omnino robustior fit. Cum uero diligenter nobiscum reputamus, qua uia, quibusue medijs, beati homines, qui mortales aeque, ac nos sumus, erant, magnum sibi praesidium ad beatam uitam comparauerint, coelumq; adepti sint: cum inquam sedulo cogitamus, eos nobis assidue patrocinari, tum spes in nobis erigitur consequendae gloriae ac aeternae uitae: Cum autem sanctos intelligimus exercitio, studio, & inclinatione charitatis tales se praestitisse, ut coelestem haereditatem, ac Deum ipsum facile promeruerint, tum in nobis mirifice succeditur charitas & augetur. Affectus autem iustitiae, uehementer etiam atque etiam inflammatur, cum audimus aut legimus coelitum exempla, ea quidem longe ardentius mouent affectum quam scientia, doctrina, syllogismi, & quaeuis ratiocinationes, quemadmodum probe inquit Gregorius. Deinde bonis affert singulare gaudium, cum illi cōsiderant Deum pro temporalibus & friuolis rebus huius uitae, in coelo aeterna, praecellentia, & nunquam interitura bona copiose reddere. Denique peccatores, cum prae coelitibus, qui tanta solicitudine, tanta cura, & studio ac labore tanto, sibi uiam ad coelum parauerunt, ipsi negligentiam, socordiam, & ignauiam suam prorsus inexcusabilem esse agnoscunt, tum pudefiunt, & confunduntur, eaq; saepenumero illis prodest confusio ad resipiscentiam.

Hom. 13. super ezech. in prolog. dial.

Quam sit perniciosus inordinatus coelitum cultus, & qui sit cultus inordinatus.

QVanto laudabilior, magisq; utilis, & acceptus Deo, ac coelitibus est cultus coelitum recte ordinatus: tanto inordinatus cultus ingratior est Deo ac beatis et

inutilior, & aspernabilior, imo quod turpius ac detestabilius est, uanam superstitionem, atque impiam idololatriam inducit, & fouet. Tum uero *est cultus inordinatus, cum sine ulla recta & legitima causa solennioribus ceremonijs & ritibus cœlitum inferioris ordinis, festos dies celebramus, quam eorum, qui sublimioris ordinis sunt.* Deinde *cũ sancti nimium extolluntur, nempe si quis aut uirtutes, aut dona, sancto alicui ascribat, quæ tamen ille habuit nunquam:* Præterea *cum ficta & somniata miracula sine certa scriptura, & sine testimonio* Ecclesiæ *infallibili, sanctos aliquos edidisse, aut mordicus tenemus, aut prædicamus.* Cum *denique habemus eum pro sancto, & tanquam sanctum reueremur, qui minime sanctus sit, aut qui certe sit ignotus.* Verum *quatuor ista exeramus aliquanto copiosius & uberius.*

Inordinatum cultum esse, magis reuereri minores sanctos quam maiores.

M*Axime inordinatus beatorum cultus est, uehemẽterq́; reprǽhendendus, cum* Ecclesiæ *quæstum pietatem existimantes, propter solas quotidianas distributiones, simplicem aliquem martyrem, aut confessorem, aut uirginem solennioribus ceremonijs ueneramur, quam* Apostolos, *nempe in sonitibus, luminibus, uestibus sacris, cantu, organis, & id genus alijs rebus:* Multo *etiam peius & deterius peccatur cum talium sanctorum dies festi solennius aguntur, quam* Mariæ *beatissimæ uirginis, aut* Christi *seruatoris & domini* Deiq́; *nostri.* Neque *hoc propterea dixerim, quod uerear ne nimium sancti honorentur, satis illi quidem laudari & coli a nobis pro meritis suis, &*

uirtutibus, & gloria non queunt, sed talem ordinem esse in cultu beatorum decet, qualem indicauimus, ut merita sanctorum, & gloria, & gradus etiam probe discernantur, & qualicunque modo cogniti sint ab omnibus in catholica Ecclesia: Quotus enim quisque est, qui non hebes & plūbeus omnino sit in his sacris & cœlestibus rebus, ut congruum est intelligendis? Summis igitur festis & celeberrimis solennitatibus Christum adoramus, ei celebriorem quidem & maiorem cultum oportet exhibere, quo maiorē neq; scimus neq; ualemus tāto domino et Deo nostro impendere. Moderatiore deinde cultu reliqui honorandi sunt, iuxta quidē eorū differentiā & distinctionē: Ii uero supra quā dici poßit, oberrāt, qui sanctos latria colunt, ea nimirū soli Deo, ut initio aperuimus, exhibenda est, siue id præstemus interno actu mentis, siue cerimonijs externis, eā quidē propria et priuata institutione, aut cōsuetudine quadā illaudabili significantibus. Peccant simili modo qui cœlitibus offerūt sacrificia, idololatriā enim turpißime admittunt, quandoquidem solum Deus oblatione sacrificiorum, ut Augustinus cumulate differit, colendus est, quanuis cœlitibus templa & altaria consecremus, eosq; ueneremus in Missarum celebrationibus. Nullus profecto sacerdos, nullus Episcopus, nullus pontifex unquam altari aßistens immaculatæ uirginis & impolutæ Mariæ, aut Petri, aut Pauli, aut cuiusuis alterius, dixit, offerimus tibi Maria, aut tibi Petre aut tibi Paule. Itidem falluntur nonnulli, qui priuatim sibi aliquem sanctum præstituunt, ad quem pro temporali commodo aliquo aßidue confugiant, cuius ceremonijs etiā exquisitißimis diē festū agant, in honorem & laudē cuius

Lib. 10. de ciuit. Dei

peregrinentur, & ieiunent, eos uero nauci pendant, & nũquam aut raro certe honorent, quorum uigilias & solennitates agi præcepit Ecclesia, *pro sempiternis bonis a* Deo *in cœlesti patria consequendis: ii tenere in memoria deberent, ac diligenter considerare, sententiam illam* Bernardi, *ingratum est spirituisancto, quidquid obtuleris omisso eo, quod teneris.* serm. super cant.

Nos aliquando posse minorem sanctam colere solemnioribus cerimoniis, quam maiorem.

D*Isseruimus non licere nobis colere diuos minores cerimoniis magis solemnibus quam maiores idq; sine recta & legitima causa, quod eo quidem adiecimus, quoniam uarii sunt casus in quibus decet sanctos minores uenerari exquisitioribus cerimoniis, si modo illis minime adhibeatur latriæ cultus, ut si patroni* Ecclesiæ *ii fuerint, aut si eorum in* Ecclesia *reliquiæ habeantur, aut si eo in loco passi martyrium sint pro* Christo, *aut si beneficia patriæ illi & piis hominibus contulerint, aut deniq; ob alias huius generis causas rectas & legitimas, quas pastores & præpositi habere in promptu debent.*

Eum cultum sanctorũ inordinatum esse quo, plus quam oporteat, sanctos ueneramur.

S*Vnt qui doceant reprehendendum esse illum diuorũ cultum, quo in laudandis cœlitibus, inque recensendis eorum uirtutibus nominibus utimur superlatiuis, quæ profecto in solum* Deum *quadrant, quippe cum sic nulla reliqua fiant nomina, quibus magis & præcellentius* Dei *possimus laudes, quam beatorum explicare.* Vnde *cum sancta & catholica* Ecclesia *de præpotente* Deo

merito canat, tu ſolus altißimus, haud conuenienter de quo uis beato dicitur, tu ſanctißimus, tu iuſtißimus, tu beatißimus, quantum ad ſermonis proprietatem ſpectat: nam ſuperlatiua huiuſmodi nomina ſoli Deo *proprie, & apposite accommodantur, ſiue exponantur negatiue, ſiue affirmatiue. nam cui poſſumus dicere congrue & recte, niſi* Deo, *tu ſanctus & omnibus ſanctior es? ſic enim affirmatiue ſuperlatiuum ſanctißimus, exponitur, aut quidem, tu ſanctus ac te ſanctior nemo eſt, hæc nimirum eſt ſuperlatiui negatiua expoſitio.* Præterea *quis neſciat, beatitudinem, iuſtitiã, ſanctitatem, deniq; omnes uirtutes, datas eſſe a patre* Deo *ſoli* Christo *(cui datus eſt ſpiritus non ad menſuram) in ſupræmo atque abſolutißimo gradu perfectionis? ut nos de*

Ioan.1.3. *illius fontana plenitudine promeremus, ueluti* Ioannes Baptiſta *concionatur apud* Euangeliſtam Ioannem. Si *uero uſpiam legatur interdum catholicos doctores in commendandis & extollendis cœlitibus nominibus uſos ſuperlatiuis, capiendæ ſunt eiuſmodi locutiones, tãquam impropriæ atque hyperbolicæ, ac nomina illa ſuperlatiua explicanda ſunt per aduerbium ualde, aut, uehementer aut aliud quid tale, ut ſanctißimus ideſt uehementer ſanctus.* Cæterum *eſt quorundam intolerabilis omnino abuſus, qui propter quæſtum certum aliquem ſanctum, non uereantur, omnipotentem & ſeruatorem uocare, eumque talibus titulis ornare, qui ſolius* Dei *ſint patris &* Christi *domini* Deiq; *noſtri.*

Vouendum, & reddenda eſſe vota Deo præpotenti.

N*onnulli etiam peccant magnopere, cum uoueant, reddantque uota ſua cœlitibus, quæ ſoli* Deo *ex-*

hibenda erant, monstrauimus enim in libro de uotis monasticis, uouere & reddere quæ uoueamus, esse quidem actus ad diuinum cultum, siue ad latriam spectantes, & solutionem uotorum ad præcepta primæ tabulæ reducenda esse, ac ideo uota per mortem Christi non abrogata esse, quemadmodum falso arbitrantur aduersarij nostri, quandoquidem præcepta moralia, quæ sunt præcepta decalogi, non desierunt: Creaturæ igitur nulli, ne Mariæ quidem uirgini ac deiparæ, uouendum est: impie nimirum idololatria committeretur. At qui latriæ uotique solus Deus obiectum est, quemadmodum initio aperuimus. Vnde probe inquit Ricardus, ut uerba eius ipsius recitem, uota quæ fiunt sanctis, non plene habent rationem uoti per comparationem ad sanctum, sed ad Deum, qui enim uouet sancto Iacobo eius Ecclesiam uisitare, locutio siue mentalis, siue uocalis, qua dicit se uisitaturum Ecclesiam sancti Iacobi, fit sancto Iacobo, sed obligatio ad implendum quod dicitur, proprie et simpliciter loquẽdo uotũ nõ fit nisi Deo. Hæc Ricardus. In. 4. di. 38. arti. 2. q. 1.

Cultum esse inordinatum, si absque authentico ullo testimonio, cœlites miracula edidisse fateamur & prædicemus.

Diuos male ac perperam colimus & ueneramur, cum ascribimus eis dona, uirtutes, signa, & miracula, quæ aut illi nunquam ediderint, aut quorum nos, certitudinem habeamus nullam, nullumque testimonium, uel scripturarũ, uel Ecclesiæ, uel postremo alicuius, q̃ talis qui dẽ sit, ut indubiam oporteat ei fidem adhibere; Cum præterea laudibus eos in cœlum extollimus, quæ minime ipsis conueniant & congruant: in tales probe quadrat Iobica Iob. 13.

illa ſententia, non indiget Deus (imo ne illius quidem ſan ĉti) mendacijs ueſtris, ut pro eo (aut certe pro illis) dolos loquamini. abhorrent ſatis ſuperq́; cœlites ab ea ficta lau de, quandoquidem firmiſsime adeoq́; immobiliter & per petuo affigentes animum ſuum candidæ atque ſyncerœ om nino ueritati mendacia repellunt: Quod ſi reſpondeant ij laudatores, proculdubio ſe credere, ipſam rem habere ſe hoc modo leues et excordes, et ſtolidi prorſus fuerint, quod præpotenti Deo in ſeruis ſuis minime placet, quandoquidē illos, ut Auguſtinus ait, conuenit eſſe graues, prudentes, pios, & irreprœhenſibiles.

de uita christiana.

Si pro ſancto aliquem colamus, qui ſanctus non ſit, vel qui ſit plane ignotus, eum cultum inordinatum eſſe.

II longe oberrant a uia, qui uenerantur, & adorant, et colunt certum aliquem aut Angelum aut hominē, pro ſancto eum habentes, cum tamen ſit nihil minus, uel cum certe nullam habeant de ſanctitate illius certitudinem, nullumq́; firmum & uerum teſtimonium, ſed apocryphis dun taxat nitantur ſcripturis, aut ab hæreticis ac infidelibus in troductis falſis hyſtorijs, atque ut uocant, legendis, aut de nique priuatis & peruerſis opinionibus, hoc prophano cultu, Diabolus uehementer etiam atque etiam delectatur, & pro uiribus in hoc ſtudium incumbit, ut omnes homines ad talem cultum pelliciat, ſeu certe protrahat ſuis dolis fraudibus, atque impoſturis, ac proinde apparētibus falſiſ que miraculis crebro aſsiſtit impijs & Pſeudoprophetis, ſic in uita beati Martini Seuerus Sulpitius narrat, cultum adoratumque a peregrinantibus latronem quendam fuiſſe

quem diuus Martinus errorem de medio sustulit, ita quoque falluntur qui ad loca certa, quæ nec sint consecrata, nec a summo Pontifice, aut ab Episcopis ullas habeant Indulgentias, ullaque spiritualia dona, confugiunt; huc error ille proxime accedit, si nouos sanctos, aut noue cognitos inuocemus, antiquioribus fastiditis, quasi nequeant ij nos amplius adiuuare, ac effundere ad præpotentem Deum pro nobis orationes, uel quasi iam quiescant, & curam nostri iunioribus diuis reliquerint.

Multos errores alios cõmitti a nobis ĩ cultu sctõrũ.

IN colendis atque adorandis cœlitibus uarijs et diuersis alijs modis, nisi cauti & prudentes simus. fieri potest quam facilime ut erremus, ac turpißime decipiamur, ut si petenda minime postulemus, aut contra si minime flagitanda poscamus, aut si primo roganda rogemus posterius, aut si desideria nostra obsecremus inordinatis modis ex saturari, aut si aliquid posse dari a minoribus sanctis, ita confidamus, ut id arbitremur communicari minime posse a maioribus, imo ne a Deo quidem Optimo Maximo. Longum esset ac ualde laboriosum modos omnes recitare, quibus circa diuorum cultum, errare obtingit, sed pijs & studiosis uiris non admodum est difficile ipsos cognosere, bene, quæ diximus, appræhensis.

De abusibus, qui diebus festis committuntur.

FEstis diebus præcipue in hunc usum ordinatis, ut Christiani homines cultui Dei et sanctorum dẽt maxima diligentia operam, turpißime fere omnes abutuntur, nõ solũ.n. diuinus cultus, & sanctorũ debita commemoratio non agitur, sed etiam magno cum scandalo & dedecore

nominis christiani totis illis diebus,commessationibus, saltationibus,ludis,spectaculis,genio,& omnibus propemodum rebus minime licitis indulgent, laxatis cupiditatum habenis. Fuerunt *hi quidem a uetustioribus patribus emendati olim abusus,quemadmodum eorum canones plane indi*
Cap.11. *cant.* Antisiodorense *Concilium ait,non licet in uigilia* Paschæ *ante horam secundam noctis uigiliam expedire, quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere,nec in natali domini,nec in reliquis solennitatibus.* Deinde Toleta-
Cap.23. *num tertium,irreligiosa inquit,consuetudo est, quam uulgus per sanctorum solennitates agere cōsueuit, populi qui debent diuina officia attendere,solutionibus turpibus inuigilant,cantica non solum mala canentes,sed etiam religiosorum officijs perstrepentes:hoc enim ut ab omni* Hyspania *depellatur,sacerdotum & iudicum curæ a* Concilio *san*
Cap.ul. *cto committitur.* Præterea Cabilonense *inquit,ualde omnibus noscitur esse indecorum quod per dedicationes* Basilicarum,*aut festiuitates martyrum,ad ipsa solennia confluētes,chorus fœmineus turpia quædam,& obscœna cantica decantare uidentur, dum aut orare debeant, aut clericos*
Cap. 27. *psallentes audire.* Qui *quidem abusus a gentilibus introductus fuit,ut* Aphricanum Concilium *testatur: sequitur in* Cabilonensi,*unde conuenit ut sacerdotes loci talia a septis basilicarum,uel porticibus ipsarum,ac etiā ab ipsis atrijs uetare debeant,ac arcere & si uoluntarie noluerint emendari,aut excommunicare debeant, aut disciplinæ aculeum sustinere,deinde celebrati* Carthagine Concilij Aphricani *patres ab* Imperatoribus *eum emendari abusum postulauerunt,qui fuit olim,ut spectacula theatrorum, aliorumq;*

ludorum die dominica exhiberentur, in quem protracti a gentilibus fuerant, si quidem aiunt patres illi, nec non & illud petendum, ut spectacula theatrorum, ceterorumq; ludorum dominicis uel cæteris religionis christianæ diebus celeberrimis amoueantur, maxime quia sancti octauarum die Paschæ, populi ad circum magis quam ad Ecclesiam conueniunt, & debere transferri deuotionis eorum dies, si quando occurerint, nec oportere etiam quemquam christianorum cogi ad hæc spectacula, maxime quia in ijs exercendis, quæ contra præcepta Dei sunt, nulla persecutionis neceßitas a quoquam adhibenda est. sed ut oportet homo in libera uoluntate subsistat, sibi diuinitus concessa, corporatorum enim maxime periculum cõsiderandum est, qui contra præcepta Dei magno errore coguntur ad spectacula conuenire. Porro in omnibus fere populis, & nundinæ fiunt, & iudicia exercentur dedicatis Deo & sanctis diebus etiam solennioribus, pro quo emendando & corrigendo abusu, in usum reuocare opus esset leges cum ciuiles tũ ciuiles tum Ecclesiasticas. Sunt qui existiment numerum esse immoderatum solennium dierum in Ecclesia, eoq; repræhendendum, quod multa ferat incommoda omnibus quidem, sed ijs præsertim, qui sibi uictum & suis quotidiano parant labore Verum hoc referri dignum est ad sacri Cõcilij maturam & exquisitiorem consultationem & deliberationem.

Cap. 28.

Cap. l. 2. ul. de f. l. omnes l. dies c. eo. ti. c. licet. c. conquestus de ferijs. ca. pronun. de cons. dist. 3.

Quomodo illos, qui sint uere beati, cognoscamus.

His quæ de cultu Dei & sanctorum disseruimus hoc unum addendum esse animum meum induxi, nos, qui sint uere beati ac cœlites infallibili sanctæ & ca-

tholicæ Ecclesiæ *testimonio probe cognoscere, non quod pro libito quidem suo* Ecclesia *sanctos facit, sed quod eos beatos & cœlites esse nobis declaret, ac manifestet, cum illi profecto iam sint haud dubie tales, quod sane cum facit* Ecclesia *dicitur sanctos canonizare, quemadmodum* Eccle*sia non eò canonizat librum aliquem, ut sit pars diuinæ scripturæ, sed eò ut cum esset prius authenticus, & diuinus, ac de illo tamen dubitaretur, declaret, iudicet, ac testetur eum esse in canone librorum sanctæ scripturæ ueteris aut noui testamenti, qua de re copiose libro superiore qui de potestate* Ecclesiastica *fuit egimus.* C*æterum ne quilibet arbitratu suo certos haberet sanctos, propterea que in populis* C*hristianorum oriretur circa diuorum cultum error & confusio, statuit* Alexander *tertius, ut nullus tanquam diuus & sanctus coleretur, nisi prius ascriptus esset cathalogo* Sanctorum. H*actenus quantum par erat de cul to* Dei *&* Sanctorum *tractaui: deinceps facturus operæpretium uideor, si potiora, et quæ maioris momenti esse uideantur, aduersariorum nostrorum argumenta in medium attulero, & ea, breuius quam res tanta fieri potest, diluero quæ illi magno quidem studio elaborauerunt contra sanctorum orationes, intercessiones, & adorationem seu cultum.*

In decretalibus. Epist. Tit. de Reliqui. sanct.

Primum aduersariorum nostrorum argumentum, eiusque solutio.

SI *diui pro nobis orant corā* Deo, *hoc fiat necesse est, aut commiseratione, qua nostris malis afficiantur et commoueantur, aut id minus, si nostris malis afficiuntur, beati & felices non sunt, nam hoc felicitatis proprium est, nullo dolore, laborenullo affici, nulla calamitate aut miseria*

tangi, ſi malis noſtris non tanguntur, aut nihil pro nobis orabunt, aut ſi pro nobis orant (ut uos fingitis) Deum nihil mouebunt, ex corde enim non fit, nam cor ſolum reſpicit Deus, quod & uos conceditis, ſoluite hunc nodum. Reſpondeo, non magis hoc argumentum euertit et abolet, ſi modo aliquid concludat, orationes diuorum, quam domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum ſit perpetuo aduocatus noſter iuſtus, 1.Io.2. Ro. 8. ad dexteram patris Dei ſedens, interpellat pro nobis indeſinenter, id autem uerum eſſe, ita facillime oſtendo. Si Chriſtus pro nobis orat coram Deo, hoc fiat neceſſe eſt, aut cõmiſeratione, qua noſtris malis afficiatur, & commoueatur aut id minus. Si noſtris quidem malis afficitur, beatus & felix non eſt, nam hoc felicitatis proprium eſt, nullo dolore, labore nullo affici, nulla calamitate aut miſeria tangi. Si porro malis noſtris non tangitur, aut nihil pro nobis orabit, aut certe ſi pro nobis orat, (quod & uos conceditis) Deum nihil mouet, ex corde enim non fit, nam cor ſolũ reſpicit Deus Soluant aduerſarij noſtri hunc nodum, qui profecto ubi ſolutus fuerit, haud dubie uidebunt uel cæci, quam debile aduerſus nos argumentum collectum fuerit: Sed age nos hunc enodemus nodum minime difficilem. Chriſtus inquam & beati malis noſtris afficiuntur, non affectione quidem commiſerationis, quæ cum dolore, labore, & infelicitate coniuncta ſit, uerum affectione iuſtitiæ, amoris, & charitatis erga nos, afficiuntur, tanguntur, & commouentur, ſed propterea nihil mali ſentiunt, non dolent, non triſtantur, eiuſmodi quidem affectio nullius mali cauſa eſt, ſed diligentiæ cuiuſdam aſſiduæ pro ſuis fratribus adiuuandis.

Alterum aduerſariorum noſtrorum argumentum, eiuſque ſolutio.

BEatitudinem tunc homini aſſeritis contigiſſe, quando fruatur aſpectu Dei, & in uoluntate eius amplius nihil ſit, quod Deo repugnet, exquo nimirum conſequitur, diuos non poſſe orare pro quoquam, niſi pro illo, quem in Deo uident poſſe impetrare, quæ ipſi petunt, nam ſi aliter peterent uoluntati Dei reluctarentur, nempe ſi poſtularent, quæ nollet Deus communicare. Reſpondeo, multis modis poteſt hoc argumentum dilui: ac primo quidem æque poteſt contra aduerſarios reflecti, atque ſuperius etiam argumentum retorſimus, de Chriſto: ille quidem per ſpicuum habebat, uoluntatem patris Dei eſſe, ut pro ſalute hominum in crucem ſuffigeretur & moreretur, attamen hora imminente aſperrimæ atque acerbiſsimæ mortis orabat, ut calice tantæ amaritudinis liberaretur. Præterea quanquam in eſſentia Dei relucent omnia, & uideri queũt omnia ratione quadam ineffabili, ſic Deo ipſo uolente, non tamen cœlites infinitam illam præſentes præſentem, uti eſt, contuẽtes eſſentiam omnes æque omnia uident, ſed alij plura, alij pauciora ſpeculantur & agnoſcunt, iuxta diuinæ quidem uoluntatis beneplacitum, quippe cum eſſentia illa immenſa Dei ſpeculum ſit quoddã referens omnia libere, non ut quidam exiſtimauerunt, naturaliter. Deinde Gregorius inquit, ſublimes ſpiritus gentibus principantes nequaquam pro in iuſte agentibus decertant, ſi eorum facta recte iudicantes examinant, cumq; uniuſcuiuſque gentis uel culpa uel iuſtitia ad ſupernæ curiæ ſolium ducitur eiuſdem gentis præpoſitus uel obtinuiſſe in certamine, uel non obtinuiſſe

[Margin: 17. moral. exponens uerba Dan.]

obtinuisse perhibetur, quorum tamen omnium una victoria est super se opificis uoluntas summa, quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non ualent, nequaquam uolunt unde nec petunt, ex quo & patet quod orationes eorum semper audiuntur. His uerbis docet Gregorius beatos Angelos, & pariter homines, ea duntaxat, uelle, quæ in diuina conspiciunt uoluntate, ac eos nihil petere aliud, nec tamen propterea illorum orationem esse uanam, inutilem, et absque fructu, quandoquidem Augustinus ait, orationes sanctorum prædestinatis prodesse, quod forte præordinatum sit, ut orationibus intercedentium seruentur; ac ita etiã uelit Deus, ut diuorum orationibus illud impleatur, quod eum uelle ipsi cœlites uident. Li. de pre. predes. sanctorum.

Tertium aduersariorum nostrorum argumẽtum, eiusque solutio.

D*icitis o Papistæ quidquid diui sciunt, sciunt & discunt in contemplatione uultus Dei: dicitis quoq; nostras preces diuis suggeri a Deo: ex quo necessario sequitur, Deum nostras preces scire priusquam diui sciant, iam cadit quod quidam uestrum perhibent, quod diui nostras preces Deo offerant, cum ipsi aspectu numinis hoc discant. Respondeo, quomodo sancti audiant uideantque in cœlis orationes nostras, doctissimi & orthodoxi theologi subtilissime disputant, agunt profecto de notione in uerbo, atque ut illi dicunt, in proprio genere: de notione item agũt matutina, meridiana, & uespertina quæ quidem huc repe-* In. 3. li. sen.

tere nihil interest, quantum uero ad huius argumenti solutionem pertinet, dicimus. beatos Angelos & homines præpotenti Deo nostras orationes offerre, non quod eas ille ignoret, neque ut eas audiat, sed ut eas dign tur pro infinita sua misericordia & bonitate lenißimus pater exaudire, quas proculdubio semper audit & cognoscit.

Quartum aduersariorum nostrorum argumentum, eiusq; solutio.

Ioan. 14. *CHristus ait, nemo uenit ad patrem, nisi per me, aut Dei uerbum, aut hominis, cedat necesse est, Dei uerbum immutabile est & æternum: sequitur ergo, uanum esse hominis uerbum, docens mediatores esse, ac pro nobis apud Deum intercedere beatos Angelos & homines. Respondeo, si particula, nisi, excludat omnem alienam pro nobis orationem, omnemq; intercesßionem, præter orationem & intercesßionem Christi, non debent christiani homines alij pro alijs orare, atque intercedere, neque se inuicem adiuuare in orationibus suis ad Deum, quod sane impium est, & pugnat ediametro cum Apostolorum doctrina. Itaque (cum oratio siue intercesßio ex alio habeat quod mereatur, & ex alio quod impetret, quandoquidem meritum in quadam consistit æquatione actus, eiusq; propter quem est, finis, qui & pro tali actu redditur quasi merces, ac orationis impetratio innititur eius liberalitati, qui rogatur, quod ipse rogans non meruit) beatos credimus, etiam si non mereantur quod postulant pro nobis, tamen, illud impetrare:*

ac nos etiam in præsenti uita orantes alij pro alijs a diuina impetramus liberalitate & munificentia, quæ in orationibus nostris efflagitamus, quãuis illa minime ad plenũ promereamur, solus autem Christus abunde meruit, ut nobis pater Deus reconciliaretur, utque ad eum tranquillo animo proficisceremur, atque in eius rediremus beneuolentiam & gratiã, a qua omnes in Adamo peccantes cecideramus, ac isto modo solus Christus mediator est Dei & hominum Mediatorem enim hoc modo esse inter Deum & nos, congruit soli Abrahæ semini per quod Deus salutem nobis promisit.

Quintum aduersariorum nostrorum argumentum, eiusq; solutio.

Diui non possunt ea quæ ad se pertinent impetrare: legitur quidem in Apocalypsi, martyribus petentibus uindictam his qui sunt super terram, dictum fuisse, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec implerentur numerus fratrum suorum: multo ergo minus queunt illa nobis ab æquißimo & iustißimo Deo impetrare, quorum egemus. Respondeo, pro nobis cœlites bifariam precantur, aut quidem expressa, modo sibi conuenienti, oratione, cum ante Deum uota & desideria sua pro nobis effundunt, & benignißimo Deo ex animo promunt, aut porro interpretatiua sane oratione, per sua inquã merita, que nimirũ ipsi dũ in hac uia mortalis uitæ nostræ peregrinarẽtur, multis laboribus et studijs cumulauerũt: illa quidẽ nõ solũ cedunt eis ad gloriã, sed etiã suffragia sunt nobis, & Cap. 6.

quasi orationes quædam aßiduæ: quemadmodum sanguis Christi pro nobis effusus in cruce aßidue petit ueniam pro nobis: Sunt igitur cœlitum orationes utroque modo apud Deum efficaces, pro ijs rebus impetrandis nobis quibus opus habemus, nisi forte nos diuinæ misericordiæ malis nostris obicem posuerimus, quatenus autem precantur illi atque orant pro nobis aliquid postulando, nunquam non exaudiuntur, quandoquidem solum id uolunt, quod placeat Deo, ac ne petunt quidem nisi quod fieri cupiunt et uolunt, impletur autem proculdubio, quod simpliciter uult omniũ rerum opifex & conseruator Deus, nisi de antecedente loquamur uoluntate, qua uult omnes etiam homines saluos fieri, & ad ueritatis agnitionem uenire, & bene beateq; in omnibus uitam suam componere, non enim uolũtas ea semper adimpletur. Mirũ igitur debet uideri nemini, si quod huiusmodi uoluntate cupiunt uoluntque beati, non semper consequantur. Quod porro ex Apocalypsi afferunt aduersarij nostri, catholicæ nihil obest ueritati, illa enim oratio martyrum, est eorum desiderium de habenda stola corporis, & societate omnium seruandorum, & consensus est perpetuus, quo diuinæ iustitiæ malos punienti assentiuntur; Vnde habet glossa, desiderant maius gaudium, & cõsortium sanctorum, & iustitiæ Dei consentiunt.

Super illud usque domine, Ap. 6.

Sextum aduersariorum nostrorum argumentum, eiusque solutio.

Deut. 5.

QVando omnis fiducia humani cordis soli Deo affigi debet (nam hic est, qui punit scelera impiorum,

& misericordiam ac beneficentiam præstat pijs) consequitur primum & præcipuum fidei præceptum huc tendere debet, ut omnē fiduciā in solum Deū ponamus, ut huic uni hæreamus corde, anima, uiribus, & mente, quod si hoc fiat, cadit necessario quidquid fiduciæ in creaturas fuit. Nam fieri nō potest, ut omnis fiducia in Deum collocetur, & simul quis dicat, se creaturis, aut diuis fidere. Sic pueri, cum interrogantur, quem ex familia maxime diligant, respondent, Patrem, mox interrogante matre, an non & me diligis? respondent, etiam. hoc idem singulis in domo respondent, & te quoque diligo: non dißimiliter hodie multi locuntur, dicentes, christianus sum, fide secundus nemini, non ignoro omnem fiduciam collocandam esse in solo et unico Deo, hoc a teneris semper noui, nihilominus & fiduciam in diuos pono. Ecce pueros, qui nesciunt quid loquantur, multa de fide iactantes, nec tamen primum præceptum intelligentes, cum Deus totum cor requirat. Maritus non fert in uxore, ut alieno amore occupetur, ut cor alium amet, sic Deus Zelotes est, non patitur ut cordis fiducia alteri hæreat homo, quem sibi uni despondit: lectus angustior & arctior est, quam ut duos capiat, ut Esaias inquit, pallium ambos non operire potest. Deinde si Deus in infinitum est placabilior, & magis misericors omnibus sanctis, nonne uanum & superfluum est sanctos constituere, ut mediatores inter nos & Deum pro nobis orent ac intercedant? Respondeo, iuxta Dyonisii Areopagitæ sententiam, Deus talem instituit ordinem in rebus, quas condidit, ut infima in Deum reducantur per media: quare cum Cap. 28.

ſancti tuto exiſtentes in patria, quaſique in portu naui-gantes, Deo ſint propinquißimi, ita enim confirmauit illos Deus in gratia, ut nec eam poßint amittere, nec aliquando peccare, diuinæ legis ordo poſtulat, ut nos, qui donec ſumus in corpore huius quotidianæ mortis, a domino peregrinamur inquirentes futuram patriam, eamque ſpe firma expectantes per Ieſum Chriſtum, per ſanctos in eum medios reducamur. id autem contingit dum per eos diuina bonitas effectum ſuum diffundit. Cæterum quia reditus noſter ad Deum proceſſui bonitatum ipſius erga nos debet reſpondere, ſicut per ſanctorum ſuffragia in nos beneficia Dei profluunt, ita quoque oportet nos in Deum reduci, ut per ſanctos denuo iteratoque illius beneficia ſumamus & omnino ſimus eorum participes, ac propterea cœlites pro nobis ad ſummum & præpotentem Deum interceſſores, & quaſi mediatores conſtituimus, dum ab eis petimus ut pro nobis orent. Quemadmodum igitur nihil diuinæ potentiæ, diuinæque ſapientiæ & prudentiæ detrahit, quod per ſecundas medias, & poſteriores cauſas operetur Deus ipſe & gubernet, regatque hunc mundum, quin potius id abſolutißimum ordinem uniuerſi plane oſtendit, & magis magiſque diuinam potentiam & ſapientiam, & prouidentiam illuſtrat, ſimili quoque modo tantum abeſt, ut oratio, interceßioque beatorum pro nobis, diuinam aliqua ex parte miſericordiam obſcuret, ut eam maximopere declaret, ac tantus, quem aperuimus rerum ordo ſeruetur, in quo illa mirum in modum relucet.

Septimum aduersariorum nostrorum argumentum, eiusque solutio.

APud Esaiam dicitur, Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. ac in eum locum Augustinus inquit, mortui nesciunt, imo sancti quid agant uiui. frustra igitur papistæ uociferantur, cum ad cœlites clamant, a quibus nimirum non queunt audiri, & a quibus prorsus ignorantur. Respondeo, tempore Esaiæ nondum erant ulli beati homines, quamlibet iustißimi quidem essent, & ad diuinum conspectum admittebatur nemo. Sed manebant eo in loco, quem Abrahæ sinum uocat dominus & Deus noster Iesus Christus, quem & Limbum patrum catholici doctores appellant. hac de causa patres in eo existentes loco, Iudæos filios suos plane ignorabant, nec enim illos cognoscere aut opera illorum poterant naturali quidem cognitione, propter nimiam & immoderatam eorum distantiam, sed neque illa super naturali notione, qua beati diuinam eßentiam contuentes agnoscunt res, quæ profecto eminentes in ea lucent & splendent. Post uero quam Deus per mortem & resurrectionem Christi, placatus et reconciliatus est nobis, apertaque paradysi ianua est, & beati iam Deum uident coram, siue ut Paulus inquit, facie ad faciem, ut Christus ad latronem ait, hodie mecum eris in paradyso, & Paulus cupiebat dissolui, ut esset cum Christo: unde manifesta impietas fit Anabaptistarum, qui ut cultum sanctorum tollant, prædicant eos dormire usque ad iuditij diem. quas autem scripturas de sanctorum dormitione producunt, eas oportet de corporum non de ani-

marum dormitione intelligere. futura quidem simul est corporum omnium resurrectio, eaq; simul futura sunt gloriæ suæ participia, nisi Deo *uisum fuerit excitare & expergefacere ante illud tempus aliqua, ut de* Maria *matre* Dei, *& perpetua uirgini constat:* Post *inquam cœlestis ianuæ apertionem sciunt planeq; agnoscunt nos in uultu* Dei *cœlites & pro nobis orant, & singulari charitate sua erga nos apud* Deum *pro nobis intercedunt.*

Cultum sanctorum obscurare beneficia Christi, ac ideo sine sanctorum intercessione, & Deum confugiendum esse, & est octauum aduersariorum nostrorum argumentum.

D Iuorum intercesßio cruciatus, mortem ac merita omnia Christi *obscurat, in nomine enim* Christi *omnia daturus est pater, nec fieri potest ut quidquam neget, qui proprium filium pro nobis dedit omnia apud se ut quæramus iubet, omnia nobis, quorum egemus, pollicetur, si* Deus *pro nobis quis contra nos? qui proprio filio suo nõ pepercit. sed pro nobis oĩbus tradidit illum, quo modo non omnia cum ipso nobis donabit?* Hic *clarum fit, quam maligne benignitatem & liberalitatem* Dei *pontificij in tyrannidem quandam crudelißimam uerterint, & ex clementißimo ac misericordißimo patre nobis tyrannum & iratum exactorem fecerint, nam sic pro publicis concionibus clamant, ne patiamini, ut a fiducia in diuos quis uos auellat, & exemplo humano probant diuorum*

Rom. 8.

intercesſione opus eſſe nobis apud Deum. Si quis, inquiūt, impetraturus principem aliquem adit, per magni refert, quibus interceſſoribus apud principem utatur, Quaſi uero principes huius mundi tales eſſe conueniat, qui nihil præſtaturi ſint petentibus, niſi aliquis alius intercedat: an non præſtaret huiuſmodi habere principes, qui tam eſſent clementes & liberales, qui tanto eſſent fauore in pauperes, ut quoslibet ſe adeuntes admitterent ad colloquium, humaniter exciperent, & audirent, humanius alloquerentur, benigniſſime exaudirent, & poſitis affectibus recte iudicarent, & benefacerent? Sic Deus noſter non debet nobis ut tyrannus princeps aliquis durus proponi (quod a pontificijs factum eſt) ſed ut pater clementiſſimus & miſericordiſſimus, quemadmodum ſcriptura ſacra eum ubique depingit. Ad patrem, an filij non audent accedere, ſine intercesſione aduocatorum? Cur ergo docuit nos ſic orare, pater noſter? Cur ergo expanſis, & pro nobis uulneratis bracchijs expectat, & nos auide ad ſe inuitat dicens, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos: Quos uocat? Laborantes nimirum & mole peccatorum oneratos. Cur ergo dicis peccator ſum, non audeo ipſum accedere? non audis uocantem? non audis dicentem, non ueni uocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam: item quod dicit, ſanis & ualidis medico nihil eſt opus, ſed male habentibus? An hoc non eſt, o chriſtiani fratres, dulciſſimam Dei gratiam abſinthio & felle miſcere, cum Papiſta docet peccatorem non audere Deum accedere ſine intercesſione? cum certiſſimum, & indubi-

tatum salutis pignus nobis datus sit Christus? & tu hæc creaturis tribuis? quid hoc aliud est quam idololatram esse? Hæc sunt figmenta nostra, huc peruenimus, postea quā libuit fiduciam in creaturas, deserto creatore, ponere, & Deum patrem pro tyranno habere.

Cultum sanctorum non obscurare beneficia Christi, & de iustitia & meritis, ac soluitur, aduersariornm nostrorum argumentum.


R*Espondeo, Tantum abest, ut diuorum intercessio cruciatus, mortem beneficia, & merita Christi obscuret, ut ea uehementer etiā atque etiam illustret. quod ut perspicuum fiat explicemus, quomodo, & quid, & quibus meruerit Christus. Principio ex gratia, quæ gratum facit habentem, aut ex iustitia qua sumus coram Deo iusti, aut ex charitate, quam Deus per Spiritum sanctum, quem donat nobis, in corda nostra effundit, tanquam ex formali causa meritum est, quo æternam quidem uitam, singuli particulariter & absolute promeremur tanquam præmium & mercedem. Si uero diuersos inuicem comparemus, fieri potest, ut gratia seu charitas & iustitia oriatur ex merito, aut sane condigne, aut congrue, ut iustitia qua fuerūt ab origine mundi, & qua hodie sunt, et qua post alijs erūt in annis homines iusti coram Deo, ex meritis Christi condigne oritur. Ac illa ipsa qua primum iustificamur, nempe cum ex iniustis efficimur iusti, ex meritis sanctorum est congrue: Nam congruum est ut sancti, cum filij Dei sint, a*

patre Deo gratiam, & charitatem, siue iustitiam impetrēt iјs a quibus inuocantur, sic Centurio sanitatem puero suo postulatam a Christo impetrauit: sic Stephanus Paulo impetrauit conuersionem. sic alij alijs gratiam impetrauerūt & nimirum sancti, cum eis Deus pro bonitate sua plane ostendit, qui patrocinia & suffragia ipsorum implorent, tum pro illis precantur, quippe rationi consentaneum est, diuos cupere, & uelle ut merita sua iјs ad æternam uitam assequendam prosint, qui Deum ipsum inuocāt, ut se adiuuet, sibi faueat, & propitius omnino sit per merita sanctorum. Eiusmodi autem oratio sanctorum, beatitudini minime repugnat. potest enim quis iam summam perfectionem adeptus uelle, ut per merita sua quibus talem perfectionē consecutus est, alius quoque per suam consequatur orationem, ita quidem, ut merita sua non tantum sibi prosint, uerum alijs quoque beneficio & liberalitate Dei acceptantis communicentur atque utilia sint, quandoquidem Optimus Maximus Deus infinita beneficentia & liberalitate sua pro minori bono retribuit non solum maius & cumulatius bonum, sed multo plura etiam bona, modo tamen plures actu suæ uoluntatis bonum illud sibi applicent, quasiq; suum efficiant. Verum age totum ipsum ordinem gratiæ siue iustitiæ, siue charitatis ante omnium oculos breuiter ponamus, ut omnes plane uideant orationes, inuocationes, & merita sanctorū nulla ex pte obscurare, sed mirū in modū illustrare merita et beneficia Christi. Primū igitur, cū deus pater, filius et Spūsſctūs crearet aīam Christi eāq; in utero matris uirginis Mariæ cū corpore suo coiūgeret, sūma

illam quidem gratia, summa iustitia, & charitate summa donauit, non enim datus est Christo ad mensuram Spiritussanctus. Itaque in primo haud dubie instanti & momento suæ conceptionis Christus dominus & Deus noster fuit gratus Deo, longeque acceptißimus: deinde per gratiam meruit corpori suo immortalitatem, animæ suæ indolentiam, sibi exaltationem, nobis remißionem peccatorum, gratiam, paradysiacæ apertionem ianuæ, gloriam, a Diabolo redemptionem, separationem ab inferno, & a morte, chirographi, quod erat nobis contrarium per decreta abolitionem, cum Deo reconciliationem. Præterea nos per merita Christi gratia Dei consequimur, & iustificamur, participesque bonorum cœlestium reddimur. Porro cum iustificati sumus quotquot ex Adami uiciata maßa communi propagatione nascimur, ex gratia & charitate Dei operantes meremur, tum augumentum gratiæ, tum gloriam & uitam æternam, ac pro alijs orantes ubicunque simus, uel in militante quidem Ecclesia, uel in tryumphante, a Deo impetramus, ut pro infinita sua bonitate, ijs qui opus habent, auxilietur, neque id facimus aut nos, aut cœlites, quod ex benignißimo & misericordißimo patre Deo crudelißimum tyrannum efficiamus, absit tanta impietas, uerum illud orandi pro indigentibus officium multo pijßimum, ex charitate oritur, in cuius profecto exercitio filij Dei perpetuo continentur. Itaque ut summatim dicam, merita nostra sunt ex iustitia in nobis hærente. iustitia hærens in nobis ex meritis Christi est, merita Christi sunt ex iustitia in Christo a primo suæ conceptionis momento hæ-

rente, denique iustitia Christi ex nullis meritis, ex nullaque alia iustitia est, sed tantum ex infinita patris Dei liberalitate, conspicuum igitur est iustitiam & merita Christi non ex alia iustitia, nec ex alijs meritis pendere, at iustitiam omnium hominum pendere ex meritis & iustitia Christi, ut sol iustitiæ meritissimo ille denominetur & indubie sit, ac omnes de illius, ut inquit, Ioannes plenitudine semper accipiant, qui proculdubio est benedictus Deus in æternum.

FINIS.



REGISTRVM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVX
YZ AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL.

OMNES SVNT QVATERNI.

RECOGNITIO BREVIS ET *dilucida eorum, quæ lectoris animum inter legendum remorari poßint.*

Singular.	*Singulari.7.b.6.*
Dicitur.	*dicit.10.a.14.*
Datum.	*datur.11.b.5.*
Petrus Deumq́;.	*Petrus cum dominum Deũq́;.13.b.29.*
Eamq́;.	*atque.14.a.6.*
Ad.	*ac.16.a.1.*
Sieq̃q̃.	*nequaquam.16.a.2.*
Conuenires.	*conuenire.18.a.2.*
Etsi.	*etsi.16.a.27.*
Offendit.	*offundit.27.b.11.*
Spiritusanctus.	*spiritum sanctum.31.b.29.*
Reuelatur.	*reuelare.67.b.10.*
Nus.	*bonus.83.b.1.*
Minor.	Miror.92.a.18.
Non.	*nos.110.b.10.*
Vos.	*nos.112.a.23.*
Enimi.	*animi.116.b.19.*
Qua.	*quia.131.b.27.*
Nostris.	*nostis.144.b.18.*
Iudicare.	*iudicari.158.a.14.*
Spiritusanctum.	*spiritussancti.191.b.19*
Opprobauit.	*approbauit.243.b.16.*









